
x
xx
57







Ex libris Joannis Balthasari Sartorii 1668

HISTORIA INDIAE OCCIDENTALIS,

Tomis duobus comprehensa.

PRIOR, res ab Hispanis in India Occidentali ha- … *Gentes do-* … *oridam In-* …

… dicitur) re- … a nobis pe- … et.

… IOANNE … *ribus. Ex eo-* … VRBANI … *erpetuis notis,* … *emorabilium* …

… ius noui breuis … vno velut …

… NON.

familiae … Masculina

HISTORIA

INDIAE OCCIDENTALIS,

Tomis duobus comprehensa.

PRIOR, res ab Hispanis in India Occidentali hactenus gestas, acerbum illorum in eas Gentes dominatum, insignéque in Gallos ad Floridam Insulam sæuitiæ exemplum describit.

ALTER verò, Brasiliæ (quæ & America dicitur) rerúmque in ea obseruatione dignarum a nobis penitus incognita descriptionem continet.

HIERONYMO BENZONE *Italo, &* IOANNE LERIO *Burgundo, testibus oculatis, autoribus. Ex eorum autem idiomate in latinum sermonem* VRBANI CALVETONIS & G.M. *studio conuersi: perpetuis notis, argumentis, Figuris, Indicibus, & locupleti memorabilium rerum accessione illustrati.*

Addita est Totius Indiæ Occidentalis, seu orbis illius noui breuis descriptio, quæ maximam hanc mundi partem vno velut intuitu perlustrandam oculis subiicit.

EXCVDEBAT

EVSTATHIVS VIGNON.

M. D. LXXXVI.

INDIÆ OCCIDENTALIS, siue Orbis Noui,

BREVIS DESCRIPTIO: EX Cosmographia D. Hieronymi Girauæ Tarraconẽsis excerpta: huic verò historiæ, in studiosi Lectoris gratiam, vt perutile additamentum, præfixa.

EVROPAM terminat à Septentrione mare Hyperboreum: quod sequitur à parte Occidentis Bacalearum regio nuper reperta. Hinc ergo Indię Occidentalis, seu noui Orbis descriptionem & tractum aggrediar, versus polum Antarcticum ad Panamam vsque, & inde ad Magellanicũ vsque strictum. Regionem omnem, cunctáque maris litora describendo prosequar, particularem quoque descriptionem instituam insularum Lucayæ, Cubæ, S. Dominici, S. Iacobi, & S. Ioannis, quæ quidem noui huius orbis omnium sunt celeberrimæ. Diuidam verò totam hanc Indiam, à Christophoro Columbo Genuensi, anno 1492. repertam, in duas partes præcipuas: quarum alteram Hispaniæ Nouæ, alteram Peruuiæ nomine donabo, sub quibus tanquam præcipuis omnes alię comprehendũtur. Atque hoc modo Peruana ditione continebitur quidquid est à stricto Magellanico ad Panamam vsque vrbem, vbi tam angusta illa terræ portio euadit, vt Panama, ad litus Australe sita, non distet vltra 17. milliaria à Borealis maris limite, vbi ciuitas nominis Dei, vulgo *Nõbre de Dios* sita est: quare & Peruana regio peninsulæ

India Occidentalis in duas partes (Hispaniã nouam & Peruuiã) diuisa.

nomen obtinere poteſt. Hiſpaniæ autem Nouæ nomine reliqua intelligentur omnia,nempe quę ab vrbe Panama ad extremum vſque regionis Bacalearũ, in mari glaciali ſiue Hyperboreo conſiſtunt. De Noua Hiſpania primùm agã:deinde Peruanã luſtrabo.

De Hiſpania noua & eius partibus.

Hiſpaniam nouam, ab Oriente, Occidente atque Meridie, cingit Oceanus: à parte verò Septemtrionis habet terrã incognitã,ad latitudinem vſque 60.graduum. Eius quod maximè ad Boream vergit, Groenlandiæ ac Iſlandiæ parem latitudinem habet: cuius partes ſunt Bacalearum regio,terra Florida,& ea quæ proprio nomine Hiſpania noua appellatur.

Terra Laboratoris.

A parte Septentrionis extrema eſt Terra laboratoris ſiue Agricolę,vulgo *Tierra de labrador*,quę quidem mõtibus & ſyluis abũdat,in quibus maxima eſt ferarum auiúmque rapacium copia.Ex cõmuni nautarum relatu hęc regio 460.miliaribus Hiſpanicis abeſt à Faiala,inſula Aſſorea. Extendit ſeſe autem ſecundũ fluuium Niuoſium, vulgo *rio neuado*, ad miliaria 200.hinc verò ad Sinũ Maluaſium,vulgo *Baya de Maluas* miliaria tantundem numerantur.In latere Auſtrali habet Dæmoniorum inſulã, aliáſque plures quas prætereo,quòd obſcuriores ſint.

Bacalearũ regio.

Bacalearum regio prædictã ſequitur,à Britonibus indito nomine,ob piſcaturam certi cuiuſdam piſciũ generis, quos Bacalaos nominant. Patet hæc regio miliaria 900. nempe à Bacalearum promontorio vſque ad terram Floridam,quæ ita numerantur. A cuſpide Bacalearum ad Sinum fluminis,vulgo *Baya del rio*,ſunt miliaria 70. Ab hoc ſinu ad ſinum Inſulanorum, vulgo *Baya de los Iſleos* 70. Hinc verò ad amnẽ profundum, vulgò *rio fundo*,alia 70. A quo ad promontorium Inferum, vulgo *Cabo baxo*, 160.miliaria numerantur.Inde ad fluuium S.Antonij miliaria 100. Illinc verò ad Promontorium principis, 180.& hinc ad promõtorium S.Helenæ,miliaria 110. ſu ppu tãtur.

A quo

A quo ad cuſpidem Cagnaueralis ſeu Arundineti, miliaria 100. Inde verò ad Floridam 40. miliaria colliguntur. Ea eſt amplitudo huius terræ: cuius minima latitudo ab Æquatore 48. gradũ cum ſemiſſe obtinet. Eſt ad litus ipſum longè populoſior quàm alibi, & perinde, imo frigidior Belgio, quòd ſub eodẽ ſit climate. Habet vicinas inſulas plures, pleráſque à Gallis occupatas: quales ſunt Curia regia, Baya, Bicaſtella, Promõtorium Spei, & Promontorium Britonum. Priuſquam ad Floridam perueniatur, Iordani fluuio proxima eſt prouincia Cichora. Huic adiacet alia ſub eadem latitudine, Guadalupa dicta.

Ioannes Pontius Legionenſis, anno 1512. Floridam inuenit, quam eo nomine appellauit, quod ipſa Dominica Palmarum (Hiſpani *Paſcua de flores* vocant) illam reperiſſet. Cuſpis Floridę ſub 25. gradum latitudinis conſiſtit, Italiam nonnihil referens: éſtque hæc portio terræ linguiformis, miliaribus 100. in mare ex porrecta, ſupputatione facta ab angulo inferiore vſque ad cuſpidem. In latitudine 20. miliaria, & vbi eſt latiſſima 50. Ab Oriente Cichoram habet, inſuláſque Bahamam & Lucayam. Ab Occidẽte Hiſpaniam nouam, à qua ſeparatur regione Anauaca. Ex parte Septentrionis habet terram firmam, à meridie verò inſulam Cubam, quæ 25. miliaribus à cuſpide diſtat, & Oceanum, qui in eo ſinu quem efficit inter hoc Promontorium & Iucatanum, mare Catayum nominatur, aliis quidem ſinus Ferdinãdi Corteſij, aliis ſinus Floridæ, aliis verò Mexicanus ſinus vocitatur. Prouinciæ celebriores terræ Floridæ ab Hiſpanis repertæ, ſunt Panuca regio in finibus Hiſpaniæ nouæ ſita. Hinc Anauares regio, & Albardaoſia prouincia. Itẽ Iaguazia, Apalachia, Autia, Samouia, & aliç, quarum & vitæ & religionis ratio prorſus eadem eſt, pietatis, politiæ, ac totius humanitatis expertes. Terrę Floridæ præſtantior pars ad fines Hiſpaniæ nouæ ſita eſt

Florida.

ad fluuium Panucum, qui ostiis adeò amplis in marę sese exonerat, vt portus gerat vices.

Hispania noua.

Hispaniæ nouæ descriptio inchoatur à flumine Panuco vbi Floridæ descriptio finijt, quam ad Darienã vsque prouinciam producit Giraua, quo loco à Terra Noua, Hispanis Peruana dicta, dirimitur ad Austrũ. Itaque terminabitur à parte Boreali fluuio Panuco: Australi, regione Dariena; ab Oriente, Oceano: ab Occasu mari Australi. Vniuersus hic terrę tractus, quæ nunc Hispania noua dicitur, olim Culhuacana dicta fuit, à certis nationibus Cichimecas dictis, quæ à Culhua, regione quadam supra Xaliscum sita huc commigrarunt, sedésque fixerunt circa paludem Tenuchtitlan, in qua hodie Mexicana ciuitas sita est. Quæ cùm jam regiones aliquot occupassent, multiplicatę Culhuacan (aliis quoque Coioacan dictam) incoluerunt, pro sede primaria. Quare omnes Coloniæ tum priores tum posteriores, sub dominio Culhuacano erant, regióque Culhuacanæ nomẽ obtinuit. Variæ sunt huius regionis nationes ac prouinciæ, sed omnium ab Hispanis lustratarũ prima & pręcipua est Mexicana, quæ & Temistitan, & Culhuacã dicitur. Reliquæ sunt Guatimala, Xaliscus, Hondura, Chalcos, Taica, Chamolla, Claortomaca, Huacacholla: & regna Michuacan, Tescuco, Tlazcallã, Tenuacã, Maxcalcinco, & Mixtecapan.

De Peruuia, altera Occidẽtalis Indiæ parte.

Ad Peruanæ regionis descriptionem accedamus. Inest inter Hispaniam nouam & Peruanã regionem terræ spacium exiguũ ad latitudinem decem & septem miliarium. Propter quam regio Peruana insula esse desinit, appellatúrq; prouincia Dariena, mutuato nomine à magno fluuio Dariene. Hanc sequitur Peruana regio, quo nomine appellatur quidquid est terræ inter vrbem S. Sebastiani boni visus, & cuspidem stricti Magellanici, quamuis minus propriè. Patet hæc regio amplissimè 64. gradus 30. min. in latitudine comprehendens, nempe 52. cum semisse Au-

ſtrales vltra Æquatorem,12.verò citra Æquinoctialē, ad S.Martham vſque, quod vltimum eſt Promontoriū Septentrionem verſus. In maxima lōgitudine 53. gradus complectitur,numeratione facta à meridiano tranſeunte per Promōtoriū S.Auguſtini,quod ſubeſt latitud.8.grad.30.minut.Auſtrali,ad Meridianū vſque promontorij S.Franciſci, ſub latitudine 2.part.Auſtrali ſitum.Tota hæc terræ portio figuram fere triāguli æquilateri profert. Ductæ enim tres lineę à tribus Promōtoriis quibus gaudet, ęquales fere ſunt futuræ:vt à Promontorio S. Auguſtini ad Magellanicū vna:altera à Magellanico ad Sanmarthanum: tertia à Sanmarthano ad S.Auguſtini. Quod ipſum ſphærica ratione demonſtrari poteſt.Nā ſi ſit trianguli angulus vnus Promōtoriū S.Auguſtini,ſub latitudine 8.grad. 30.min.Auſtrali, longitudine 341. graduum : angulus alter Promontorium Magellanicum, ſub latitudine 52.grad.30.min.Auſtrali,longitudine 303. grad. linea duobus his Promontoriis interiecta 60. gradus continet, qualium meridianus 360.habet. Tantundem verò aut paulò amplius complectitur linea ducta à PromontorioMagellanico ad Sanmarthanū quod incidit in 12.grad.latitud.longitud.verò 294.grad. Porrò dictum eſt regionem hanc Inſulæ nomen amittere,propter anguſtum terræ ſpacium inter vrbem aut portum Panamæ,& portū Nominis Dei, vulgo *Nōbre de Dios* interiectū:qui tractus 17.miliaria comprehendit.Itaque ab omni parte mari alluitur.Ab occaſu mare habet Auſtrale, vulgo *de Sur,* ad quod peruenitur ab Occidente per ſtrictum Magellanicum. A parte Meridiei Ocean⁹ Meridionalis vocatur, quo hæc ipſa regio dirimitur ab alia quadam nondum luſtrata terra,quæ aliquibus Terra ignis, vulgo *Tierra de fuegos,*ad ſtrictum Magellanicum,appellatur. Durat hoc ſtrictum à Fernādo Magellano repertum anno 1519.miliaribus 110.recta linea ab ortu verſus occaſum.Latitudinē habet 52.grad.30.min.& quibus locis

Sinus Magellanicus.

est latissimum duo miliaria & paulò ampliùs patet. Litus verò vtrinque præruptis rupibus perexcelsum est. Itaque ambit omnem hãc regionẽ mare, pro qua plenè describenda, vt nulla præcipuarum partiũ quę ab Hispanis peragrata sit, omittatur, diuidẽda est in partes quinque, sub quibus reliquę omnes cõtinẽtur.

Castella aurea.

Sunt vero partes hæ quinque, Castella aurea, Popaiana, Peruuia, Chile, & Brasilia. Castella aurea nomen accepit ab auri maxima qua abundat copia: habet enim fluuios auriferos, & mineralia, vnde facilitate propemodum incredibili auri vis ingens extrahitur. Initiũ habet hęc regio à Panama Septentrionẽ versus, séque ad Antiocham vsque ciuitatem exporrigit, quæ sita est in vna vallium Norearũ, dirimentium Castellã auream à regione Popaiana. Præcipuæ ciuitates Castellæ sunt Panama, Carthago, & S. Sebastian. boni visus.

Popaiana.

Popaiana regio à celebri ciuitate Popaiana hac in regione sita & culta nomen habet. Exordium autem sumit à parte Septẽtrionis ad vrbem Antiocham, desinítque ab Australi parte ad vrbem Quito. Itaque à Septẽtrione terminatur ad fines Castellę aureę, à qua separatur in vrbe Antiocha. A meridie verò Peruanæ regioni vicina est, indéque disiungitur vrbe Quito. Ab Oriẽte distinguitur nouo regno Granatę Trãsandeno, & Peruana regione, quæ inde incipit Oriẽtem versus. Ex parte Occidentis iungitur mari Australi. Sunt hi ergo fines ditionis Popaianæ, quæ 200. miliaria in longum, 40. verò in latum comprehendit, & nonnullis in locis latior est. Prouinciæ principaliores Popaianæ regionis sunt Antiocha, Tarabea, Anzerma, Arma, Pancura, Pozoa, Picara, Carrapa, Quimbaya, Cali & Pastoa, alięque nõnullę his principalioribus subditæ.

Peruuia.

Sequitur Peruuia, aut Peruana regio, quo nomine olim comprehendebatur quidquid est regionũ à Pa-

stoa ad Chilem,& fluuiumMaulem, Austrum versus: fluménque Anchasmayum versus Boream. Hodie verò Peruana regio dicitur id solùm quod inter Argyropolim, vulgo *Villa de Plata*,& prouinciam Quito comprehensum est. Est tẽperata, populosa atque culta: ac protenditur ad longitudinem septingentorum miliariũ à Septentrione versus meridiẽ, & in latitudinem centũ miliarium ab ortu ad occasum. Ab ortu ergo & meridie terminatur Argyropoli: ab occasu Mari Australi,& Boreã versus à Pastoa regione. Nomen *Peru* adepta est à portu & fluuio quẽ habet eiusdem nominis, sub latitud. 2. grad. ab æquinoctio australi. Sed quæ antiquitus Peruuia appellabatur, vltra 1300. miliaria sese porrigẽs, tres in partes diuiditur: in planiciẽ, montes,& Andes, i. regiones montanas. Præcipuæ regiones Peruuianę sunt octo, nempe Quito, Cagnaresia, S. Iacobi veteris portus, Cassamalca, Cuzcoa, Cagnasia, Coalloa,& Charcasia.

Chile, seu Chili.

Prouinciam Charcasiam sequitur Peruanæ regionis vltima. Chile, à qua ad strictum Magellanicũ 500. miliaria litoris numerantur, frigida est admodum ob poli Antarctici viciniam. A Septentrione pertingit ad 43. grad. latitud. australis: à Meridionali plaga ad 52. grad. 30. minut. vbi ipsum est strictum.

Brasilia.

Superest terra Oriẽtalior, Brasilia dicta, cuius circiter 40. miliaria, à Borea versus Austrũ, Lusitani occupant: & 160. ab ortu versus occasum: oræ verò maritimæ plusquam 700. miliaria. Nomen accepit Brasilia ab eius ligni copia. Inter prouincias alicuius nominis numerãtur Nicaragua & Quahutemalla, quarum incolæ habitu & moribus Mexicanis sunt persimiles.

De Insulis.

Restant nũc Insulæ, quarum breuis descriptio sequitur, temporũ ordine seruato, quibus singulę sunt inuentæ, initio facto ab insulis Lucayis quadringentis & amplius numero, exiguis omnibꝰ prȩter ipsam

Lucaya. Lucayam, à qua omnes nomen acceperunt. Sũt enim ab insula Cuba & S. Dominici Septentrionales. Harum verò insularum incolæ, penes quos versabantur Hispani, minori quàm 20. annorum spacio exterminati sunt Hispanorũ crudelitate, eò quòd cum in iis aurum argẽtúmve deesset, miseros insulanos ad aliarum regionũ fodinas traduxerint ad metalla fodienda. Hoc modo desertæ factæ sunt Lucayæ, quæ incidunt in longitud. 290. grad. & latitud. 21. grad. 10. min.

Cuba. Secunda insula, anno 1492. à Colũbo reperta, Cuba fuit, quam cognominauit Fernandinam. Quibusdam vocatur S. Iacobi insula, à celeberrima huius insulæ vrbe S. Iacobi, tum ob portum, tũ ob populi frequẽtiam. Ab ortu habet insulam S. Dominici, ab Occidente Iucatanam, à Septentrione Promontorium terrę Floridæ & insulas Lucayas, à meridie insulam Iamaicam. Qui Cubam viderunt, salicis folio assimilant, eò quòd longior quàm lata sit: numerántque ab vno extremo ad alterum, ab ortu versus occasum 300. miliaria: sed à Borea in Austrum 70. Insulæ medium longitud. habet 91. grad. latitudinem verò 20. grad.

S. Dominici insula, olim Hayti. Insula S. Dominici post Cubam reperta, anno 1493. ab indigenis *Hayti* & Quisquesia appellabatur, quod sonat regionem vastam & asperam. Columbus Hispaniolã vocauit: hodie verò S. Dominici insula dicitur, nomine mutuato àb vrbe S. Dominici eiusdem regionis. Habet ab ortu insulam S. Ioannis, aliásque plures: ab occasu Cubam & Iamaicã: à Septentrione Canibalium Insulas: à Meridie Promontorium Velæ in terra firma prope Venezvelam. Huius insulæ longitudo latitudinem superat: continet enim centum & quinquaginta miliaria ab Ortu versus Occasum, & quadraginta à Septentrione ad Austrum: in ambitu verò miliaria plusquam 400. Insulæ mediũ habet 300. grad. lõgit. latitud. verò 19. grad.

S. Ia-

S.Iacobi insula, quæ olim Iamaica, habet ab Oriente insulam S. Dominici, à qua abest paulò plus 25. miliaribus. ab Occidente Promontorium Iucatanum. à Septentrione Cubam, à qua 25. miliaribus distat. à Meridie paruam insulam Laceranam, eodem interuallo distantem. Longitudo huius insulæ latitudinem vincit: habet enim ab Oriẽte versus occasum 50. miliaria: à Borea in Austrum miliaria 20. habitatur nunc ab Hispanis, Indis extinctis perinde ac in Lucaya. Medium huius longitudinem habet 191. graduum, latitud. verò 18. grad.

Iamaica, seu insula S. Iacobi.

Insula S. Ioannis, prius Borica dicta, habet ab ortu insulam S. Crucis, insulásque exiguas plures. Ab Occidente & Borea insulam S. Dominici: à Meridie Promontorium Pariæ, à quo 136. miliaribus abest. Lõgitudo huius insulæ latitudinem superat: habet enim ab ortu ad occasum miliaria 50. à Septentrione versus Austrum tantummodo 18. Diuiditur in duas partes, nempe Borealem & Australem. Huius medium subest longit. 303. grad. latitud. 18. grad.

Boriquẽ, seu S. Ioãnis insula.

Ex Peruuiæ montibus magni fluuij oriuntur, qui ad Austrum currunt: maiores autem in mare Boreali sese exonerant: vt sunt Argyropotamos, vulgo *Rio de Plata*, Maragnonus & Orellana. Ioannes Diaz Solisius, anno 1512. flumen maximum inuenit, Indis *Paranaguasu* dictum, quod sonat aquam magnam, aut flumen velut mare, quod ostia habeat 25. miliarium, insulásque complures: hodie Argyropotamos, vulgo *Rio de Plata*. Alij Solisij flumen ex inuentoris nomine indigetant. Abundat hic fluuius argento, margaritis, vnionibus, gemmis, & piscibus. Exundat eodem modo quo Nilus, eodémque tempore. Ostia latitudinem australem habent 33. graduum.

De Fluminibus.

Maragnon fluuius à nonnullis existimatur esse idem cũ Orellana, sed de rei veritate nondũ constat. Certiùs verò diuersos esse colligitur ex ostiorum differentiis. Maragnoni enim ostium habet 15. miliarium latitud. Orellanæ verò vltra 50. miliaria. Habet & Maragnon plurimas insulas populi frequentia celebres, in quibus auri reperta sunt indicia, & Smaragdi prægrandes, mediocris præstantiæ, manus volam æquantes. In huius fluuij ripis thus prouenit copiosum ac pręcellens, granosius ac maius Arabico. Absunt huius ostia 3. grad. ab Æquatore. Ab Orellana ad Maragnonum 100. miliaria numerantur.

Orellana fluuius, à Francisco Orella dictus, qui Hispanorum primus eum nauigauit, tametsi Pinzonij inuenerint anno 1500. Verùm Petrus Orella eundẽ pernauigauit 43. annis postea. Dicuntur hîc visæ mulieres pugnaces, quas Amazones vocant, sed falsò. Nihilominus eundem fluuium Amazonum fluuiũ nominant: qui non modò totius Indiæ, verùm etiam vniuersi Orbis est maximus. A nonnullis propter magnitudinem Mare dulce appellatur. Ostia habet 50. miliariũ & amplius patula, producítquę cursum sub ęquinoctiali ad 1500. miliaria & vlterius, licet ab eius fontibus ad mare 600. tantum miliaria numerentur. Reliquum omne distrahitur in anfractus & reflexus, quos efficit varios. Et hæc quidem de Indiæ Occidentalis situ dicta sufficiant.

CHRI-

CHRISTIANIS ET PIIS LECTORIBVS VRBANVS CALVETO, S.

QVOD magni initio operis florentißimus rerum Romanarum ſcriptor Liuius præfatur, Se nimirum, dum priſca populi Romani facta & primas origines tota mẽte repetit, tantiſper à conſpectu malorũ, quæ ſua multos per annos vidit ætas, animum auertere: id in tenui hoc ſcripto propemodum contigiſſe profiteri mihi licet. Me videlicet, quum ardente iamdiu bellis Europa, ſolatium malis & animo meo requiem quærerem, longinquæ alicuius prouinciæ ſeceſſum & ſecretum ſæpe optaſſe, vbi liceret non modò à tot ſcelerum cõſpectu, ſed etiam auditu & fama, procul agere. Ergo nihil hîc vſquam quietum circumſpectans, tandem aliquando in nouam illam Indiam (quam vocant) vt vacuum bellis orbem, toto animo tranſuolo. Et eò potißimùm multa inuitabant: Auriferi amnes, mõtes aurei, mira cœli temperies, noua fructuum, auium

quæ species, rudis & antiqua hominum simplicitas: mare vnionum ferax, gemmis grauida tellus! denique obuiæ opes fama magis quàm rerum fide traditæ: quæ omnia perlustrare vel animo iuuaret: sed ante omnia inerme ocium & quies, & morum nostrorum tædium.

Ac mox quidem transgresso, vti dixi, ea primò omnia nonplane vana arridebãt. Sed quum ijs miraculis animum attenderẽ; ecce è diuerso longè alia rerũ facies. Extorres indigenæ, & Christianis infensi: subuersi iam montes & auro penè vacui: exhausta mapalia, tristis vbique & horrida solitudo: serui, aut seruitutem horrentes Barbari, cuius ne nomen quidem antè nouerant: & atrocia eorum cum nostris bella, & quæ bella sequũtur calamitates. Denique nostra illic omnia vitia; sæuitiam, libidinem & auaritiam reperi. Hîc continuò mecum: earum rerum causas nunquid sciscitari & exsequi libet? Itaque cognoscendi auidus Hispanos scriptores adeo, eorum libros euoluo. Mira illic: Vno aut altero prælio perdomitæ prouinciæ: priùs penè rapta quàm inita Regna: insignes Hispanorum de Barbaris victoriæ, nisi equis deberentur. Denique tot Scipiones aut Alexandros magnos diceres

Indiæ Occid. facies hodie misera.

res

res, quot Hiſpani duces in illis terris bella geſſere. Neque profectò gloriā meritos abnuerim, ſi vel ipſi ſæuitiæ, vel ſcriptores laudibus modum ſtatuiſſent. De ſceleribus interim eorum & flagitÿs nonnihil, ſed parcè. De Barbaris ferè omnia in peius, vt fermè victos, ſicut cæteræ calamitates, ita ignominia ſequitur.

Sed mirabar in primis, cur nō potiùs inermi quæſitu ſine bellis peragratæ eæ terræ eſſent: vnde aut quo initio Indis cum Hiſpanis contracta bella: imò quas bellorum apud eos poſſe eſſe cauſas, vbi nulla eſſet diuitiarum admiratio, nulla honorum æmulatio aut cupiditas, creberrimæ inter homines certaminum cauſæ. Poſtremò cur Hiſpanos iniuria potiùs quàm beneficio experiri maluiſſēt: à quibus præſertim non multa tātùm inſtrumēta vitæ & honeſti cultus morem, ſed literas etiam, rarum inter barbaros, cum Religione acciperent. Quare primò hæc ferè importunæ cuidam agreſtíque immanitati, & ab omni ſocietate abhorrēti naturæ tribuebam, quæ, vt nonnulla animalium, nullis beneficiis manſueſceret.

Quæ Indis aduerſus Hiſpanos bellorum cauſæ.

Sed hæc fortè rimanti, commodùm Benzo in manus incidit: qui vt ſuperiorum opinionum errore dempto, nodos ſoluit, quibus

impeditus hærebam: ita veros eorum malorum fontes aperuit. Is quæ decem & quatuor annorum ſpacio magna ex parte in Occid. India vidit, Italico ſermone conſcripſit, mira quidem breuitate, ſed ea tamen, quæ nihil propè ſcitu dignum prætermittat: aut ſiqua ſunt, nos ea vtcumque expleuimus. Ac ne collatum quidē cum alijs, multùm ab ijs diſcrepare comperi, niſi quòd illi ferè tātùm euentus rerum: hic quas illi callidè ſæpe reticent, cauſas etiam exſequitur: nec, vt plerique, audita ex alijs, ſed ab ſe viſa & explorata referens: vnde maior teſtimonio autoritas, & ſcribenti fides.

Benzo Hiſpanis ſcriptoribus cur præferendus.

Hunc ego accuratè quum perlegiſſem, ſuſpectos habere priores illos ſcriptores, vt gratiæ plurimùm dantes, & ſuorum gloriæ nimiùm lenocinantes, cœpi: ac facilè intelligere (quod res ipſa loquitur, & Barbari ipſi non minus naturalis iudicii luce, quàm experientia deprehenderunt) Hiſpanos verbo ad propagandos Chriſtianæ religionis fineis in eas oras nauigaſſe, reipſa, vt ditiſſimis ijs ſubactis prouincijs æternæ dominationis ſedes ibi figerent, id eſt, ſpecioſum titulum auaritiæ & prauis alijs cupidinibus prætexuiſſe.

Hiſpani ſcriptores ſuorū gloriæ lenocinantur.

Sed operæpretium eſt, id nō tam ex meis

verbis

NOVÆ NOVI ORBIS HISTORIÆ, PRIMVM AB Hieronymo Benzone Mediolanensi Italico sermone conscriptæ. nunc verò in Latinum translatæ,

LIBER PRIMVS.

¶Quæ causæ Benzonem ad nauigationem in Indiam Occid. suscipiendam impulerint.

CAPVT I.

QVVM essem adolescens, annos viginti duos natus, &, multorum exemplo, peragrandi orbis cupidus: præsertim visendæ eius mundi partis nuper repertæ, cui Indiæ Occidentalis, & Noui orbis nomen factum est, explere animum ipse tãdem mecum constitui. Postquam igitur eò ire mihi sententia stetit, Mediolano profectus, anno M. D. XLI. Dei summi gubernatoris ope fretus, terrestri itinere Medinam-campi, celeberrimam totius Hispaniæ emporium, perueni. Inde Hispalim progressus, secũdo Bęti flumine ad oppidum S. Lucari de Barrameda, lembo perue-

Benzonis in Indiam nauigatio, anno M. D. XLI.

ctus ſum: vbi omnium nauium ex Hiſpania in Indiam commeãtium atque inde redeuntium appulſus & portus eſt. Ibi fortè nauim mercibus onuſtam nactus, ſoluere & in Magnam-Canariam vela facere parãtem: quum breuior atque expeditior traiiciendi ratio mihi nõ occurreret: prętereà accepiſſem naues vino, farina, melle, caſeo, cæteríſque eiuſcemodi rebus inſtructas, quæ ad eas regiones neceſſariæ importantur, è Canariis inſulis in Indiam omni tempore decurrere: deſiderii mei velociter explendi auidus, eam nauim conſcendi. Bimeſtri ſpatio expleto, in Magnam-Canariam peruenimus: vbi quum audiuiſſem celocem vnam in inſula Palma (ea vna è Canariis eſt) vino onerari vt mox in Indiã traiiceret, protinus cõſcenſo nauigio in eam inſulam biduo trauectus ſum. Inde, poſteaquam paucis diebus ea nauis omnibus rebus inſtructa eſt, ſoluimus.

PORRO quum quatuordecim dies proſpero vento nauigaſſemus, ingentem vim marinarum auium repentè conſpeximus: vnde non ſine incredibili animi voluptate nos haud procul abeſſe terra, iudicium faciebamus. Nocte quoque ſæpius volucres quidam piſces, longitudine palmi, in nauem noſtram volitantes cadebant, quibus haud multo ſecus atque ipſis auibus ſpecies quædam alarum inerat. Iam Nauclerus nauigatoriæ artis peritus Solis altitudinem & declinationem explorare cœperat, quæ ex linea Meridiana deprehenditur: noctu polum Arcticum ſeruans, aut vicinam illi ſtellam (Tramontanam illi vocant) quæ

Piſces volucres.

quæ iam multum nobis depreſſa erat. Ad eum modum nauigantes, poſt duos dies, Dominica quadam die manè ſub ortum Solis terræ conſpectum habuimus. Ibi magiſter-nauis mihi affirmat inſulam eam ipſam eſſe, quam primam inuictus Chriſtophorus Columbus ſecunda ſua ex Hiſpania in Hiſpaniolam nauigatione vidiſſet. Eum enim, quum è Canariis ſoluens vigintiquatuor aut vigintiquinque totos dies nauigaſſet, abſque vllius occurſu terræ, quum aliquam conſpicere incredibiliter arderet, protinus oculo eam inſulam notaſſe, ac propterea Deſideratam vocaſſe.

Deſiderata inſula.

IN eo tractu multæ ſparſæ inſulæ, quarum maximam Hiſpani Guadalupeam appellant, incolis Caribibus ferè habitantur, qui humanis carnibus, id eſt hoſtium ſuorum, veſci conſueuerunt. Dum eas præteruehimur, lintrem quem Indi piſcatores agebant, obuium habuimus: ſed illi nobis conſpectis aufugêre: nos inſtitutum curſum ſequuti, flexa in læuam prora, verſus Æquinoctialem lineam, alias quaſdam inſulas continenti obiectas, poſt octauum diem conſpeximus.

AD earum vnam, Cubaguam nomine, appellimus, qua in inſula tum fortè erat Hieronymus Ortalus Cumanæ Præfectus. Is tantos animo meo ſtimulos admouit, ſplendidis me verbis & pollicitis onerans (ſicuti earum regionum Gubernatoribus facere ſollenne eſt) vt me ſecum manere ſubigeret.

Cubagua inſula.

Quippe quum is propediem cum non ſpernenda Hiſpanorũ manu in ſuam Prouinciam iturum præ ſe ferret,(quam indigenæ Nautal, Hiſpani hodie Dorado, id eſt auream, nuncupant, vel eo vno vocabulo ſpem diuitiarum faciente) & nos breui ditiſsimos euaſuros alternis propè verbis ſponderet: vanis iſtis eius promiſsis, & multis aliis maioribus effectum eſt vt cum eo manerem, non minus videlicet rei faciundæ quàm viſendi Noui orbis cupidus.

¶Quomodo Hiſpani in India Occid. Barbaris, tum amicis tum inimicis, vtantur.

CAP. II.

PAVCIS pòſt diebus quàm in Cubaguam appuleramus, eôdem Petrus Errera inſulæ Margaritæ præfectus duobus phaſelis triginta cũ Hiſpanis applicuit, vt inde in aduerſum traijciens mancipia aliquot è continenti raperet. Itaque eo conſilio paucis quàm eò venerat diebus manè duabus poſt lucem horis inde ſoluens, Hieronymum Ortalum & nos ſecum abduxit: & ſub eius diei veſperam Cumanæ fluuij oſtium inuecti ſumus. Eo loco ædificatum erat ab Hiſpanis propugnaculum è materia, ad tutanda nauigia, è Cubagua ad flumen illud aquatum commeantia. Exſtruxerat quidem antè aliud munimentum è ceſpite in eo

litore

littore Iacobus Castellio, quo tempore vnionum piscatus vigebat: sed paulo pòst auctum continuis imbribus flumen plana camporum ad duo fermè passuum millia ita inundauit, vt eam arcem quoque euerteret. Ibidem erant quatuor fermè aut quinque tuguria fluuialibus cannis & arũdinibus cõtexta, vnde (sicuti pòst dicemus) Didacus Ocampus trib. mil. Toletum vrbem condiderat. Iam Hispani omnem eam oram propè desolauerant: & ex tanta Indorum multitudine quanta olim erat, nulli fermè tum reperiebãtur præter paucos aliquot & pauperes regulos, quibus Hispani pepercerant, vt iis ad operas suas pro mancipiis vterentur. Ceteri in solitudines & deserta loca concesserant, tantùm vt Christianorum imperium fugerent.

Toletum noua colonia 4, aut 5. tuguriis constans.

SED dum nos aliquot in Cumana moramur dies, eò venit Indica mulier præcipui eius prouincię reguli vxor, quasillum patriis fructibus plenum ferens: ceterum eo oris corporísque habitu vt tam deformem ac prodigiosam speciem neque ante neque post eam diem vidisse me vnquam meminerim: neque tum rei nouæ miraculo stupefactus eam intuendo explere oculos possem. Illa vt venit, ad Erreram præfectum ingressa, posito ei ante pedes quod attulerat munere, tacita in scamno assedit, tali habitu ac specie: Primùm prorsus nuda exceptis pudendis, quæ velare eius prouinciæ consuetudo fert: vetula, virgata toto corpore ac depicta nigro, promissis ad pubem capillis: præterea auriculis infimis adeo productis

Indicæ mulieris inusitata species.

demiſsíſque vt in humeros vſque penderent, (fœdum viſu ſpectaculum) deinde per medium fiſſis, ac foraminibus inſertos anellos gerens, leuiſsimos, è ligno quodam elaborato, quod eorum lingua Cacoma dicitur. Vngues ei præter modum longi, atri dentes, os patulum, nares perforatæ inſerto annulo quem ipſi Caricori appellant: ita vt monſtri cuiuſdam potius quàm humanam ſpeciem haberet.

BIDVO expleto, è Cumana ſoluimus & vſque oram legentes in Ortum per ſinum Pariæ, ad ea litora appellebamus, in quibus Reguli fœdere & amicitia cũ Hiſpanis iũcti erãt: quúmque iis ferè locis egrederemur in terram, pro paululo vino Hiſpanienſi, pro induſio, pro cultello & aliis eiuſcemodi minimi precii rebus, quibus Præfectus illos munerabatur, ipſi nobiſcum aliquot è ſuis clientibus & ſubditis mittebant, duces itinerum, qui loca & tractus indicarent, vnde capitales ipſorum hoſtes Indos captiuos abduceremus, quũ ipſi Chriſtianorum ſe amicos & ſocios ferrẽt. Itaque manente Præfecto cum octo Hiſpanis in Cariaco eius oræ litore, ceteri omnes iter ingreſſi, præeuntibus ducibus de gente amica datis, & commeatus ferentibus, prædabundo agmine, cẽtum fermè paſſuum millia terreſtri itinere introrſus emenſi ſumus: mõtes, valles, flumina, ſaltus & cetera locorum aſpera multa cum vexatione tranſgreſſi, quà iter duces monſtrauerant. Tandem per inuias rupes & prerupta ſaxa, & foramina, quâ vulpes quoque

ipſas

ipſas tranſire dubitaturas exiſtimem, ſæpius noctu quàm interdiu procedentes; ducentos & quadraginta Indos mares ac feminas, pubes res atq; impuberes, manu captos abduximus. Agminis noſtri ductor metuens ne alimenta deficerent (tametſi ex Indorum mapalibus aliqua cibaria contraherentur) ſignum receptui dedit. Quum retro vnde veneramus regrederemur, manè quodam ad primam fermè Auroram fortè duos ignes eminus repentè conſpicimus, vnum in monte, alterum in planicie: quum vtróque ire liberet, agmine in duas partes diuiſo, alij in planitiem, alij ad montem contendunt. Qui in plana ſeſe demiſerant, velocius quò deſtinabant perueniunt: ibíque reperta tantùm anu quadam cum filia, quæ infantem aleret, manus vtrique iniiciunt. Illæ ſomno correptæ facillimè oppreſſæ ſunt, ſed improuiſo irruentium impetu excitæ tantum clamorem ediderunt, vt qui in monte erant procul eam vocem exaudirent. Itaque priuſquam noſtri ad eos perueniſſent, clamorem & ipſi altè tollunt: vnde noſtri pauci Indorum multitudine tertiti, retro ſeſe ad ſuos recipiũt vt iunctis cum reliquo agmine viribus, vbi nos eramus, hoſtem propulſarent. Interea hoſtes iuga & aditus quà ſubire nos oportebat, occupare feſtinant: ſed quum orta lux maiorem armatorum multitudinem quàm quantam rati erant aperuiſſet, præſidio exceſſerunt. Nihilo ſecius interea abeuntes ſagittis venenatis configere noſtros, & conuiciis inceſſere, latrones, canes, proditores, præ-

Hiſpani in India prædas hominum agũt.

dones vocando & probra alia obiectando: neque dubito quin, nisi ab amicis nostris prohibiti & fugati essent, ingens clades accipienda nobis fuerit. Ita absque vllo detrimento saltum illum superauimus, relicta anu illa quam ceperamus, quum ambulare non posset: ac biduo pòst ad eum locum vbi præfectus erat, peruenimus: mox inde, refectis aliquot dierum quiete corporibus, & correptis aliquot lintribus quîs indigenæ vulgò vti solēt, octoginta fermè millia passuum eius oræ percurrimus. Indi alueis ex singulis arboribus cauatis nauigant, quas cymbas illi Piraguas vocant, & earum maximæ quinquaginta circiter homines ferunt.

Indica nauigia monoxyla.

PORRO quum per omnem eius oræ longitudinem Indorum aliqui è montibus ad mare piscandi caussa descēdere consueuissent, nos eius moris minimè ignari, aptis ad insidias locis abditi, vnde minimè conspici possemus, totum sæpe diem opperiebamur, si quos fortè in æquum degressos excipere possemus. Mox vt Indi apparuerant, tum nos subitò omnes ex suis quisque latebris exorti, in eos, ceu lupi in agnos, vndique impetum faciebamus. Hac arte amplius quinquaginta mancipia, omnes fermè fœminas, cū liberis paruulis, cepimus: tandem tamen, quum ea omnia littora crebris exscensionibus infesta fecissemus, à quibusdam inimicis Indis conspecti sumus. Illi verò piscantes simulac nos viderunt, ingenti clamore sublato aliis signum nostri aduentus dedere. Itaque quotquot circum ea litora erant, diffu-

Alia venādorū mancipiorum ratio.

diffugiunt: nos verò in terram egreſſi nihil prædæ inuenimus, præter ſiccos piſces qui cra ticulis ex arũdinibus compactis impoſiti lẽto igne torrebantur, & locuſtas ad ſolem exſicca tas, quas indigenæ vt domi reconderent, linea tim filo traiecerant.

DVX noſter poſtquam detecta fraude prædam hominum ſe facere vltra non poſſe intellexit, retro iter flexit & ad domum pauperis cuiuſdam reguli Hiſpanis amicitia iuncti, applicans: poſtquam eum muneribus, phiala vini, induſio vno, & cultellis aliquot conciliaſſet, blandis verbis rogat velit ſe deducere in locum vnde prædari mancipia poſſit. Regulo Chriſtianos ſecum ducere in expeditionem non placuit, ſed ſumtis aliquot è ſuis abiit, & poſtridie eius diei reuerſus decem & ſex Indos adduxit manibus poſt tergum reuinctis, eóſque ductori noſtro dono dedit. Is ei multas gratias agens promiſſis hominem implet ſpõdétque ſe aliâs ei maioris precij res & elegantiores allaturum. His geſtis, Cariacũm reuertimur: die ſequenti in Cumanam peruenimus: Præfectus captiuos in Cubaguam mittit, & Indis ſociis, qui eum proſequuti fuerant, domos ſuas redeundi poteſtatem facit. Illos abeuntes in itinere inimici adoriuntur & quatuor interficiunt: reliqui in Cumanam regreſſi præfectum adeũt, & calamitatem ſuam querentes rogant vt ſecum Chriſtianos aliquot armatos mittat, qui communes inimicos vlciſcantur. Præfectus, quanquam vicem eorum vehementer dolere vultu & verbis præ ſe fer-

Hiſpani ad capiendos Indos Indorũ opera abutuntur.

ret, tamen quando præuertendum ei aliud maioris momenti inceptum esset, in præsentia ipsis consulere se non posse respondit: verùm fidem interea dare, hostes nō impunè eam iniuriam laturos, sed simulac facultas adfuisset, se meritas de illis pœnas sumturum. Illi malè admodum contenti & offensi abeunt, diras in Christianos & eorum rapinas iacientes, qui tot ipsis malorum autores & causæ essent.

¶Indi captiui quomodo ab Hispanis tractentur. Pariensium mores, & arma.

CAP. III.

PRAEFECTVS paucos post dies cum vniuerso agmine è Cumana soluens & oram occasum versus legens ad Amaracapanam appellit. Oppidum est quadraginta fermè domuum, quod quadringenti Hispani assiduè incolebant. Ii quotannis è suo corpore legebant ducem, qui dimidia militum parte attributa & multis eius sinus accolis Indis quibuscum societas erat, assumtis, per multas eius oræ prouincias prædatum discurrebat. Ibi dum moramur, Petrus de Calice trib. mil. quatuor millia mancipiorum & amplius trahens, venit: multo etiam plures captos adducturus, ni partim labore, lassitudine & alimentorum penuria, partim ægritudine animi & desiderio patriæ, parentum ac liberorum, quos inuiti relique-

liquerant, permulti in via defeciſſent. Nonnullis etiam, quum agmen raptim ductum facilè ſequi non poſſent, ne ad bellum inſtaurandum ſupereſſent, Hiſpani latera & pectora ferro traiecerant. Spectaculum profectò fœdum ac miſerabile intuentibus calamitoſum agmen illud ſeruorum: nuda, lacera, mutilata corpora, fama & miſeria debilitatos viros feminásque. Infelices matres cerneres duos tréſve filios trahentes, aut collo atque humeris geſtantes, mœrore & lacrymis perditas: omnium ceruices, brachia, manus, funibus & catenis ferreis innexa erant: neque vlla inter eos adulta virgo, quam prædatores non ſtupraſſent: tam profuſa libidine, vt ea mox Hiſpanis in contagionem atque inde in perniciales morbos euaderet. Iſte tribunus mil. amplius ſeptingenta millia paſſ. à mari in mediterranea earum regionũ penetrauerat, quæ ſub primum Hiſpanorum aduentum frequẽtes & incolis refertæ: quum ego eò veni, propemodum in vaſtitatem & ſolitudinem redactæ erant. Hiſpani equites qui aduerſus eos populos bellum gerunt, thoracibus goſsipio bene ſuffultis muniti corpora, lanceíſque & gladiis armati, prælia ineũt: peditũ arma ſcutũ, enſis, balliſta: tegmẽ quoq; corporis equeſtri ſimile, ſed leuius. Tormentulis verò, loricis, aut thoracibus ferreis non vtuntur, non tantùm propter humidos vapores, qui è paluſtri & vliginoſo ſolo gignuntur, ſed quia quum ſæpius in campis milites cubare neceſſe ſit, partim ſua ſponte abundantius hu-

Hiſpani ſolitudinẽ in India fecerunt.

meſcente terra, partim roſcidis admodum noctibus, id genus armorum breui corrumperetur.

CETERVM, meo iudicio, totus ille tractus & ingenti illi ſinui Parienſi adiacens regio quâ meridiem ſpectat, omniũ quotquot adij Indiæ terrarum amœniſsima eſt & feraciſsima. Siquidem ibi ſpacioſa planicies eſt, fertilis terra & aſsiduè flores fundens tum ſuauis tum tetri odoris: arboribus, velut vere perpetuo, toto anno folia durant, etſi paucæ ſunt ſalubres & frugiferæ: pleriſq. etiam locis magna vis caſiæ reperitur. Prouincia hæc in vniuerſum calida eſt & humida. itaque multa ex eo inſecta generantur: in iis culices, incolas noctu plurimum infeſtantes, & magna vis locuſtarum, quæ ſatis perniciem inferunt. Incolæ earum regionum penem tubo è cucurbitula, ceu theca aut vagina, includunt, cetera pendére extra ſinentes: quondam eiuſcemodi bracculas, aureas & vnionibus decoras geſtare conſueuerant, ſed Hiſpani hunc illis morẽ finierunt. Fœminæ viris iunctæ peplo aut caſtula (quam Pampanillam vocãt) muliebria velant: virgines faſcia tantùm aut vitta. Regulis quàm multas libet vxores ducere licet: vna tamen tantùm legitima habetur, eíque in ceteras imperium eſt. Plebeij tres quatuórve ſibi pro arbitrio iungunt: mox vbi conſenuere, eas ablegant & iuniores aſciſcunt: & coniugum ſuarum virginitatem delibandam tradũt ſacerdotibus quos Piacchos appellant.

Parienſis regio Indiæ ferè amœniſſima.

Parienſib. quæ lex matrimonii ſit.

CETERVM Indos non in Parienſi tantùm

tùm ſinu, ſed in alijs quoque Indiæ tractibus, piſcatus fermè alit: vinum è Maizio, quod pro frumento illis eſt, & aliis fructibus radicibúſque, moliuntur. Humana quoque interdum carne, pediculis ſimiarum ritu, ranis, vermibus & aliis eiuſcemodi ſpurcis alimentis veſcuntur. Vnguentum quoddam ad confirmandos dentes conficiunt hoc modo. Vnionumferaces conchas cum foliis [1] Axi cremant: mox cinefactas modica macerant aqua, donec calcis candorem referant. Eo vnguento illitos dentes tam atros reddunt quàm carbo eſt, & tali remedio eos ſemper abſque dolore conſeruant. Nares quoque, labra, aures, proforare mos illis: & corpus variis herbarum ſuccis aliíſque rubris & nigris fucis diſtinguere: denique quò abſurdiore cultu ſunt, eò ſibi pulcriores videntur. Reguli lectis, ſtraguli aut toralis longioris quàm latioris inſtar factis, vtuntur: plebii verò fermè omnes retis ad formam ſuos contexunt, omnes quidem pariter è goſſipio, & in iis ad duo tigilla alligatis atq. in aere ſuſpenſis dormiunt. Qui in campis cubant, aduerſus nocturnum frigus, perpetuũ ignem vna ex parte, altera lectum, habent. Atque hunc in vniuerſum cubandi vſum morémque ſeruant earum rerum regionum incolæ vſque ad fines [2] Nominis dei (id oppidũ Panamenſis iſthmi eſt) neque alia dormiendi conſuetudo eſt in multis ſeptẽtrionalis Oceani inſulis.

Medicamen dentibus confirmãdis. Parienſibus vſurparum.

Cubandi mos.

ARMA illis præcipua arcus & ſagittæ venenatæ. eas dupliciter fingunt, primùm è pal-

ma, deinde arundinibus quibuſdam concinnis, quas in ripis fluminum enatas, inopia ferri duris piſcium ſquamis aut ſilicibus acutis aſperant, mox bitumine nigro vngunt: peſtiferum id virus eſt è radicibus, herbis, formicis, pomis, aliíſque fœdis ſuccis, permixtũ, quod vetulæ cum ſerpentũ ſanie multo labore & diligentia decoquunt, donec ad exactũ modum adduxerint: nec pauci interea tetro vapore, qui ex dira illa colluuie exhalat, exanimantur. Si quis ſagitta eo liquore adhuc recenti peruncta ſaucietur, ei corpus intumeſcit, vi veneni adeò rapida vt breue intra ſpatium rabie correptus intereat: ſi verò venenum aliquanto antè aut dudum factum ſit, maximam partem lethalis efficaciæ deperdit. Veneni huius remedium præſentaneum eſt ferrum candens, inuſtum vulneri: & multos ego noui Hiſpanos, qui ea ope ſanati ſunt.

Indicis mãcipiis quomodo abutantur Hiſpani.

PORRO omnes ſerui qui ab Hiſpanis in iis prouinciis capiuntur, abducũtur in Cubaguã: ſiquidem in ea inſula Regii procuratores reſident, qũi regia victigalia colligunt, nempe vniones, aurum, mancipia, & cetera id genus, ex quibus omnibus quinta Regi penditur id eſt, viginti è centum. Seruorum omnium faciei & brachiis ferro ignito, C. littera inſculpto, nota inuritur: mox præfecti & duces de illis pro arbitrio ſtatuunt: pars quoque militibus in prædam cedit, qui eos poſtea aut Hiſpanis aliis venumdant, aut de illorum capitibus inter ſe colludunt. Appellentibus quoque eò ex Hiſpania nauibus, mancipia iſta vino, farina

farina, nautico pane & aliis rebus necessariis, permutant: & quamuis Indicæ mulieres aliquæ ex Hispanis prægnantes sint, eas tamen quoque vendere nulla ipsis religio est. Mercatores eos seruos inde auectos aliò, reuendunt. Alij mancipiis magnos quosdam phaselos ad formam celocium (quas Carauellas vocant) factos complent, & in Hispaniolam insulam transmittunt. Sed prӕterquam quod mediterranei homines (quippe qui remotis ab Oceano terris ferè capiantur) nauigandi tædium ægrè tolerantes: ad hæc cõferti stipatíque in carinis sub tabulatis nauium, inter putidas sentinæ sordeis, nauseásque & reliqua excrementa corporum, ceu pecora, in fæce ac stercore cõputrescunt: etiam non rarò, in summa maris malacia, tanta aquæ & ceteri victus penuria laborant, vt fermè omnes siti, fœtore atque æstu anima interclusa fœdum in modum exspirent. Quibus ex rebus hodie totus ille tractus & ora Pariensi sinui circumiecta ab Hispanis deso lata est. Quum enim iam neque vniones, neque aurum ibi reperiatur, & piscatio margaritarum finem cœperit, nulla Hispanis spes quæstus, nisi ex mancipiis, superest, quæ & ipsa hodie pauca sunt. Earum enim regionum incolæ pristinæ libertati Cæsaris beneficio restituti, aliò demigrarunt.

1 Axi, *planta vulgò nota in insulis & continenti Indiæ Occid. cuius fructu Indi per totum annum, pro condimento & pipere vtuntur.*

2 De *primo huius coloniæ conditore, & cur ita dicta sit, infra huius lib. c. 22. De eius situ lib. 2. c. 9.*

¶ *Indi Hispanos mortales esse, quomodo deprehenderint, quum immortales esse crederent.*

CAP. IIII.

NVNC ad Amaracapanam reuertor, quò, paucis postquam eò veneramus diebus, Regiæ San Dominici curiæ mandatum allatum est. Ea iubebat Hieronymum Ortalum præfectum propter delictum ab ipso commissum, corripi, & firmo cum præsidio tutò in Hispaniolam perduci. Quare expeditionem illam promissam effluere sinens, spem quoque diuitiarum quam mihi sæpe fecerat, secum abstulit. Sed me præterea ex cæli mutatione, insolentia ciborum & vehementiore æstu affectum, quum adhæc malè cubando multum humidi terreni traxissem, morbus corripuit: ac nisi vir vnus extitisset, qui meas miserias respiceret, res meæ in perditissimo statu hauddubiè erant. Is Antonius Castellanus fuit, sacerdos Gallus, nobilis, summa vir comitate ac liberalitate, quam decora & plena dignitatis corporis species honestabat, quæ res ei omnium beneuolentiam ac reuerentiam conciliauerant. Is me in Amaracapanæ portu naui impositũ in insulam Margaritam misit, iussítque ibi aduentum suum opperiri, vbi maximam partem seruitiorum suorum & facultatum habebat: móxque vt eò venit, tanta in me charitate ac beneficentia vsus est vt si ex eo natus essem.

Galli erga Italum in India benignitas.

Neque

Neque enim tantùm ſex menſes domi ſuæ me dilecti filij loco habuit & curauit, ſed recepta quoque valetudine inde abire volentem comiter dimiſit, rebúſque omnibus ad nauigandum neceſſariis copioſiſſimè inſtruxit.

INDE quum carauella vna mancipiis onuſta ſoluiſſemus, & oram legendo promontorium ſeu Caput-Veli circumuecti, altum non ſine magnis laboribus propter ſummam maris tranquillitatem traieciſſemus, tandem Boriquenam inſulam tenuimus: quæ ab Hiſpanis vulgò S. Ioannis dicta, etiam propter ingentē auri & argenti vim in ea repertam, S. Ioannis de Portu-ricco, id eſt diuite, nuncupata eſt. Quum primò Hiſpani eam inſulam ſubigere aggreſſi eſſent, inſulares eos immortales eſſe pro certo habebant: eius rei periculum facere vnus è primoribus inſulæ regulis aliquando conſtituit: dat negotium famulis vt Hiſpanum quemdam, hoſpitem ſuum, perlatum ad flumen, tandiu pede vno retentum ſub aqua mergi ſinerent, donec extingui poſſet ſi mortalis eſſet. Illi ſic demerſum & ſuffocatum Hiſpanum humeris ad herum deferūt: is quum haud dubiè mortuum eſſe videret & tali experimento iudicaret ceteros quoque mortales fore, iniuriis Hiſpanorum accenſus, à quibus auarè ac crudeliter habiti erant, in eos cum ceteris regulis coniurat. Illi in Hiſpanos necopinantes vnà impetum faciunt, & centum quinquaginta trucidant, qui per inſulam palati & auro legendo intenti erant: ac ne vnus quidem cladi ſuperfuiſſet, niſi Di-

Indi Hiſpanos mortales eſſe quomodo deprehenderint.

dacus Salazar cũ noua manu laborãtibus ſubſidio veniſſet. Ex ea inſula, vbi dierum aliquot quiete recreati eſſemus, ſoluentes, breui in Hiſpaniolam appulimus, atque in ciuitatem San-Dominici venimus. Ea prima terra ab Hiſpanis in illis regionibus frequentata, & colonia condita eſt.

¶ *Chriſtophorus Columbus Genuenſis primus Indiæ Occid. repertor, vtcumque Hiſpani eam laudem alteri tranſcribant.*

CAPVT V.

Splendida fabula de primo Indię occid. inuentore.

IAM verò quis incognitas quondam eas terras primus aperuerit, inter ſcriptores non ſatis conuenit. Primum Franciſcus Lopez de Gomara in ſecunda parte Hiſtoriæ generalis Indicæ in hanc ſententiam ſcribit: Nauclerus quidam in Oceano noſtro celoce nauigans, flante diu „ & vehementer Apeliote raptus, quum vento „ obſequi ei neceſſe eſſet, in regiones incogni- „ tas delatus eſt, quæ neque in Coſmographi- „ cis vllis tabulis notatæ, neque in indicibus na- „ uigatoriis extarent. Inde ægrè in Hiſpaniam „ reuerſus, tribus tantùm aut quatuor nautis „ ſuperſtitibus, in ipſo portu morbo exſtinctus „ eſt, quem ex miſeria, fame, ſiti, ceteríſque in „ tam longa nauigatione perpeſſis malis, con- „ traxerat: neque vllam aut nominis aut patriæ „ ſuæ memoriam reliquit. Quamquam ne id

quidem

quidem ipsius culpa accidisse putandum est, "
sed aut quorumdam malitia, aut eius inuidia "
quam Fortunam vocant. Eum nonnulli Tur "
detanum seu Vandalũ fuisse tradunt, ac tum "
mercaturas factitare solitum in Canariis in- "
sulis & Madera, quum ei longus ille & exitia- "
lis error obtigit. Alii Cantabrum ferunt, in "
Anglia & Gallia negotiantem. Sunt etiam "
qui Lusitanum fuisse contendant, qui tum ad "
Minam (vt vocant) vel in Indiam nauigaret, "
aut inde rediret. quod quidem commodè qua "
drat nomini nouis hisce terris imposito. Præ- "
terea dicunt nonnulli Nauclerum istum cara- "
uella vna appulisse in Portugalliam: alii in "
Maderam, aut aliquam Hesperidum: nemo "
tamen ea de re certi & explorati quidquam af- "
firmat. Omnes tantùm in eo vno consentiunt, "
quòd videlicet Nauclero illo apud Christ. "
Columbum exstincto, penes eum defuncti "
hospitis aduersaria, chartæ, & indices omnes "
remanserint, atque in iis relatio tam longin- "
quæ nauigationis cum designatione Paralleli "
& Climatis eius oræ tum primùm repertæ. "

Et paulò post: Principiò Columbus naui- "
culariam exercuit, & multis annis Syriam a- "
liásque Orientis oras obiit. Inde indices ma- "
rinos seu chartas nauigatorias conficere ag- "
gressus, atque eius artis peritiam consequu- "
tus, vnde fortunam & opes postea nactus est, "
Portugalliam adiit vt Australia Africæ litora "
& quæcumque tum Lusitani nauibus perlu- "
strabãt, cognosceret, atq; ita nõ parua accessio "
ne auctis & illustratis Indicibus suis maiorem "

" autoritatem preciúmque conciliaret. Postremò in eo regno vxorem ducit, vel (vt nonnulli tradunt) in Madera insula, vbi tum, opinor, commorabatur quum dicta antè carauella applicuit. Ibi ergo quum esset, nauis eius fortè magistrum eò ex diuturno errore appellentem domi suæ excipit: is Columbo omnem nauigationis suæ historiam exponens, quidquid de oræ à se repertæ situ & parallelo comperat, aperit, contendítque vt nauigatoriæ paginæ quam ab eo emebat, nouæ illius terræ specimen simúlque eius nomen à quo inuenta esset, adscriberet. Interea Nauclerus ille moritur: indicium & relationem eius terræ Columbo relinquit. inde Columbus primùm nouæ illius Indiæ notitiam habuit. *Idem scriptor postea subiungit:* Nequid intactum prætermittam, sunt qui Columbum linguæ Latinæ & Cosmographiæ peritum fuisse affirmēt. Quúmque Platonis Timæum & Critiam legisset, vbi ille ingentis cuiusdam insulæ Atlanteæ meminit, & obrutæ aquis terræ quæ Africam & Asiam amplitudine excederet, eo impulsum ad vestigandas Antipodum terras & auream illam Marci Pauli Cipangon. Adhæc legisse apud Aristotelem, vel Theophrastum, in libro De mirabilibus, negotiatores quosdam Carthaginienses, à freto Herculeo in Occidentem & Meridiem nauigantes, tandem multis exactis diebus in vastam quandam insulam peruenisse, desertam illam quidem & incolis vacuam, sed rebus tamen humanæ vitæ necessariis abundè instructam, & fluuiis naui-

gabilibus

gabilibus perfusam.

Mox *idem autor satis fidenter:* Equidem Columbum (*inquit*) si suo marte & ingenio vbi esset noua India cognosset, multò antè quàm in Hispaniam veniret, de ea peruestiganda cũ suis Genuensibus acturum fuisse existimo, qui tum negotiandi caussa totum orbem peragrabant: sed tale quid aggredi ei numquam venit in mentem, donec cum Nauclero illo Hispano egit, qui eam tempestate maris actus repererat.

Christophorus Cōlũbus primus Indię Occid. inuentor.

Sed hæc vt fabulosa & indigna fide refellere, non magni operis est. Petrus quidem Martyr Mediolanensis, in eo quem de his conscripsit libello, Columbum ea de re cum ciuitate Genuensi egisse ante omnia testatur, simúlque causam commemorat quæ eum ad vestigandas illas oras impulerit. Eius verba hæc sunt: Quum Columbus (inquit) pro suo more ac instituto, trans Gades in Portugalliam & omnem illam Oceani oram nauigaret, sæpenumerò animaduertit, & quidem multa cum cura & diligentia obseruans, vẽtos quosdam statis anni temporibus ab occasu flare cõsueuisse, qui multos dies constanti & æquabili tractu spirarent. Quos quum non aliundè quàm ex transmarina aliqua ora, cuius halitu gignerentur, proficisci posse iudicaret, tamdiu circa eam rem cogitando animum versauit, vt eius certitudinem quærere aliquando constitueret. Ergo annos natus fermè XL. Senatui & populo Genuensi coram sua consilia exponẽs spopondit se si à ciuitate aliquot nauibus in-

Colũbus quibus cõiecturis Nouas terras deprehenderit.

" ſtrueretur, Herculis columnas præteruectum
" tamdiu in Occidentem nauigaturum, donec
" orbem circumuectus in aromatũ feraces in
" ſulas perueniret. Sed eius rei inceptio tum primùm audita incredibilis videri omnibus, qui-
" bus videlicet nihil tale vmquam ne ſomnian-
" tibus quidem veniſſet in mentem, & nihil ta-
" men eorum quæ ad nauigandi artem perti-
" nent, ignotũ eſſe videretur. Itaque omnes hãc
" Columbi commentationem, ceu inanam fa-
" bulam aut ſomnium, reſpuerunt: etſi fortè ac-
" cepiſſent veterum ſcriptorum alicui proditũ
" de quadam ingentis magnitudinis inſula, quæ
" multorum dierum in Occidentem nauigatio-
" ne à Gadibus diſtaret.

HAVD equidem dubitem eam ipſam fuiſſe cauſam qua impulſus Columbus nouas illas terras quærere aggreſſus ſit: vnde facilè exiſtimare licet Gomaram multis argutis cõmentis veritatem permiſcere ac corrumpere conari, & quidem eo conſilio vt immortalem Chriſtophori Columbi famam imminuat. Quippe ægrè multi patiuntur, peregrinum hominem, & quidem è noſtra Italia ortum, tantum honoris ac gloriæ conſequutum, vt non tantùm Hiſpanicæ gentis, ſed & cuiuſuis alterius, homines ſuperauerit.

NON alienum fuerit hoc loco quiddam narrare quod Columbo in Hiſpania, vti accepi, contigit, poſteaquam iam Indiam repererat (etſi enim id olim quoque aliquando eſſet factum, recens tamen hoc inuentum, eius eſt) Quum fortè Columbus celebri conuiuio cũ multis

multis nobilibus Hiſpanis adhibitus eſſet, & inter eos (vt fieri ſolet) de India ſermo ortus eſſet, vnus eorum ita eum alloqui cœpit: Domine Christophore (inquit) etſi tu Indiam non reperiſſes, non defuiſſet tamen in hac noſtra Hiſpania, qui idem ac tu tentaſſet, vt quæ multis magnis viris & ingenioſis abundet, Coſmographis & litteratis. Ad ea Columbus nihil prorſus reſpondit: ſed ouo afferri in triclinium iuſſo & menſæ impoſito, verſo ad omnes ſermone: Agedum, inquit, domini mei, cum quolibet veſtrûm depoſito in cœnam pignore certo, neminem eorum qui hîc ſunt facturum ouo iſto quod ego facturus ſum, nempe vt nullo nixum adminiculo, ſtans & erectũ in pedem ſuopte nutu maneat. Experti ſunt omnes, neque vlli eorum ſucceſſit: ſed quum circumacto orbe ad Columbi manus perueniſſet, ipſe ouum, altero eius faſtigio menſæ illiſo ac leniter quaſſato, rectum firmúmque conſtituit. Ea res omnium animos verecundia pupugit, poſtquam vtique illis patuit quid ſibi tacitis ambagibus vellet: Nimirum, id poſtquam primus ipſe tentaſſet, iam apertum omnibus & factu facile eſſe: debuiſſe ipſos potius principes Indiæ quærendæ viam rationémque inire, nec ſe ridere qui primus id experiri auſus eſſet, ſicuti antè id cœptanti mirabundi illuſiſſent, quaſi rem impoſſibilem aggredienti.

Colũbus mordaces inuidorũ in ſe ſermones ingenioſè repercutit.

¶ Christ. Columbi constans quærendæ Indiæ nouæ propositum, atque vt diu irrita spe, tandem à Ferdinando Castellæ rege classe instructus, voti compos fuerit.

CAP. VI.

NVNC, vt ad institutum reuertar & exequi pergam quomodo hæc India primùm à Columbo inuenta fuerit: vt cognouit ipse ad tam præclari operis inceptum suscipiẽdum in Genuensibus parum opis sibi esse, transgredi vlterius in Occidentem statuit: spe haud dubia fore vt ab aliquo principum, quorũ ibi diuitiæ atque opes inclytæ essent, rebus ad eas quas ardenter deperiret terras explorandas necessariis aliquando instrueretur. Itaque in Portugalliam concedens, inde fratrem suum Bartholomæum ad Henricum VII. Angliæ regem mittit, qui fauorem & naues Indiæ vestigãdæ peteret: promittens se breui ex terris illis incredibiles diuitias allaturum. Sed Bartholomæus inde irrita spe & sine ope rediit. Itaque cum Alphonso V. Portugalliæ rege Columbus eã rem communicat, eúmque supplex rogat, vt sibi naues aliquot armis & cõmeatu instructas tradi iubeat: se verò fidem ac iusiurandum dare, tamdiu in Occidentem nauigaturum, quoad ditissimas auri, gemmarum & aliarum deliciarum quibus precium est, prouincias inueniret. Verùm

Columbi diuturna perseuerãtia in suo de quęrenda India proposito.

rùm ſicuti Columbus à Genuenſibus ſuis pro vano habitus erat, ab Anglis ridiculus, ita tum quoque à Luſitanis pro futili & deliro circulatore deriſus eſt. Erant tum in Luſitania homines, qui Coſmographicam artem profitentes, nullam ſe eius partem ignorare arbitrarentur. Itaque ſuperciliosè Columbum deſpicientes, regi ſuadebant, ne quam peregrini hominis ſomniis fidem adhibere vellet. Quippe amentem eſſe: neque in Occidente aurum, aut diuitiarum quidquam exiſtere poſſe, veluti exploratum affirmabant. Imo neminem ſubiectam Æquinoctiali lineæ plagam tranſgredi poſſe, quin immodicis ſolis ardoribus torreretur, ſiquidem eo in ſpatio maiorem ęſtus eſſe vim, quâ perpetua inter duos Tropicos ſolis orbita & curſus eſt.

COLVMBVS vbi in Portugallia ſe ac verba ſua ludibrio eſſe vidit, in Caſtellam profectus aulam Ferdinādi & Iſabellæ regum adit, eíſque ſuas cogitationes, vt ceteris, exponit, ſimúlque eas quam efficaciſſimis poteſt rationibus, exemplis & teſtimoniis confirmat. Sed illis, etſi principia ipſa primò arriderent, incredibilia polliceri videbatur. Tandem conſumtis aliquot in aula annis, quum in propoſito conſtanter perſeueraret, & tantæ rei ſpem exemplis & demonſtrationibus euidentiſſimis confirmaret, ad extremum quorundam Hiſpaniæ procerum ope atque interuentu aditum ad Iſabellam reginam obtinuit. Itaque tēpus familiariter cum ea colloquendi nactus, adeo firmiſſimis rationibus eam labefecit, vt

dictis suis assensum fidémque præbere cogeret: donec tandem persuasa promitteret se ea de re cum Rege acturam, omníque ope atque opera enixuram nequid illi rei ad inceptum illud exsequendum necessariæ deesset. Quamobrem breui, Deo bene iuuante, & magnanimæ eius Reginæ supplicatu, Rex Ferdinandus liburnicam vnam & duas carauellas Christophoro Columbo instructas & armatas tradit.

Prima Christ. Columbi in Indiam nauigatio.

IPSE, cum Bartholomæo fratre, ineunte Augusto, anno M. CCCC. XCII. è Calicio portu vela in altum faciẽs, Gomeram insulam tenuit, quæ vna è septem Canariis est. Ibi aliquot dies commoratus, vt aquam & cetera inde necessaria sumeret, cœptum iter, Occidentem solem sequutus, peragere institit.

PORRO quum emensa dierum aliquot nauigatione nondum terra vlla in conspectu esset milites in Columbum fremere incipiunt: ille mitigatis eorum animis, trigintaquinque dies nauigando extrahit, neque vlla tum quoque terræ nota aut indicium apparebat. Itaque socij apertè Columbo minari & probra pro se quisque ingerere, Genuẽsem impostorem & planum palàm vocitantes. quippe nescire eum quorsum tenderet aut quò appelleret, & se eius ductu in certam perniciem ruere. Hîc Columbus pro virili simul rationes suas firmare, simul eos precari, orare ne animis per impatientiam deficerent: sibi spem esse, Deo bene iuuante, breui terram nouam in conspectu fore.

Colũbi in toleranda Hispanorũ impatiẽtia inuictus animus.

His tum vocibus ſedati, quum aliquot præterea dies nauigaſſent, neque vlla tellus occurreret, fremitum in nauibus redintegrant, & ſe reduci iubent: alioqui pertinacius vltra tendentem in mare proiecturos. quippe vlterius progredientibus non ſuffecturos commeatus, maximè aquam, quæ in Hiſpaniam reuerſuris neceſſaria foret. Ad extremum eò res rediit, vt promitteret reuerſuros niſi intra triduum terram vidiſſent, interea perſpicuè oſtendens non tantùm ſuffectura ad reditum alimenta, ſi moderatè vti vellent, ſed multo etiam longiùs. Itaque proſperè iter exſequi pergens, poſtridie eius diei demitti vela iubet: ac credibile quidẽ eſt, quum id diceret Columbus, haud procul terra affuiſſe, ídque ex cæli conſpectu deprehendiſſe, aura, & nubeculis quæ circa orientem ſolem in horizonte apparerent: aut certè inſtinctu quodam ingentis & inuicti animi.

Nocte quæ eum diem ſequuta eſt, nauta quidam Lepienſis, è ſummo mali faſtigio alta voce proclamans, Ignem, inquit, ignem proſpicio. Tum eueſtigio excipiens adoleſcẽs quidã, Non diu eſt, inquit, quum mihi dominus meus Columbus id ipſum dixit. Nauta ipſe ingenti lætitia & ſpe auctus, haud dubius ſe, ſimulac Hiſpaniam attigiſſet, tam fauſti nuncii à Rege præmia laturum, quòd primus viſi ab ſe ignis è naui ſignum dediſſet: poſtquã indonatus abiit, ira & dolore victus profugit in Africam & Chriſti fidem exuit.

¶ *Columbus noua India reperta, primò ingenti Hispanorum gaudio, mox inuidia & calumniis excipitur. Cubam & Hispaniolam detegit. Indi Hispanos amicißimè excipiunt. Hispani indos auro & ornamentis, per speciem amicitiæ, spoliant.*

CAP. VII.

IAM quanta omnes voluptate perfusi fuerint, postquam nouam eam terram conspexere, nemo d.cendo assequi posſit. Alii vix præ gaudio mentium compotes, nouam oram intuendo explere oculos non poterant: aliqui perfusi lacrymis Columbum amplectebantur: nonnulli venerabundi manus eius deosculabantur, & qui eum offenderant, ignorantiæ petebant veniam: denique omnes sese admirandæ ipsius virtuti humiles seruos ac deuotos ferebant. Interea Columbus demitti scapham in mare iubet: egreditur in terram: & deiecta arbore crucem ex ea factam in nomine D. Iesu Christi crucifixi in litore statuit: & Noui illius mundi ius ac possessionen Regum Catholicorum nomine vsurpat. Hoc modo Columbus propria virtute atque ingenio, secundùm Dei gratiam, primus Indiam nouam aperuit.

Columbo inuidia ex gloria oritur.

NEQVE minus tamen ex tam mirabili opere, cuius ipse autor & effector extitit, mille in eum inuidorum calumniæ exortæ sunt vti mox dicam. Primùm enim Regii fisci procuratores, postquam in Hispaniam reue-

reuenerat litem ei intenderũt, iam à fratribus Pinzonibus Martino & Francisco duarum carauellarum magistris, apud Regem accusato, quòd, nisi ipsi à fœdo incepto deterruissent, regredi in Hispaniam ex itinere, non visa India, parasset.

CETERVM, possessione Indiæ, vt diximus, vsurpata, quum ibi diutius morari Columbus operæprecium non duceret, quòd ea insula in quam appulerat, exigua esset: regressus in naues vlterius prouehitur & multas alias insulas detegit. Quum in Cubæ litora exscensionem fecisset, eam Fernandinam in memoriam gratiámque Ferdinandi regis nuncupat. Ibi haud satis libenter ab insularibus conspectus est: quúmque interea fortè mare turbari cœpisset, & ipse quòd in statione non satis tuta & fida nauibus esset, mutueret ne tempestas nauigia, ad scopulos allisa frangeret, subitò soluendi signum dedit.

Fernandina insula, vulgò Cuba.

INDE prouectus in Haytin insulam appellit, quam Hispaniolam numcupat: sed ibi iactis in portu ancoris, quem Regium nominauit, Prætoria nauis scopulo icta frangitur: quotquot tamen ea vehebãtur homines cum maxima commeatuum parte, duarum carauellarum ope naufragio erepti sunt. Indi complures per omnem litoris oram sparsi naues mirabundi spectabant, sed simulac egredientes in terram Christianos viderunt, correpti formidine, celeri fuga dilapsi sunt. Hispani cursu vnam ex iis feminam assequuti ad Columbum perducũt: ille mulierem cibo potúq;

Hispaniola insula, vulgò Hayti.

expletam, eleganti & mundo indusio vestiri iubet: mox signis edoctam iussámque ire ad suos eósque hortari vt fidenter & sine vllo metu ad naues venirent, dimittit. Illa abit: Barbari feminæ circumfusi, eam inusitato cultu vestitam non sine ingenti stupore aspectabant. Illa Columbi comitatem & munificentiam in se inter populares prædicat: ceteri huius verbis adducti, præterea nouæ gentis barbatæ & vestitæ videndæ cupidine, certatim lintribus suis carauellas circumdant.

Cælū non animum, mutant, qui trans mare currunt.

IBI gaudium ingens pertentare Hispanorum animos cœpit, quum neminem in tanta Indorum multitudine viderent, cui non aurum & argentum in brachiis, collo & auribus fulgeret: mox etiam ea petere ab Indis vltro incipiunt: & illi, qui eas res parui facerent, cuilibet liberaliter & hilariter dabant. Columbus quum tantum Indorum in nauibus videret quantum vix illæ capere poterant, in terram cum multis Hispanis euadit. Ibi quum ab eius loci Cacico (ita regulos patrio idiomate appellant) cui nomen Guacanarillus, summa comitate exceptus esset, muneribus inuicem datis acceptísque ambo fidem futuræ amicitiæ sanxere. Eum Columbus indusiis, pileolis, cultellis, speculis, crepitaculis & tintinnabulis, donauit: Cacicus contrà satis magno auri pondere eum remunerans, è suis aliquot misit cum lintribus patriis (illi Canoas vocant) qui ad efferendas in terram res & onera fractæ nauis Hispanis

Diomedis & Glauci permutatio.

operam

operam darent. Quam quidem illi adeo amico animo & propenso studio præstiterunt, vt si suæ illæ res essent.

¶*Indi de funesto Hispanorum in suas terras aduentu dæmonum oraculis moniti. Prima colonia Hispanorum. Columbus in Hispaniam reuersus præmiis augetur.*

CAP. VIII.

MIRABILEM insulares illi Indi cuiusdam [1] oraculi memoriam tenebant, inde à patribus traditam, quo vera & futura prædicebantur: Non multis videlicet ab illinc annis venturam in eas oras barbatam gentem, quæ simulacra deorum terræ allideret, & filiorum ipsorum sanguinem effunderet. Hoc si certè tum illis venisset in mentẽ, non tam festo cum triũpho & lætitia aduenientes Hispanos excepissent.

CETERVM quum peteret Columbus vnde metallum illud fuluum nanciscerentur, illi nutibus, & signis demonstrabant, è quibusdam fluminibus meditertaneis peti, qui ex altissimis montibus decurrerent. Affluebat interea quotidie ex omnibus locis noua eius gentis & copiosa multitudo, vt inusitatas nostrorum hominum barbam gestantium formas cultúmque viserent: fructus, pisces, aurũ, panem & alia alimenta, vndique afferentes: ac

Indi, quã-quã simię, semen tamen aliquod pietatis sibi inesse ostendunt.

ſimiarum more veſtigia ritúſque Chriſtianorum imitantes, quoties hi genua flexerant, flectebant & illi: Chriſtiani reuerenter oculos in cælum ſuſtulerant: Indi pariter & ipſi tollebant. denique quidquid ab Hiſpanis ad recitandum Aue Maria manè & veſperi conuenientibus fieri ſoleret, itidem & ab iſtis fiebat.

COLVMBVS ipſe non mediocri lætitia affectus propter nouas illas repertas terras, auri adeo & argenti feraces, quum Hiſpaniam repetere & alterius inuenti mundi nuncium ipſe Regi ferre cuperet: cum bona Cacici gratia domum coctili laterculo exſtruit. Eo loco duodequadraginta Hiſpanos relinquit, qui ad reditum ſuum res inſulæ ſedulò & accuratè explorarent: præmonitos vt in omnibus prudenter & modeſtè ſeſe gererent. Hæc prima domus ab Hiſpanis in India exſtructa eſt: Columbus cum reliquis ſoluit, inde ſecum ſex Indos, omne aurum quod à Cacico acceperat, Pſittacos aliquot, Maizii paniculas (quæ vna Indicarum frugũ eſt) & alia Indiæ peculiaria & noua referens. Proſpero curſu & incolumibus omnibus in Hiſpaniam peruenit, præterquam duobus Indis qui in itinere exſtincti ſunt. Appulſum Rex & Regina quàm honorificentiſsimè exceperunt, conſidere eum coram ſe iubentes: & in aula quidem Indos ab eo aduectos quòd prorſus nudi eſſent, mirabundi omnes intuebantur: nec minus ipſi quoque Indi obſtupeſcebãt, quum Regem & aulicos veſtitos cernerent. Rex verò

Primæ coloniæ in India Occid. ab Hiſpanis conditæ rudimentum.

verò Columbum insignibus honorum titulis auctũ summum Oceani Præfectum designat: (Almirantem vulgò appellant) & ei omnium regiorum ex India redituum decimam attribuit. Bartholomæum quoque ipsius fratrem Hispaniolæ insulæ præficit.

1 QVOD *de Oraculo illo scribit, ita se habet. Cacici & Bohitij (id est Reguli & Sacerdotes) penes quos antiqua rerum quondam gestarum vel dictarum monumenta à patribus sine literis tradita manent, Christophoro Columbo & Hispanis narrabant, Garionexij Cacici patri & alteri cuidam Regulo cupidinem quondã ortam sciscitandi è Zemibus (id est numinibus suis) quid post sua tempora euenturum fata portenderent. Id porrò, vt extorquerent ab Idolis, quinque dies continuos ab omni cibo & potu abstinuisse, tempúsque illud perpetuo in luctu & lacrymis egisse. Ergo his ritè peractis, tandem respondisse Zemes, Quanquam fata in occulto teneri à Diis & futura celari homines satius esset, moueri tamen se ipsorum religione vt ventura panderent. Itaque scirent venturam non multos post annos ad eam insulam peregrinam gentem: viros vestibus amictos, promissa barba, & gladiis micantibus accinctos, quibus medium hominẽ vno ictu secarent, qui vetera Deûm simulacra solo alliderẽt, priscos sacrorum ritus & ceremonias abolerent, liberos eorum vel mactarent, vel libertate sublata in omne scelerum genus corrumperent. Tam horribilis oraculi carmen memoriæ vt proderent, flebilem quandam cantionem (quam Areito vocant) velut elegiam, composuere: eã diebus atris*

& festis quibusdam tristibus lugubri & querula voce canebant. Ceterum ita postmodum euenere omnia uti prædixerant Zemes, & canebant Sacerdotes: sicuti sequentia docebunt.

¶Secunda Christophori Columbi in Indiam nauigatio. Hispaniola sanguine Hispanorum imbuta. Isabella colonia à Columbo conditur. Indorum aduersus Hispanos tumultus.

CAPVT IX.

COLVMBVS omnem Regi itineris & rerum ab se gestarum successum exposuerat: & præterea gradu ex ea insula facto, amplissimas & ditissimas alias oras aperturũ se promiserat. Itaque Rex trium Liburnicarum & quatuordecim carauellarum classem instrui iubet, & in eam vltra mille ac quingentos homines imponi, maximam partem mechanicarum artium opifices, & quidem earum quæ illi terræ maximè necessariæ essent. Columbus præterea equis, bubus, ouibus, suibus, capris, fœminis maribúsque ad propagãdam eius generis stirpem: deinde hordeo, frumento, leguminibus, & omnis generis plantis ac frugibus, in naueis prouisis & collatis: secum etiam sacerdotes & monachos abduxit, qui gentes illas Christiana religione imbuerent. Postremò rebus omnibus necessariis munitus instructúsque, anno M.CCCC.XCIII, die secunda Septembr. è portu

portu Calicio ſoluit.

COLVMBVS, iam Almirans regius, in Indiam renauigans, multo alacrius quàm prius ſecabat fluctus, quatuor Indos reuehens quos Rex baptiſari curauerat: & Canarias inſulas præteruectus, paulo magis læuorſum quàm priore nauigatione curſu in Africum inflexo, Deſideratæ inſulæ conſpectum habuit. Ea prima (vti antè dictum eſt) illi à Canariis occurrit tellus: ſed neque in vllam eius oram egreſſus, neque vllo eius portu tacto, magna cum alacritate & Hiſpaniolæ deſiderio cœptum iter perſequutus eſt. Eam vbi claſſe tenuit, longè alio ſtatu reperit quàm reliquerat. quippe omnes Hiſpanos ab eo depoſitos Indi ad vnum mactauerant. Almirans eueſtigio legatis ad Cacicum Guacanarillum miſſis, ſciſcitari iubet, quænam cauſa mortis ſuis hominibus fuiſſet. Ille nutibus atque aliis ſignificationibus quibus mentem ſuam vtcumque exprimere poterat, reſpondens, multum & grauiter conqueſtus eſt: Hiſpanos poſt eius diſceſſum, ſuorum coniuges ſtuprare, eóſque ipſos fuſtibus atque indignis aliis modis accipere, cœpiſſe, neque illos tamen à ſuis vllo dicto factóve eſſe violatos: ſed veniſſe quendam nouum Regulum, quales multos potentes haberet ea inſula, qui barbatos homines ſedes in ſuis finibus capientes atque ædificia molientes nactus, veritúſque ne inſulam totam aliquando ſubigerent, omnes ad vnum trucidaſſet. Se quidem, quum caſam Hiſpanorum conflagrātem vidiſſet, ad opem

Hiſpani maturè Indiam ſtupris & latrociniis, mox etiā ſuo ſanguine, nobilitant.

ferendam pro officio accurrisse. Sed meæ vi-
„ res (inquit) parum valuerunt: & graui vulne-
„ re ictus sum, vt videtis. Simul hæc dicens, crus
fascia bombycina inuolutum ostendit. Sed
hæc simulata omnia & falsa erant, quemad-
modum postea Columbus cognouit, Hispa-
nis eò missis, qui fasciis solutis & inspecto
Cacici crure, nullum vulneris aut cicatricis
vestigium vidisse se retulerunt. Atque inde
illis haud dubia suspicio, Guacanarilli consi-
lio atque opera Hispanos interemtos & ca-
sam incensam fuisse, quòd illi, aurum vi extor-
quendo, feminas constuprando, & alia fœda
faciendo, nullis verborum ac rerum contume-
liis in Indos parcerent. Plerique Christo-
phoro Columbo suadebant vt hanc iniuriam
vlcisceretur: sed ille veritus ne maius detri-
mentum acciperet, vt qui vires atque opes
indigenarum nondum penitus nosset, cohi-
bere se maluit & vltionem meliori occasioni
seruare.

INTEREA è nauibus secundò in eam ter-
ram egressus, cum suis principiũ coloniæ de-
dit, quam in memoriam Isabellæ reginæ Isa-
bellam vocauit: mox ad Cibaui aurarias (is lo-
cus est insulæ vnde aurum effodiebatur) arce
exstructa, munimento valido & ad impetus
Indorum arcendos idoneo, Bartholomæum
fratrem insulæ Præfectum relinquit. Ipse tri-
bus carauellis ad nouas terras vestigãdas pro-
fectus, Cubæ latus Meridionale, & Iamaicam
& alias insulas, aperuit. In aliqua earum litora
exscensu facto, à nonnullis populis æquis ocu
lis

Isabella, colonia.

lis visus est: mox inde Hispaniolam repetens, cõmodũ nactus portũ S. Nicolai nomine insignem fecit. In eo portu iactis ancoris Almirãs constitit, tum vt suis tempestiua quieta refectis, tum vt carauellis instauratis, quæ iam omnibus compagibus multam aquam acciperẽt, mox inde ad delendos Caribas, & exurendos eorum lintres moueret.

SED tum forè graui morbo correptus, eam expeditionem omittere in præsentia cogitur, & in Isabellam valetudinis causa portari: vbi multos Hispanos vita functos, alios morbis implicitos reperit. alii quibus valitudo integra supererat, Bartholomæi fratris eius imperiis parum obedienter acceptis, non paruum tumultum mouerant. Cacici præterea aliquot propter iniurias, raptus, homicidia, rapinas, ceteráque ab Hispanis multis insulæ partibus perpetrata flagitia facinoráque, sumtis armis rebellionem cœptauerant.

QVINETIAM maxima pars Insularium, non tantùm inculta rura, nulla frugum suarum semente facta, reliquerat, sed quidquid etiam in agris vsui esse poterat, id omne vastarant ac corruperãt, vt nudum & sterile solum Hispanis obiicerent: sperantes peregrinam gentem, vbi nihil victui idoneum reperisset, tandem insula excessuram: imò ipsi quoque adeò quum indignis modis habiti tam miserabilem seruitutem pati non possent, abiecta spe & omnibus vitæ solatiis, vulgò inedia seipsos necabant. Columbus, sumto à prudentia

Insulares Indi Hispanis famem relinquunt.

Hispanorum tyrãnis Indis intoleranda.

consilio, in omnes Hispanos seditionum autores & scelerum compertos vltimo supplicio animaduertit, & Cacicos ipsos quacumq; ope potuit reconciliare sibi studuit. Ex ea seueritate, tantum Hispanorum in Almirantem odium ortum est, vt quum eorum flagitiis & latrociniis indulgere nollet, ne nomẽ quidem eius ęquo animo ferrent. Qua ex re factum est vt multi de eo & fratre eius ad Regem dira & atrocia scriberent, itaque Columbus simulac conualuit, in Hispaniam regressus est.

¶ *Inusitata vis turbinum in Hispaniola. Eius mali causam Indi Hispanorum sceleribus & flagitiis tribuunt. Columbus Hispaniam repetit. Hispanorum ab ipsius fratre secessio, & scelera.*

CAP. X.

PER eos dies mirabilis & prodigiosus quidã casus in illis terris interuenit, quem quia consideratione dignus est, non prætermittã. Nonnulli existimabant humani generis hostem, quum sibi eripi è faucibus tot animas, quę per Baptismum seruandæ essent, ægrè ferret, tãtos turbinum furores, procellásque emisisse. Alii discordias seditionésque ex Indicis spoliis & opibus erupturas, eo ostento portendi arbitrabantur. Vulgi fermè opinio hæc erat, signo Crucis, quod in vexillum salutis erectum ibi fuerat, ex illis insulis violenter eiici, & earum

gen-

gentium diutina velut possessione detrahi tartareos spiritus, quos per tot ætates bruti illi homines pro patronis suis & numinibus coluerant. Itaque dum præcipiti fuga ruerent, tantas strages & portenta edidisse.

PORRO casus eiuscemodi fuit. Ab Ortu tanta ventorum rabies coorta est, qualē nunquam antea Insulares se vidisse aut audiuisse meminerant: in primis vehementissimus quidam Typhon,(quem Hispani Furacanum appellant) tanto impetu irruit, vt cælum simul ac terras rapere secum & miscere velle videretur. Omnes improuiso malo attoniti præsentem mortem imminere sibi ante oculos, confundi elementa,& finem rerum adesse, vulgò pauidi credebāt. Tum verò ingenti sono cælum strepere,& inter horrendos tonitruū fragores crebri micare ignes, aer incendi fulguribus: nox interdiu omnibus noctibus nigrior densiórque adeo vt per obscurum alius alij occursantes, mutuò intueri non possent. Errabundos homines, defixis prę formidine animis & lymphatis similes per vias pérque auia discurrere passim ac peruagari cerneres. Tanta vi interea furentium & horrendo cum stridore colluctantium ventorum, vt iis ab radicibus erutæ arbores, & auulsa montibus saxa magno cum fragore in planum procideren: & ea ruina ingēti villarū mapaliúmque strage facta, multos mortales opprimeret. Solidas verò etiam cum incolis domus furiosi illi turbines sublimè correptas & absorptas dissipauere. Quibus ex malis grauis vndique earum gentium planctus

& mœſti clamores exaudiebantur: paucis horis ingentia detrimenta accepta, vt ne tres quidem naues quæ ad portum ſecurę in ancoris ſtabant, eius calamitatis immunes eſſent. Ancoris enim ipſis, quamquam robuſtis, fractis, & ancoralibus firmis nouíſque truncatis, cum omnibus nauticis profundo merſæ ſunt. Indi complures ſpeluncis abditi diſcrimen effugerunt: inde tamen rei tam nouæ prodigio perculſi adeo & conſternati erepſerunt, vt vix animam reciprocare aut quidquam proloqui poſſent, adeò vocem inuſitatus pauor incluſerat. Sed vt ſe ex tanto terrore collegerunt inſulares iſti, longè aliter ea de re inter ſe diſceptantes ſentiebant ac Chriſtiani. Quippe eius cladis cauſam flagitioſis fœdíſque Hiſpanorum exemplis aſſignantes, cælum infeſtum in eos ruere, & è ſuis terris illos eiicere velle dicebant. Sed hæcne vera fuerit eius rei cauſa, an alia quæpiam, ſapientiorum potius quàm meo vel illorum iudiciis exiſtimandum delego.

Indi de calamitatum cauſis verius quam Hiſpani iudicant.

QVINQVE ab illinc annis duæ aliæ eiuſcemodi procellæ inciderunt, ſed vltima inter paucas memorabilis, totam inſulam mirabiliter conterruit. Quippe omnibus fermè ſatis ſtragem intulit, maximam partem ędificiorum & torcularia ſaccarea euertit: armēta quoque propè omnia & greges fœdè interemit. Et iā Hiſpani fame periclitabantur, ni Deus eorum miſertus naues ex Hiſpania opportunè adduxiſſet, quæ farinam, nauticos panes, & ceteros commeatus abundè ſubueherent.

CETE-

CETERVM Almirans priore illo turbine fractas Celoces extemplo refici iubet, quum eius rei peritos artifices multos & omnis generis fabros haberet: móxque vt illæ instauratæ sunt, ipse quâ strage illa ventorum, quâ Indorum clade stupefactus & confusus, vela in Hispaniam fecit. Quò quum secundo cursu peruenisset, è Calicio portu, per dispositos equos in Regiam profectus, Regi nouas ab se repertas terras exposuit, aurũ & alia rara obtulit: & narratis quæ in Hispaniola acciderant, iudicia quoque & processus Hispanorum in quos legibus egerat, exhibuit: simul malignas obtrectatorum in se calumnias & falsò obiecta crimina diluens. Rex Columbi fide satis comperta, quòd tantum auri aduexerat, vt aliquot etiam palæ librales essent, deinde ex commentariis quæ attulerat actorum eius integritate spectata & probata, eum vltro consolatus gratias quoque pro tantis eius in se meritis atque officiis egit: monuit tamẽ vt in posterum, pœnarum acerbitate remissa, cum Hispanis, qui tam longinquas terras sui obsequij causa peterent, paulo mitius ageret.

MOX duodecim carauellas armari iubet, eásque omni genere commeatus instructas Columbo ad nouam expeditionem attribuit, Ipse confestim duo ex ea classe nauigia ad Hispaniolam rectà tendere iubet, & vt fratrem suum adeant edicit. Illa quum prospero cursu eò peruenissent, fortè ad Occidentalem insulæ partem appulerunt, vbi tum agebat Roldanus quidam Ximenez: quem ex vili & ob-

Seditionũ & ciuiliũ bellorum in Hiſpaniola tentamenta.

ſcura perſona Iuridicialem prætorem deſignatum, Columbus extulerat. Sed is tum multis Hiſpanis in partes tractis, ſeceſſionem fecerat: quum arrogantia contumaci Præfecti imperium exuiſſet, quo licentius omnibus legum frenis ſolutus latrocinia & quælibet flagitia per Inſulam exerceret: quod Præfectus pati non ſuſtinuiſſet. Is appulſis eò vbi tum caſu erat duobus illis nauigiis, Hiſpanos qui in iis erant conuenit, ſolicitat, & Inſularium opes obuias paratáſque oſtentans, docet, ſi ſecum facere vellent, liberrimè omnia barbarorum mapalia peruagaturos, atque inde, nullo impediente, egeſto auro ac rerum precioſiſſimis breui ditiſſimos euaſuros. Qua ſpe labefactatos facilè impellit vt omnem fortunæ ac rerũ ſuarum ſortem cum eo miſcere vellẽt. In primis ergo commeatu quem naues attulerant, auidius ipſe ac ceteri ſe explẽt: inde prædabundo agmine inſulam peruagantes, promiſcua licentia ſpoliare, verberare, occidere: denique nullum genus ſceleris, libidinis, auaritiæ, in indigenas prætermittere.

CACICVS quidam, Garionexius nomine, quum ditionem ſuam omni belli clade à Chriſtianis vri & res ſuas ſuorúmque ante oculos ſuos ferri agíq; videret, iunctis cum alio Cacico (Maraboneſum vocabant) viribus, defendere ſe ab eorum iniuriis & latrociniis ſtatuit. Itaque ſæpe cum Indorum manu,, quos in ſocietatem adſciuerat, è montibus in plana degreſſus, vbi Hiſpani ſtatiua habebant: quoſcumque ex eis capere poterant ipſe ac ſocij,

barba-

barbara rabie excarnificantes frustillatim discerpebant.

¶Columbus tertiò in Indiam nauigat. Cubaguam insulam Vnionum detegit. Frustra Hispanorum seditiones componere laborat. Indos perduelles domat.

CAP. XI.

DVM hi tumultus in Hispaniola agitantur, Almirans è portu S. Lucari soluens cum reliqua classe, anno M CCCC. XCVIII. vigesima octaua Maij, cursum in Maderam direxit. Ea vna est ex septem Lusitanorum insulis quas illi Azorias appellant. Illac autem nauigare multò tutius duxit, tum quia belli id tempus erat, tum maximè propter piratas Gallos, qui iam fama Indicarum opum exciti, prædandi spe maria illa infestabant. Inde præmissis recto cursu ad Hispaniolam sex carauellis, ipse tribus reliquis versus Caput-viride seu Gorgades insulas deflectens, propius Æquinoctialem lineam iter suum direxit, & in ea nauigatione multis malis conflictatus est, tum ob maris malacias, tum ob immodicos ardores, quos mense Iunio media æstas intenderat. Vix tandem quum Indiam attigisset, sinum Pariẽsem ingressus in Cubaguam appulit, quam ipse Perlarum insulam nuncupauit. Cuius nominis origo hæc fuit. Almirans quum eum sinum nauibus percurreret, fortè quibusdam Indis qui è lintre piscarentur conspectis,

Columbi tertia in Indiã expeditio.

Cubagua, insula Vnionum

è nautis ſuis aliquot ſcapha propius ad eos accedere iubet, & ſciſcitari quinam ii homines eſſent, & quas terras incolerent. Nautæ raptim lintrem aſſequuti & in eum transgreſſi, Indis ſeſe adiungunt: atque illi nil conſpectu tunc primùm à ſe viſorũ hominum conterriti, eos etiam, vt pulcros viros, ſumma cum voluptate aſpectabant. Hiſpani oſtreas in piſcatorio illo lintre conſpiciunt: quas, eduleis eſſe rati, quum aperuiſſent, plenas vnionibus reperiunt, vnde maior illis lætitia orta eſt. Peruenerant ad littus: ibi in terram egreſsi, mulieres Indicas vniones pulcerrimos collo & brachiis geſtantes conſpiciunt: & illos quidem ei genti adeò viles, vt in vulgaribus & quotidianis feminarum ornamentis ſimpliciter haberent. Siquidem pro catino fictili, & & eo quidem fracto, quem nauta Hiſpanus Indicæ mulieri dedit, ea illum contrà quatuor margaritarum ſertis ſeu lineis munerata eſt. Ille munere lætus & diues ad naues rediit, omnibus vniones ſuos oſtentans. Qua ex re incredibili voluptate affectus Almirans, clara voce ceteras naues circumuehitur, & ſocios affatus: Nos, inquit, ad ditiſsimam mundi oram appulimus.

INDE propius terræ ſuccedens, Cumanæ fluminis oſtium inuectus eſt. Indigenæ quum viderent carauellas, tantæ molis opera & tam affabrè facta, deinde barbatorum hominum inuſitatam ſpeciem demirantes, inter ſe vulgò dicebant: Quinam aut vnde ſunt iſti homines? Supernè, an ex aqua? Mox quibuſcumque ſciebant

bant aut poterant nutibus ac ſignis, per legatos ab Almirante contendunt vt in ea litora egreſſus, cum ipſorum Cacico congredi velit & ſui copiam faciat: quippe illum eius videndi ac cognoſcendi auidum eſſe. His auditis Columbus, etſi omnia beneuolentiæ ſigna atque indicia præ ſe ferrent, doli tamen aliquid ſubeſſe ſuſpicatus, in terram egredi metuebat. Id poſtquam deprehenderunt Indi, multi eorum carauellas ingreſsi, Almirantis poteſtati ſemetipſos vltro permiſerunt, puram omnino ac ſinceram amicitiam demonſtrantes: neque nauigia tãtùm ipſa, velut diuinæ potius quàm humanæ artis opera, intuebantur: ſed ad omnia armamenta, ancoras, vela, ancoralia, & ſingula nauium inſtrumenta, defixis præ admiratione animis obſtupeſcebant.

ALMIRANS verò ipſos poſtquam omni comitate excepiſſet, abeuntes quoque cultellis, ſpeculis, & tintinnabulis, cæteríſque eiuſcemodi minimi precii rebus muneratus, quã accuratiſsimè potuit ſciſcitando exſequutus eſt, vndénam hæc baccarum & margaritarum dêcora peterent. Illi oram maritimam quæ Cubaguam ſpectaret ſignis indicabant, ibi ſe conchas vnionum feraces piſcari. Itaque Almirans Hiſpanos aliquot egredi in terram iubet: eos Cacicus domum ſuam inuitatos vino epulíſque more patrio apparatis, quamquam ſpurcis, hilariter excipit: qúumque ab illis vniones expeti intelligeret, dat magna copia, vt qui illis abundaret, nec pluris ea faceret quàm apud nos fiunt globuli illi vitrei, quos preca-

torios vocant. Hiſpani tantis diuitiis expleti, ad naues redeunt: Almirans mirificè eo commercio contentus inde ſoluit, & Veli-caput circumuectus, mox traiecto mari breui in Hiſpaniolam appulit, vbi magnos motus & ſeditionum turbas inuenit.

Colūbus fruſtra ſeditiones ab Hiſpanis excitatas cōponere nititur.

IPSE vt omnia componeret, ſcriptis ad Roldanum Ximenem ſeceſsionis autorem litteris, monet hominem vt ſub imperium præfecti volens redeat, neu delinquere pergat & prauis exemplis Indos ipſos auertere. Quippe nō his factis neque ea via ſperandū eſſe vt illi ad fidem noſtram adduci poſſent: neque amplisſimam illam Alexandri VI. pontificis bullā quæ Regibus Catholicis ditioni ſuæ adiicere eas terras permiſerit, eò ſpectare vt nouæ illæ gentes indignis modis habeantur: imò potius vt benignitate & honeſtis exemplis alliciantur ad amplectendam ſanctam fidem Chriſti ſeruatoris & redemtoris noſtri.

Calūniæ Roldani in Columbos fratres.

HAEC Almirantis monita & preces aſpernatus Roldanus, ſectæ caput ac principem ſe gerere perſeuerauit: mox etiam Bartholomæi Inſulæ præfecti actiones apud Regem per litteras criminatus eſt, ſæuitiam ei & tyrānicum imperium obiectans, qui videlicet minimis & leuiſsimis de cauſis homines in patibulum ageret: imò præfectos omnes illos ſuos, ambitioſos & ſuperbos eſſe: neq; ſe ab illis ſeceſsionem feciſſet, niſi poſtquam eos tyrannos, ſæuos, & ſanguinis humani auidos expertus eſſet. Poſtremò Regem quoque ipſum tandē aliquando reipſa cogniturum, ſuæ Maieſtatis

&

& dignitatis inimicum esse Almirantē, ídque vnum moliri vt Insularum imperium occupet. Et iam aurifodinis solos eius familiares & clientes præesse: ceteris omnibus obseptum esse & clausum earum aditum. Iudicia ipsa pro libidine & gratia, non iure & æquitate, ab iis exerceri. Ad hæc Almirantem quoque de reperta Vnionum insula Regem quantum in se esset, celasse, vt clandestina præda solus ipse frueretur, & circumuento per pactum aliquod Rege, ditissimam illam insulam sibi vni seponeret.

ALMIRANS quoque ipse contrà litteras ad Regem componens, pessimam sceleratorum istorum & flagitiosorum hominum mētem & vitam exponit. Quippe istis nihil prorsus pensi esse, nisi vt quotidianis latrociniis, feminarum stupris & omni scelerum genere, libidinem, sæuitiam & auaritiam expleant: perduellionis quoque ac proditionis reos, omni Dei metu ac pudore posito, per omnem insulam latronū instar vagari. Postremò duas carauellas quæ ad fratrem suum Bartholomæum ex Hispania missæ essent, cum omni commeatu, auertisse, ac pellectis in suam societatem nauium illarum hominibus, rapiendo & infanda omnia perpetrando certare. Ac tam fœdis facinoribus commotos multos Insulæ Regulos cum maximo omnium damno defecisse, eósque etiamnū pro commissis pœnas metuentes, si sub imperium redirent, pergere in insania & solutos iugo viuere.

DVM hæc vtrinq; crimina & accusationes in Hispaniam mittuntur, Almirans fratrem

Colũbus Indos perduelles,& ſub imperium redeuntes,clementer tractat.

cum octoginta Hiſpanis, in iis equitibus aliquot, mittit aduerſus Cacicos perduelles. Illi ſex millia armatorum & amplius in acie habebãt: ſed vbi ad manus ventũ eſt, violẽto equorum impetu conterriti, & fuſi, in denſiſsimas ſyluas ſe abdiderũt. Pugnatum deinde eſt aliquoties cum Garionexio & quatuor aliis Cacicis: ſed breui profligatis omnibus eorum copiis, Cacici montes fuga petunt: mox tamen capti omnes in Almirantis poteſtatem venere. Porrò quum promitterent ſe amicitiam ipſius colentes ſub Hiſpaniæ regis imperio futuros, tum vt clementiam erga eos ſuam commendaret, tum ne iniuriarum quas ab Hiſpanis accepiſſent, autorem ipſum fuiſſe exiſtimarent, benignè illos in fidem & gratiam recepit, & rebus noſtris donatos, in ditionem quemque ſuam remiſit.

¶ *Columbus inimicorum calumnijs honore deijcitur. Bambadilla ei ſuccedit. Hic in Hiſpaniam reuertens, coorta tempeſtate, cum multo auro mergitur.*

CAP. XII.

Qvvm toti in eo eſſent Almirans & eius frater vt Regulos & rebelles populos in Regis fidem reducerent, eodem tempore litteræ tum ipſius Almirantis, tum Roldani in Hiſpaniam perueniunt: quæ res non mediocri dolore Regem

ac

ac Reginam affecit, quum res Hispaniolæ adeo turbatas & miserũ insulæ statum intelligerent. Iam in Aula sparsus rumor auri inter nobiles, & vulgatæ opes quas ingenti copia flumina ipsa vltrò funderent, omnes auaritia incenderant. Nemo erat ex ipsis quin talem Præfecturam obtinere ardentissimè appeteret: nemini tamen ad id petendum satis audentiæ erat, propter ingentem opinionem quam de Almirante Rex & Regina habebant. Itaque alia via grassari, & optata ad eum finem cui inhiabant, perducere instituunt. Ergo isti Nobiles per omnem Aulam spargunt Columbum & eius fratrem, iam partis opibus quæ priuatum modum excederent, Insulas vsurpare velle, & nuper repertæ oræ omnis principatum inuadere. Idque non obscuris manare indiciis, quantum ex multorum & quidem dignorum fide hominum literis colligi posset: tum videlicet ex ipsa auri effodiendi ratione, tum quòd ex eo pauculum in Hispaniam mitterent. Adhæc, quod multò peius esset, quum Hispanos paulatim specioso prætextu alium alia de causa tollerent, quorsum id spectare, nisi vt iis de medio amotis, soli sine arbitris destinata sua facilius perficerent? Hæc & similia freqũetibus susurris ac rumoribus per Aulam adeo increbuerunt, vt ad aures vsque Regis ac Reginæ deferrentur: nec deerant interea æmuli qui hæc occultis flabellis in Regum animis accenderent, quo grauior criminantium esset autoritas.

Hispani nobiles Columbo inuidẽtes, non vera virtute, sed astu & calumniis in eũ grassantur.

REX ipse, ne quæ ad status sui detrimen-

tum ſpectarent, lentius accipere videretur, totius rei veritatem cognoſcere & Prætorem eò mittere inſtituit, qui quæreret cur tantùm auri allatum nõ eſſet quantum ſe miſſurum promiſiſſet Almirans. Cuius profectò intermiſſæ penſionis non alia cauſa erat, quàm quòd inter domeſticas diſcordias, & ſociorum defectiones atque inde exorta bella, aurum effodi non potuerat.

His ita conſtitutis, Rex nouo Inſulæ præfecto Franciſco Bombadilla deſignato, quæſtionem de inteſtinis diſcidiis decernit, & de cauſis diſcordiarum Columbi & Roldani cognoſcere iuſſum, ampláque autoritate & poteſtate imperii inſtructum mittit. Is cum hac commiſſione & mandato Regio è Calicio portu anno M. CCCC. XCIX. quatuor carauellarum claſſe inſtructa ſoluens, in Hiſpaniolam traiecit. Almirans & Bartholomæus frater, noui Præfecti appulſu audito, ad eum honorificè excipiendum, vt regio miſſu venientem, reuerenter obuiam egreſſi ſunt. In portum vt peruenerant rati, vt ſibi, ſic aliis ſincerum animum eſſe, pro amica complexus ac ſalutationis vice, capti fratres in vincula traduntur. Mox iniectæ vtrique catenæ, & ſeiuncti alter ab altero, quò grauius dolerent, duabus Carauellis in Hiſpaniam mittuntur. Miſerabilis equidem caſus, ac mutationis rerum humanarum exemplum memorabile: eum qui paulo antè in maximo honoris faſtigio fuiſſet apud potentiſſimum Regem, propter repertas illi propria virtute & excelſo ingenio adeo nouas

Bombadilla ſua poteſtate aduerſus Columbum fœdè atque impotenter abutitur.

uas

uas & diuites terras: cui, si Græcorum aut Romanorum veterum tempore vixisset, aut alterius cuiuslibet liberalis & munificæ gentis, meritò statua fuisset erecta, ac fortè, vt numini, templum & diuini honores decreti essent, eum (inquam) nunc malignitate atque inuidia hominum afflictum & vinctum adduci: cuique ob tanta in Regem merita vlla satis digna gratia reddi nequibat, eum tam atroci iniuria affici vt nullo nouo beneficio expiari posset. Simulac celoces in Hispaniam peruenerunt, & nunciatum Regi tam claros viros compedibus vinctos adeò fœdo ac miserabili habitu adduci, motus in misericordiam Rex cursore Calicium misso, emitti illos è custodia & leuari vinculis iubet: deinde splendido comitatu cultúq; vt talibus viris dignũ erat, in conspectum suum venire. Vt in Regiam peruenerunt, comiter excepti & auditi sunt ac quum ibi obtinuisset veritas, pœnæ in noxios decretæ.

RegisHisp. pudor ingratitudinem Hispanorum damnat.

POSTQVAM gubernator nouus Bombadilla Columbos captiuos in Hispaniam miserat, Roldanus cum aliis secesſionis sociis sub imperium rediit. Ibi tum rursum omnes vno consensu miseros insulares in aurifodinis demergere & immodico labore vexare: quibus videlicet nihil pensi erat, nisi vt horrendam illam auri famem quammaximè explerent & ingurgitarent. Dum ea geruntur, Rex Ferdinandus, cui hæc dudum animo cura insederat, qua maximè ratione res Hispaniolæ Insulæ turbatas, necdum bene sedatas, pace

Auaritia sēper crudelis.

& iustitia componeret: abrogato Bombadillæ imperio, Nicolaum " Olandã Proregis titulo & autoritate, eò mittit. Is è portu S. Lucari sol uens triginta nauium, partim liburnicarum, partim celocium, classe, quadragesimo demũ die Insulæ applicat. Bombadilla vbi maiorem potestatem & successorem adeo potentem su peruenisse videt, decedere illico prouincia, & iisdem illis nauibus quas Prorex adduxerat re gredi in Hispaniam, statuit. Ergo, imposito multo in naues auro, quod amplius centum quinquaginta milliũ ducatorum pretium æquaret: ac multos præterea rudis auri grumos, in iis vnum inusitatæ magnitudinis, & ponderis trium millium ducatorum, quem Reginæ seposuerat, secum referens, vela in Hispaniam fecit. Eum sequuti sunt Roldanus Ximenez & alii aliquot militares duces, cum amplius quadringẽtis Hispanis, qui omnes auro graues & locupletes cum eo soluére. Hîc animaduertere operæpretium est, quantum vindicandis hominum sceleribus Dei iustitia polleat, ac seriò cogitare omnes thesauros ac diuitias nostras, in quibus tantoperè spem ac fiduciam nostram defigimus, somnia prorsus vana atq; vmbras inanes esse. Ecce atrox in mari tempestas coorta rapit disiicítq; classem: vigintiquatuor fractæ naues & fluctibus ita haustæ sunt, vt nemo in terram enauerit: demersus Bombadilla, demersus Roldanus, & maxima pars Hispanorum periere: ipsorum quoque manubias & thesauros, ac sepositum Regi Reginæque aurum mare absorpsit: postremò iur

gia

" Ouãdũ alii vocãt

Bombadilla prouincia decedit.

Iusta Dei vindicta in auaros & crudeles.

gia, lites, & querelæ eorum, quemcumque exitum habituræ essent, maturè ibi finem inuenere. Insulares Indi, quum naufragium Roldani & aliorum Hispanorum à quibus in eruendo auro durissimè vexati erāt, pro certo accepissent, lætari & hilarescere, vulgò inter se dicentes: Enimuero isti quidem nos deinceps in aurifodinis nō detinebunt, neq; in tantis ærūnis, quantis solebamus, trahere animam cogent.

¶ Alphonsi Ninni in Indiam Occid. nauigatio. Quænam primò fuerit Indicarum gentium de Hispanis opinio. Hispani se Christianos & filios Dei esse apud Indos venditant, sed mox longe aliud reipsa & factis se esse produnt.

CAP. XIII.

IAm multis Hispanię locis de vnionum diuitiis, ab Almirante in Cubagua & Cumana repertis, rumor latè manauerat: & ea res multorū animos ea visere cupientium commouerat. Id vbi cognitum Regi, expresso ipse edicto, grauibus pœnis constitutis vetuit nequis nauium magister nauclerúsve CC. milia propius (id est L. leucas) oras à Columbo repertas, absque suo permissu, nauibus accederet: liberam tamē interea potestatem omnibus faciens, quascūque alias terras & Insulas nondum cognitas pro arbitrio quærendi.

Edictum regium.

ERGO per eos dies Alfonsus Ninnus, naue vnà cum triginta quatuor Hispanis, eo consilio vela in altum dedit. Inter eos Hispanos for

Alphonsi Ninni nauigatio.

tè nonnulli Almiranti adfuerant, quum Cubaguam reperiſſet. itaq; vt Indiam attigerunt, neglecto Regis mandato, diuitiarum cupidine Parienſem inuecti ſinum, Cumanæ, Amaracapanæ & omnem eius tractus oram iam ab Almirante repertam legere inſtituunt. Ibi etiam Alphonſus cum ſociis in terrā egreſſus ab ea gente comiter exceptus eſt: mox inito quoque commercio, quum merces magna vnionum copia permutaſſet, diues in Hiſpaniā regreditur: ſed in itinere de vnionum partitione lis inter ducem & milites exorta eſt. Hiſpaniam verò vt videre, Hiſpalis portum fugientes, ne conſtituta à rege pœna plecterentur, quòd oras à Columbo repertas tentaſſent, nauem in Galleciā dirigunt. Attamen ſimulac in litus exiere, nauales ſocii aliquot eius prouinciæ Præfectum adeunt, Alphonſum inſimulant, nec tantùm ſpreto Regis edicto litora ab Almirante reperta circumuectum referunt, ſed peculatus quoq; criminibus vrgent, quòd fraudata Regis quinta, ingentem margaritarū vim interuertiſſet. Præfectus corripi hominem & cuſtodia claudi iubet: ac tandem, vbi in carcere maximam vnionum ſuorum partem conſumſiſſet, vinctum eum ad Ferdinandum Regem mittit.

Variȩ Indorum de peregrina gente opiniones.

ANTEQVAM vltrà progrediar, age hîc plenè exponere mihi libet, quænam eſſet earum gentium de Chriſtianis opinio, vbi primùm eos nouis illis terris appulſos videre. In primis ergo tenendum eſt, vbi principiò Hiſpani in Indiam nauigantes ad eas prouincias

ac

ac præſertim nouæ continentis oram appulerunt, quâ ſeptentrionali Oceano alluitur, Indos, quum ad eos velut ſimulacra verſi defixis præ admiratione animis ſtarent, vulgò dicere inter ſe conſueuiſſe: Vnde aut quibus è terris gens iſta barbata venit? Mox quum enſes, veſtis & cultus ſpeciem, inde nauigia ipſa, vela, rudentes, ancoras & cetera nauium armamenta, intuerentur, tum planè obſtupefacti, poſtquam inuſitatam rerum ſpeciem iterum atque iterum fixis oculis contemplando hauſiſſent, de illis pro ſe quiſque alius aliter iudiciū ferebant. Nonnulli dicebant tempeſtate aliqua eò fuiſſe eiectos: alij qui bombardarum fragorem audiiſſent, cientem tonitrua in nubibus gentem è cælo in terras deſcendiſſe credebant: alij denique obthurato ore incerti & confuſi reſtabant, quum de tam nouo hominū genere nihil affirmare haberent. Quos quidem pleriſque locis æquis oculis indigenæ, velut rem nouam intuebantur: alij contrà haud ſatis libenter excipiebant, quum ex ipſo vultu gentem aſperam & ferocem eſſe coniectantes, amicitiam eorum detrimento ſibi potius quàm emolumento futuram iudicarent. Itaque ſæpenumerò vt appulſi & in litus egreſſi erant, eorū locorū accolę ſagittis obuios configebant, ſaxis etiam eos & miſſilibus violenter ſummouentes, naues repetere trepida fuga compellebant. At in eas oras quum incidiſſent Hiſpani, vbi aduentus & conſpectus eorum indigenis gratus eſſet, ſummiſſi & ſupplices vltro Reguli obuiam illis ad fineis exibāt,

Barbari hoſpitales Hiſpanorũ auaritiam inuitant.

rogabántque per ſigna vt ſuas terras libentes inire vellent:nemo illic erat qui eos hoſpitaliter in mapalia ſua inuitatos appoſitis epulis ſumma cum lætitia non exciperet. Hiſpani verò cõiectis in vniones oculis quos Indi vulgò brachiis & collo geſtabant, protinus concupiſcere & occulta cura incendi quomodo iis potirẽtur: quúmque pręterea Indis nares baccis onuſtas, eranis, ſmaragdis, & auro cernerẽt, petere tandem vltro audebant: & illi ſimplices ac parum aſtuti homines, quum & illa vilia haberent, libenter omnibus & magna copia dabant.

Splendida verba ſi res & facta reſpondiſſent.

DVM hæc amica commercia & congreſſus vtrinque agitantur, alij alios, vt poterant, per ſigna & nutus variis de rebus percontabãtur. Indi ſcire volebant, vnde venirent Hiſpani, & qua gente orti eſſent. Illi ad hæc ita reſpondebant, Se Chriſtianos eſſe, filios Dei creatoris cœli & terræ: in eas oras miſſos à ſummo viro Caſtellæ Rege & à Papa cæleſtis ſeruatoris vicario, vt res magnas & conſolationis plenas per orbem terrarum vulgarent: ac breui vnde veniſſent reuerſuros. Indi quum dictis eorum fidem haberent, & reuera ita eſſe crederent, rati ſe eorum aſpectu vlterius non fruituros, ad eorum ſpectaculum multi quotidie concurrebant, & qui eos contingere & aliquo munere donare poterant, felices ſe exiſtimabant. Mox verò Indi, vt diſgreſſis illis venire alios, & iam ædificia moliri, commorari in ſuis finibus, & infanda in ſe ac ſuos facinora & cõtumelias edere, aurum, vniones & gemmas inſa-

Indi de arbore ex fructibus iudicium faciunt.

inſatiabiliter flagitantes, viderunt: tum demũ queri & dicere inter ſe: Hæc facta verbis non reſpondere. quippe illos ſe filios Dei vocaſſe; ſed apparere hauddubiè illis alium, & quidem malum, dominum ac principem eſſe: quando ab illis ipſius mandatu & priuarentur libertate, & in ſeruitutem redigerentur, & interficerentur: neque hæc eſſe opera eorum qui è cælis deſcendiſſent. Poſtremò non veros & bonos Dei filios eſſe, qui accepto beneficio maleficium redderent. Illos quidem bonis & commodis verbis vti, ſed facinora fœda perpetrare.

ERANT etiam inter eos qui dicerent: Qualis, malùm, Deus iſte eſt, qui tam impuros ex ſe filios & ſceleratos homines progenuit? Si pater quidem ille filiorum ſimilis eſt minimè bonum eum eſſe oportet. Hæc & ſimilia vulgò inter ſe colloquentes iactabant.

Nomen Dei blaſphematur inter Gẽtes, propter Hiſpanos.

EQVIDEM ſi Hiſpani vbi primùm eas terras attigerunt, perinde vt crudelitate & auaritia graſſati ſunt, ſic iam inde ab initio benignitate & clementia earum gentium animos ſibi conciliaſſent, atque eodem tenore perſeueraſſent in iiſdem exemplis: haud profectò dubitauerim futurum fuiſſe vt agreſte illud hominum genus non tantùm cum ratione viuere diſceret: ſed etiam virtutis atque honoris ſtudio, & Chriſtiani nominis vtilitati animum adiungeret: neque ſequenti tempore inde tot Hiſpanorum clades, nec tantæ Indicarum gentium vaſtitates accidiſſent, quantas poſtea memorabimus: ſed vt nunc implacabili

Homines non vi & malo, vt feræ, ſed beneficio domandi ſunt.

odio alij ab aliis dissident, ita socialem inter se cum mutua reuerentia amicitiam colerent.

¶Quarta Columbi in Indiam nauigatio. Veraguam & Vrabam Indicæ continentis prouincias detegit. Hispanos rebelles prælio vincit. In Hispaniam reuersus moritur. Posteritas eius.

CAP. XIIII.

NVNC ad Almirantem Columbum reuertimur. Is tres annos in Regia mansit, Regi ipsi acceptissimus, & in præcipuo honore habitus. Tandem triennio exacto, Rex ipsius supplicatu atque arbitrio quatuor Celoces instruit, eúmque nouas alias terras vestigatum remittit, & fretum aliquod peruium, quod ad mare Australe pertineret. Id postea à Magellane quodam Portugallo repertum, Magellanicum dictum est. Itaque è Calicio portu soluens nona die Maij M. D. IIII. cum fratre suo, breui in Hispaniolam appulit. Memorant nonnulli eum à Bombadilla portus aditu prohibitum esse, & ea iniuria non mediocriter offensum Columbum dixisse: Falli Præfectum, si eum à Coloniæ ab se conditæ ingressu arcendo, gratum Regi obsequium præstare se existimaret.

Columbi quarta nauigatio.

ALII portum eum intrasse referunt. Vtcumque ea se res habeat, cursum in Occidentem dirigens, Guanaxiam insulam vicinam continenti reperit, ingenti prouinciæ quæ ab indigenis Iguera, ab Hispanis Caput-Fondu-

Guanaxia insula.

rense,

rense, dicitur. Ibi exſcenſu facto, benignè à Regulis exceptus eſt: multæ ei gallinæ patriæ, panes & fructus oblati: nullũ tamen ibi auri ſpecimen aut indicium reperit, quamquã inuentis fodinis ditiſsimis, quarum nulla indigenis cura aut pretium erat. Almirans eos ſolitis minimi precii mercibus remuneratus, flexis retrò in Ortum proris, oram ſequẽs Veraguam repetit, & applicatis ad inſulas Zorobari nauibus, haud procul continenti, ex Inſularibus cognoſcit, omnem eam Veraguæ prouinciam abundare auro. Inde præteruectus & litora legens vſque ad ſinum Vrabæ peruenit: vbi in terram egreſſus, aliquot locis Auſtralis Oceani notitiam habuit.

DVM hæc noua litora perluſtrat, duas carauellas amiſit: duæ ſupererant, multam & ipſæ aquam accipientes. itaque inde retrò abeundi ſignum dat. Regreſſus primò Cubam inſulam, mox Iamaicam, tenuit, amiſsis aliquot Hiſpanis, quos ærumnæ & labores abſumſerant, reliquis etiam ferè omnibus ægris. Ibi Franciſcus Poreſius vnius carauellæ prætor, cum fratre, & maxima militum pars, cõmota in eum ſeditione & contractis aliquot Indorum lintribus, in Hiſpaniolam profugiunt. Inſulares quum Chriſtianos inter ſe diſcordes, & de toto exercitu quod roboris eſſet à Poreſio abductũ ſcirent, ceteros qui cũ Almirãte mãſiſſent propè omnes ægros & imbecilles eſſe: non ſolùm cõmeatus iis ſuppeditare nolle, ſed de ipſis quoque interimẽdis cõſilia inter ſe inibãt.

Hiſpani in Columbũ rebellant.

ALMIRANS ob hæc ingẽti animi ęgritu-

dine anxius, quum hinc Indos nec gratia, nec prece, nec precio vllo adduci posse videret vt cibaria exercitui præberent, nec armis ab se co gi propter infirmitatẽ suorũ: alia via idem aggredi statuit. Atque id cælesti quodã instinctu ei venisse in mentem, libẽs equidem crediderim, prouidente videlicet Deo ne tantus vir fame interiret. Id porro ita factum est. Fortè in propinquo tugurium barbarorum erat: inde Columbus Indos foras euocans, monet ac prę nunciat, ipsos, ni vitæ subsidia sibi ac suis suppeditarent, peste à Deo cælitus missa breui omnes perituros: Cuius rei id habituros signi, quòd duos intra dies Lunam sanguine fœdatã visuri essent. Id quum eadem die & hora qua Almirans prædixerat cõspicarentur Indi, (Lunæ autem defectus is erat) subitò victi formidine, quæcumque ei ad victum necessaria fuerunt, quoad in ea Insula mansit, benignè præbuere, insuper veniam culpæ orantes, neu ipsis irasci pergeret. Ipse ægros socios paupere illo & misero victu, vt potuit, recreauit.

Colũbus astuto consilio commeatus à Barbaris impetrat.

INTER hæc Franciscus Poresius, quum tam exiguis lintribus impetum maris eluctari & traiicere frustra tentasset, in Insulam regressus est, rapturus alteram ex carauellis Almirantis, si facultas daretur, vt siqua noua ope posset in Hispaniolam transfugeret: sed vt portum attigit, vtramque depressam & mersam aqua reperit. Almirans audito eius aduentu, suos cum fratre in aciem educit: ventum est ad manus: cadunt nonnulli, multi vtrimque saucii: Franciscus Poresius cum fratre capitur.

Colũbus Hispanos seditiosos vincit.

tur. Hæc prima pugna inter Hiſpanos in India commiſſa eſt.

Ea victoria auctus Almirans, quum nullæ ipſi naues ſupereſſent quibus inde ſolueret, poſtquam in ea Inſula menſes aliquot moratus, nulla ope, niſi contracta aliqua ex Hiſpaniola naue, abire ſe poſſe vidit: Didacum Mendez, œconomum ſuum & decem cum eo Indos lintre vno piſcatorio mittit, è monoxylis illis quibus indigenæ vti ſolent. Ipſe inſulares illos ſpe ingentium præmiorum onerat, ſi Didacum incolumem eò perducerẽt: illi abeunt, & quò ſecuritati conſulerent periti locorum homines, circa ſcopulorum crepidines nauigium agendo notis ſibi vadis traiiciunt. Quippe puſilli illi lintres, niſi ſumma tranquillitate, alto prouehi nequeunt, & vel minimum verberati fluctibus facillimè ſubuertuntur. Ergo ægrè emenſo mari Indi, ex Hiſpaniola extemplo Iamaicam repetunt, & peruectum à ſe atque expoſitum Didacum Almiranti renunciant: ipſum pedeſtri itinere Dominicam petere. Almirans eo admodum lætus, multas illis gratias agit, & cultellis, crotalis & crepitaculis donatos dimittit. Illi, perinde hilares vt ſi ingens aliquod munus accepiſſent, domum abeunt.

Didacvs Mendez, vbi in Dominicam peruenit, " Commẽdatario maiori litteras ab Almirante reddidit. Ille carauellam vnam ad eum reuehendum inſtrui iubet. Mendez pecunia Almirantis alterã comparat: mox ambas onuſtas commeatu in Iamaicam traducit.

" Nicolao Ouando ſc. Hiſpaniolæ tum Præfecto.

Vbi eæ appulerant, Almirans conſcenſa naui breui in Dominicam tranſuectus eſt. Mox paucorum inde dierum quiete ſumpta, quę primę naues ſoluerunt, iis cum fratre in Hiſpaniam traiecit, & Regi ſucceſſum itineris ſui & quæ nouæ ab ſe repertæ eſſent terræ, non ſine admiratione totius aulæ regiæ, expoſuit.

Chriſt. Columbi obitus, & poſteritas.

SED paucis poſt hæc diebus, Columbus, feſſo ægróque tot itinerum laboribus corpore, in morbum incidit, neque multo pòſt, graueſcente in dies eius valitudine, extinguitur. Quũ ita honoratæ vitæ ſuæ curſum clauſiſſet, octaua die Maij, anno M.D.VI, corpus eius, vt teſtamentò cauerat, Hiſpalim delatum, in cœnobio Fratrum Certoſinorum humatum eſt. Filium reliquit, Didacum Columbum, qui nobiliſsimam feminam, Mariam, filiam Ferdinãdi de Toleto, magni Commendatarii Legionenſis, habere in matrimonio ſingulari virtute meruit. Ortus eſt Almirans Columbus Cucureo Genuenſis ciuitatis municipio : maiores eius oriundi Placentia erant Liguriæ vrbe, nobili ſtirpe Piliſtrellorum : ipſe prima iuuenta nauiculariam artem exercuit. Iuſta ſtatura homo, firma & habili membrorum compage, iudicio ſano, ingenio excelſo præditus, læto & ingenuo vultu fuit. Acres illi & vigentes oculi, ſubflaua cæſaries, os paulo patentius: in primis iuſtitiæ ſtudioſus erat : iracundiæ tamen pronus, ſiquando commoueretur.

CAP.

Monachi & sacerdotes in Indiam Occid. transgreßi cœnobia exstruunt. A Barbaris trucidantur. Didacus Ocampus trib. mil. Barbaros dolo circumuentos, supplicijs coercet. Toletum colonia.

CAP. XV.

FERDINANDVS rex (sicut antè retuli) quo tempore ab Almirante Insula Margaritarum reperta est, edicto prohibuerat nequis propiꝰ terras à Columbo repertas CC. millia pass. (id est leucas L.) naucis admoueret: sed quum in edictis atque imperiis suis parum momenti esse intelligeret, & quotidie multos concurrere: Quæstores & procuratores suos eò mittit, qui vectigalia regia colligerēt. Hinc piscationis vnionum initium ductum est.

Eo tempore Monachi aliquot vt Indos Christiana fide imbuerēt, in Indiæ continentē transgressi, quò etiam multi Hispani permutandarū cum Indis merciū causa cōmeauerāt, cœnobia ibidem exstruxerunt. Sed Indi, iam tum Hispanorum commercia & dura imperia pertæsi, à quibus nimirū violenter correpti fustibus & plagis assiduis ad piscandos vniones adigerentur, indignas cōtumelias & vim vi arcere statuunt. Itaq. manè cuiusdam diei prima aurora in Hispanos irruunt, & eorum cruentā stragem faciunt: mox cū tripudiis & saltatu nō laicos tantùm (vt vocant) sed Ecclesiasticos ipsos & Fratres mandūt. Ex iis tamen aliquot, quum celocis ope quæ ad Cumanæ fluminis

Indi nec Hispanorum tyrannidem ferunt, nec pro pastoribus lupos.

ripam deligata ſtabat, perniciem effugiſſent Dominicam contendunt, & Bartholomæo inſulæ Præfecto Cumanenſium rebellionem enunciant. Ille trecentorum militum confeſtim manu ſcripta, Didacum Ocampum ducem illis præficit.

Hispanicũ ſtrategema.

HIC cum ſuis è Dominicæ portu ſoluens, breui in Cumanam peruenit, & ad pelliciendos in naues Barbaros tali arte vſus eſt: ſuos omnes, exceptis ſociis naualibus, in aluum nauis conditos ſub tabulis deliteſcere iubet: vt Indi, quum tam pauci Hiſpani apparerẽt, pròtius ſubirent nauim, & perſuaſum haberent ipſos ex Hiſpania, non ex Dominica, venire. Indi, conſpecta naue, ad ripam fluminis obuiam effuſi, Hiſpanos interrogant vnde venirent. Illi ſe à Caſtella venire reſpondent: ſimul ſignis eos accedere ad nauim inuitant. Indis etſi tota res ſuſpecta eſſet, & Hiſpanos ex Hayti (id eſt Hiſpaniola) venire contenderent, nonnulli tamen eorum vt ſe eo errore exſoluerent, haud dubij ex propinquo facillimè cognoſci poſſe vtrum ex Hiſpania an aliunde venirent, nauim vltro ſubeunt, margaritas ferentes per ſimulationem commercij. Ibi Chriſtianorum ab iſtis paucitas conſpecta errorem fecit. itaque quum iam pro certo haberent, venire illos ex Hiſpania, non ex Hayti, neque ad eos perueniſſe famam ſuæ rebellionis, ac iſtis ſe perinde vſuros vt aliis vſi eſſent, ſibi pollicerentur, taciti ſecum ipſi gaudebant.

DVX Hiſpanus ſubeuntes benignè excipit, fit permutatio vnionum inter eos: ille ſe

eorum quæ accidiſſent quidquam reſciſſe callidè diſſimulat: per ſigna etiam rogat vt, ſi cõmercium cordi ſit, plures vniones & ad maritimos vſus cibaria & commeatus afferant. Indi in litus regreſſi, paucos ſe in naui reperiſſe homines Cacico renuntiant: & omnes facillimè à ſe interfici poſſe. Itaque multo plures quàm antea Indos nauem ingredi iubet: iis negotium dat vt quàm pauciſſimos Chriſtianos in litus exire patiantur, quo facilius deſtinata exequerentur. Simul Hiſpanorum duci renuncient, eius loci Regulum multos habere vniones, quos cum illo permutare cupiat. Cum his malè orſis & cœptis conſiliis ad nauim regreſſi ſunt. Hiſpanus dux quum prædam opimam in caſſibus, neque maturiorem occaſionem vlterius exſpectandam eſſe duceret, ſignum dat exeundi è latebris militibus: illi improuiſo exorti Indos partim incautos capiunt, partim interficiunt: pauci in flumen deſilientes diſcrimen effugere: quotquot captiuos in poteſtate habuit dux, ſuſpẽdi ad nauis antennam iuſſit, quò ceteris terrorem incuteret, & his peractis in Cubaguam reuerſus eſt. Inſulanorũ eo ſpectaculo fracta ferocia eſt, & attonitis animis hæſerunt.

Mox verò Didacus in Cumanam reuerſus, milites in terram exponit, & omni ſæuitiæ genere graſſatus, miſeram illam gentem ac prope deletam, vltro pacem petere cogit. Quæ quum ab eo ſupplicantibus data eſſet, & fœderis conditiones tranſactæ, Indi vigintiquinque caſas è ſtoreis paleíſve ad ripam fluminis,

Indi ſuis manibus compedes ſibi fabricari cogũtur.

Toletum colonia.

ipſo iubente, ſuis ipſi manibus exſtruunt. Id Toletum vrbem vocat, vti iam antè dictũ eſt. Inde quidem rurſum frequentari Cubagua, & piſcatio margaritarum inſtaurari cœpit.

INTER hæc appulſi eò octo fratres Dominicani, duo monaſteria, vnum in Cumana, alterum in Maracapana, exſtruunt. Mox inde Chriſtianam fidem per eas gentes promulgatum ibant, Regulorum & primorum filios legere & ſcribere docentes. Ex eo Indi cum omnibus Hiſpanis amicè & pacatè viuere: ſinere etiam illos paſſim, quò ferret animus, ire: adeo vt ſine vllo metu per oram illam maritimam trecenta amplius millia paſſuum, aurum, vniones & alia quærentes, liberrimè vagarentur.

¶ *Doctor quidam è ſacerdote tribunus mil. factus, dum Indos piſcandis vnionibus conuertere nititur, ſemet ipſe & ſuos euertit. Iac. Caſtellio in Barbaros ſæuit. Lampugnanus Mediolan. in piſcatione vnionum naufragium fortunarum & vitæ facit.*

CAP. XVI.

Doctor quidam & ſacerdos ſeruire ſimul Deo ac Mãmonæ volens infelicem inceptorum exitum habet.

DVM hæ in Cumana viciſſitudines agitantur, Bartholomæus quidam de Caſis, ſacerdos idẽ & Doctor, quum fœcunditate vnionũ & piſcatu nobilem Cubaguã eſſe accepiſſet, fertilitatis etiam earum terrarũ & ſæuitiæ Hiſpanorũ in eas gẽtes fama commotus, in Hiſpaniam traiicit, ad Regiam cõtendit. Hiſpaniæ regnorum heres, morte Ferdinandi Regis, tum erat princeps Carolus, qui poſtea Cæſar deſignatus Caroli

Quinti

Quinti nomen asciuit. Eum adit sacerdos, docet nullum esse sceleris & auaritię genus quod Cumanæ indigenæ à militib. Hispanis passi nō essent. ac propterea illos, quotidianis iniuriis ad rebellandum coactos, rupta fide quoscunque Hispanos in suis terris reperissent, interfecisse. Itaque eius prouinciæ administrationem sibi dari postulat: quippe se, simulac eam attigisset, motus omnes breui compositurum: Indos verò etiā tam æquo & moderato imperio habiturum vt omniū laudē mereri posset: sed imprimis reditus regios aucturū, spōdere.

Optat ephippia bos, piger optat arare caballus.

DOCTOR Lodoicus Zappata, & alij qui rerum Indicarum curæ præerant, quum eum hominem vanum, ineptū, & tanto incepto minimè parem, nulliúsq. famæ & autoritatis esse iudicarent, adhęc imperitum rerum, morúmq. illius gentis, tali eius proposito obnixè intercedebant. Verùm, nequicquàm contradicētib. tantis viris, Belgarum quorumdam procerum & aliorum fauore subnixus, in primis comitis Nansouij, qui Cęsaris cubiculo præerat, quod petebat obtinuit, quòd Christianæ religionis zelum præ se ferret, audacter denuncians se, si quisquam alius, Indos tum ad Dei ipsius cultū, tum ad Regiæ maiestatis obsequium versurū, & vnionum vim magnam missurum in Hispaniam. Mox trecentos rusticos legit, qui piscandis vnionibus operam darent, ne Indos fatigari opus esset: adhæc, quo libentius eam expeditionē susciperēt, Regiæ maiestati supplicat vt eos, Equestribus armis atque insignibus in primis Cruce rubra, decoret, qualis equitū

Calatrauæ ordinis eſſet. Cæſar hoc Doctoris ſtudio & verbis commotus,ei quidquid peteret annuēs,naues inſtrui, cōmeatus ceteráque expeditioni neceſſaria prouideri iubet.

ILLE Hiſpali ſoluit, & in Cumanam appulſus, Didaco Ocampo ibi fortè reperto diploma regium exhibet. Is ſe verò obſequuturum libenter ait: ſed inde decedere ſibi non licere niſi commeatu ab Almirante accepto, à quo coercendis rebellibus & regendæ prouinciæ impoſitus eſſet, quoad mitteretur ſucceſſor.Ita eluſus ſacerdos: ac ne ipſi quidem poſtea ſatis inter ſe concordes procacibus verbis alter alterum exaſperabant. Tandem doctor vbi Regio mandato apud Ocampum parum momenti eſſe videt, & ſe vltro ludibrio eſſe, Dominicam petere intendit, & de Ocampi contumacia,qui regiis imperiis parere nollet, apud Almirantem conqueri. Antequam abiret, quòd Toleto vrbe ab Ocampo excluſus eſſet,ligneum ædificium raptim exſtruit:atque ibi depoſitis impedimētis & omni commeatu quē ex Hiſpania detulerat, Equites illos ſuos, quoad rediret,in pręſidio relinquit.Inde abit: neque multo pòſt Ocampus quoque cum maxima militum parte decedit, quòd ſpoliis Indorum onuſti ac diuites, in præda & vnionibus diuidendis in diſſenſionem veniſſent.

CVMANAE reguli, quum Ocampum cum maxima exercitus parte abiiſſe cognoſcerent, neque vllos ſupereſſe ſimul Chriſtianos præter eos qui à Doctore præſidio relicti eſſent: ceteros palatos & diſperſos per eas terras vagari

gari vnionibus inhiantes & feminarum ſtupris, aliáque fœda edentes facinora, ſumtis armis rebellionem cœptant. Itaque omnes pariter Dominica quadã die manè Hiſpanos adorti, quoſcunque in Amaracapana & omni illa ora maritima Occidentem verſus reperiunt, trucidant. nullius vitæ parcitur: Fratres ipſi inter ſacra mactati, Doctoris domus obſeſſa & capta: omnes propè Equites noui venenatis ſagittis confoſsi miſerabiliter periere. Pauci cum monachis aliquot ſcapha euaſere, qui cũ Sacramento (vt vocant) in Cubaguam raptim tranſgreſſi ſunt.

Hiſpani quas ſeuere fruges, eaſdẽ mox metunt.

POSTQVAM exercendæ in homines iræ materia Barbaris defuit, ignem iniiciũt tectis, templa & monaſteria diruunt, campanas frangunt, ſtatuas ſolo allidunt: poſtremò Crucifixi ſimulacrum deiectum truncatúmque in viam abiiciunt oſtentui & ludibrio. Gallinas quoque & canes Hiſpanorum abolent: ac ne Indis quidem ipſis pepercere, quos vel monachi vel alii Hiſpani in miniſterio habuiſſent: terrã ipſam ferientes exſecrantéſque quòd tam dirũ ac peruerſum hominũ genus ferre ſuſtineret.

EA res tantum terroris ac trepidationis Hiſpanis iniecit, qui in Cubagua commorabantur, vt ſi continentis accolæ Indi vim paratam lintriũ habuiſſent, hauddubiè traiectu in Inſulam facto, quæ non plus XXII. millibus paſſ. continenti auulſa eſt, omnes Hiſpanos qui in ea erant ad internecionem cæſuri fuerint. Sed quũ pauca nauigia eſſent, quanquã ingẽti animo moliri cuperent, inceptũ omiſere.

REGII procuratores, phaſelo confeſtim in Dominicã miſſo, rem vti geſta erat ſignificant. Almirãs eo nuncio accepto, quadringentos milites ſcribit & iis Iacobum Caſtellionẽ ducem attribuit: in Cumanam ſoluũt. Doctor audita ſuorum Equitũ cæde, ſubitò cucullam induens, in S. Dominici cœnobium ſe abdidit: quod eum facere, meo iudicio, præſtitit quàm piſcatum margaritas in Cubaguam reuerti.

INTEREA Caſtellio octauo die quàm ex Hiſpaniola ſoluerat, Cumanam tenuit, & ſtrenuè cum omnibus militibus in litus egreſſus, totos quadraginta dies cum Indis pugnauit, & magnam eorum ſtragem edidit. Illi, quamquam fortiter ſe defenderent, & Hiſpanorum aliquos interficerent, tandem tamen, quum neque animo, nec viribus, nec ingenio pares eſſent, & omnibus præliis victi diſcederent, pacem vltro ſupplices petere coacti ſunt & Hiſpani ducis poteſtati ſe permittere. Caſtellio in deditos acerbè ſæuiit: ſeptuaginta Cacicos ſuſpẽdi iuſſit qui rebellionis autores fuerant: vulgus in naues impoſuit, miſitque onuſtas Indis in Hiſpaniolam, vbi pro mancipiis venum darentur. Inde ad tutelam nauium vti dictum eſt ſuprà, arcem Cumanæ fluminis ripæ imponit: Toletum vrbem dirutam inſtaurat. Mox creſcente Hiſpanorum multitudine, ſeptuaginta domus laterculo coctili in Cubagua ædificat. Id puſilli municipii inſtar, nouum Galicium appellat.

APPELLVNT poſt hæc è Dominica quatuor Franciſcani, & exſtructo monaſterio in Inſula ſiſtunt, quum metu Indorum traii-

cere in continentē fugerent. Veriti ſcilicet ne à Barbaris, quod aliis eueniſſet, aliquando & ipſi manderentur. Ita de integro piſcatio vnio num ab Hiſpanis frequentari cœpta eſt,& magna vis eruta. Ceterum Cubagua inſula x. millia in circuitu patet, decem gradibus & dimidio ab Æquinoxiali linea diſtans, omni ſui parte plana, ſterilis, nuda arboribus, aquæ expers. Itaque tanta plerúmque humoris penuria eſt, quum propter contrarios ventos nihil è Cumana ſubuehatur, vt ſæpenumero cadus vini pari aquæ cado permutetur. Cuniculis, ſale & piſcibus abundat.

Franciſcani pelliculæ timentes, loco ſibi cauēt.

QVO tempore piſcatio vnionum feruebat, Lodoicus Lampugnanus, eius Lāpugnani propinquus, qui Galeaciū Mariā Sforciā, ducem Mediolani, interfecit, in eam Inſulā applicuit, Cæſareo diplomate & priuilegio fretus: quo ipſi per omnē illam Cubaguę oram tantā vim vnionū, quantā viſum eſſet, piſcari abſque vlla cōtradictione liceret. Hic homo ex Hiſpania quatuor carauellis profectus, omni commeatu ad eiuſcemodi cœptum neceſſario inſtructis, qui ei à mercatoribus quibuſdā Hiſpanis ſpe hauddubia quæſtus cōparatus & collatus fuerat: Raſtellū ſeu euerriculū quoddā ea forma fabricari curarat, vt in quamcūq; maris partē deiectū eſſet, quidquid ferè concharum eſſet facillimè corraderet. Verū Hiſpani Cubaguæ incolæ, omnes pariter ei obſiſtere, neque priuilegio velle obſequi: dicētes Cæſarē de alieno plus æquo liberalē eſſe. Si largiri quid vellet, de ſuo largus eſſet: ſe omnē eam prouinciā

Qui ditescere volūt, in cupiditates dā noſas incidūt & ſeipſos tranſfigunt doloribus multis.

magnis laboribus & periculis ſubactã ad eam diem tenuiſſe. itaque ſe eorum laborum fructum colligere quàm peregrinum hominem, multo eſſe æquius. Lampugnanus, poſteaquã priuilegium ſibi conceſſum nullius momenti eſſe intelligit, tum ne Hiſpaniam repeteret, partim pudore irritę ſpei, partim ingenti ære alieno impeditus eſt, breui obruentibus eius animum curis in amentiam incidit. Denique quum ex eo vulgò pro fatuo & inſano habitus omnibus ludibrio eſſet, quinto demum anno in ea Inſula miſerabiliter obiit.

¶Indi Hiſpanorum mores pertæſi, amicitiam eorum reſpuunt Contra ius gentium, vt inſanabiles & Euangelio minimè obſequentes duriſsimæ ſeruituti addicuntur. idque regio edicto, & ſuadentibus Monachis.

CAP. XVII.

PRIVSQVAM cetera exſequi pergam, res admonet expromere cauſas ob quas Indicæ continentis indigenæ mãcipati & in ſeruitutẽ addicti ſunt. Principiò vt ab Almirante Columbo poſt inſulas noua continens inuenta eſt, eò ſtatim Hiſpani diuitiarum cupidine confluere, & è prouincia in prouinciam tranſcurrere, donec crebris itionibus & cõcurſationibus inquieti homines apud Indos tædium & odium ſui mouerũt, Itaque, quum eos aſſiduis laboribus fatigarent tractaréntque acerbius, aurum, argentum, vniones & ſmaragdos inſatiabiliter flagitan-

Hiſpanitę dium ſui apud Indos mouẽt

flagitantes:neque illi tam graueis ærumnas to lerare diutius vellent aut possent: omnes vbique Hispanos tollere funditus atque exstirpare è finibus suis studebant, ipsi semet exsecrantes quòd non omnes initiò trucidassent.

HISPANI verò tum Ecclesiastici tum laici (vt vocant) quum morum eius gentis vsu & peritia, eos neque amicitiam Christianorum neque Christi fidem accipere velle cognoscerent: quinetiam hæc ab eis derideri dicendo, Eas fortè res Castellanis conuenire, sibi verò minimè: ob hæc transgressi in Hispaniam Dominicani aliquot monachi, ad Regiam cõtendunt, & Ferdinando regi barbaræ illius ac brutæ gentis morem fœdáque instituta referunt. Denique multis rationibus, quarum exẽplum infrà est, ei persuadent dignius æquiúsque esse istos homines pro mancipiis vendi quàm liberos viuere. Earum sententia hæc erat:

Hispani postquam Indos fortunis spoliarunt, libertate quoque exuere conantur.

INDI continentis incolæ idololatriæ & masculæ veneri dediti sunt, vani, mendaces, spurci, bruti, iudicij expertes, consilio vacui, rerum nouarum auidi, feroces, inhumani ac sæui: veneno sagittas perungunt, adeò noxio vt qui iis vulnerantur correpti rabie intereant. "Nudi incedunt, pudoris omnis exsortes: ne pubertatem quidem vllam aut barbam gerunt: ac siqui fortè pili erumpant, volsellis radicitus exstirpant. Humana carne, & animalium spurcissimis ranis, pediculis, lumbricis aliísque fœdis insectis, vesci apud illos suetum est. Summam voluptatem in ebrietate collocãt: neque in matrimoniis fidem aut iura vlla sancta ha-

„ bent: neque ad mutandos mores peruicacem
„ gentem vlla ratione adduxeris. Nulla aduer-
„ ſum ægrotos ſuos miſericordia mouentur, &
„ quamuis arctiſſima cognatione cõiunctos de
„ ſerunt: aut ita vt ſunt ægros & ſemiuiuos, vt
„ procul à conſpectu amoueant, in ſiluas & mõ-
„ tes deferunt & exponunt, vbi ferarum ritu mi-
„ ſerrima morte extinguantur. Poſtremò, vt in
„ pauca conferam quod pluribus exponi poſſet,
„ affirmo nullam deteriorem aut immaniorem
„ gentem ſub cælo viuere.

His Rex tam tetris barbaræ gentis moribus auditis, magnum Conſilium ſuum (vt vocant) conuocat, & in eo refert illa omnia quæ Monachorum relatione ipſum accepiſſe diximus: rogátque vt quid de tam importuna & agreſti barbarie ſtatuendum ſit, liberè ſententiam dicant. Ibi non rei certitudine vlterius quæſita neque accuratiori conſideratione adhibita, decretum fit: Placere Indos continentis incolas in ſeruitutem addici, niſi equidem grauiſſimis erroribus abdicatis, Chriſtiani eſſe & ab Hiſpanis humanum viuendi morem ediſcere vellent.

Hiſpanorum in Occid. Indos iniuriæ, triſti S. C. & Regia autoritate cõprobâtur.

Hoc Senatuſconſultum ita factum Rex autoritate ſua confirmat, & obſignato diplomate ſancit: mox Didaco Niqueſæ & Alphonſo Hoiedæ, qui primi in eas prouincias titulo Gubernatorum miſſi ſunt (Niqueſa videlicet Veraguæ, Hoieda Carthaginis) tradidit: additis mandatis, vt priuſquam bellum illis gentibus & arma oſtenderent, ſacrum Euangelium ante omnia annunciandum curarent: mox etiam admonerẽt vt fœdiſſimis moribus

flagitiíſque relictis, cũ honeſtis viris compoſitè & pacatè viuere vellent, & Hiſpanorũ amicitiam ſincerè colere. Quas ſi cõditiones acciperent, & mandata ſeruarent, Regem Caſtellæ non tantùm ſuã illis permiſſurũ libertaté: ſed eos quoq; pro amicis & vaſſallis ſuis habiturũ. Sin minus, iubere eos capi & trahi in ſeruitutem: denique in eorum corpora, fortunas & vitã, ferro, flamma & omni belli clade ſæuiri.

EQVIDEM, credo, ſi ſeruator & redemtor noſter Ieſus Chriſtus, quũ ſanctos ſuos Apoſtolos per Orbẽ ad promulgandum Euangelium dimitteret, talibus eos inſtruxiſſet mãdatis, numquam tot regna, tot gentes, tot potentiſsimos principatus humilitati crucis ſubieciſſet, quæ alioquin vltro verbo eius ſe ſummittebant, & diuinam eius legẽ toto pectore adorabãt. Itaque vel hinc exiſtimare licet quãtum ſit diſcrimen inter Dei iudicium & ſententias hominum.

Didacus Niqueſa & Alphonſus Hoieda primi ad Indicam continentem ſubingendam mittuntur. Monachi quod ſuaſerãt diſſuadere coguntur & Indorum ſeruitutem damnare. Ea tandem Bulla pontificia & Cæſareo edicto abrogatur. Reclamant diuites Hiſpani. Monachi irritatos malis exemplis Barbarorum animos, fruſtra verbis mulcere conantur.

CAP. XVIII.

DVo iſti Gubernatores, anno M.D.IX. è Calicio portu ſoluẽtes, proſpero curſu Hiſpaniolã tenuere. Ibi Hoieda cõparatis ſua impẽſa quatuor nauibus & ãplius cccc. militib. ſcriptis, è Dominicæ portu ſoluit, Prius tamẽ negotiũ dat Martino Anciſo

baccalaureo (qui regio mandatu summus Iuridicialis Prætor amplissimæ illi prouinciæ impositus erat) vt cum reliquis militibus, equis, tormentis, & omni genere commeatus, quamocyssimè posset in subsidium veniret. Quum ad Carthaginem appulisset in terram egressus, Regium edictum publicè Indis per interpretem enunciat, orans vt pacificè viuere & Christianorum amicitiam colere vellent, & abiectis nefandis suis moribus Christi fidē susciperent. Id si facerent, Regem Castellæ illis clementer vsurum & pro amicis carissimis habiturum spondebat.

Indi Hispanorum amicitiam repudiant

INDI paucis verbis respondent: Castellæ regis amicitia sibi nihil esse opus. Itaque reuerterentur Hispani vnde venerant. quippe se quidem in suis finibus bonos & mansuetos aduenas ferre posse: sed cum iis qui nihil nisi malè agere sciant, nec inferendis iniuriis vmquam satientur, nullum sibi esse commercium. Hoc tam abscisso responso accepto, Gubernator milites omnes in litus exponit: illi omnem eam oram peruagati, quotquot Indos reperiunt obtruncant.

Duri concionatores Euāg.

CETERVM promulgato per omnes eas prouincias Regio illo Edicto, ne cuiquam ignotum esset, omnes omissa & seposita Euangelij prædicatione, capiendis Indis quos minus obedientes deprehendissent, & mancipiis contrahendis intendere: ac quamquam ea lex solos Caribas, humanis vescentes carnibus, constringeret, promiscuè tamen in aliis Indiæ partibus, vbi feralibus illis moribus locus non erat

erat, Hiſpani Indis ad metalla effodienda, ſeruiles operas & vſuum neceſſaria omnia pro mancipiis abutebantur. Inde gliſcere barbaris ſeruitus, & ea vſqueeò progreſſa eſt, vt niſi monachi aliquot obſtitiſſent, qui zelo ſtudióque charitatis incenſi infelicisſimæ gentis libertatem procurarunt, breui genus omne Indorum interiturum fuerit.

Monachi vulnus ab ſe illatum ſanare conātur, ſed ſerò.

MONACHI illi Dominicani erant, qui quum in noua Hiſpania commorantes, quàm acerbis & indignis modis Indi ab Hiſpanis aſsiduè haberentur, palàm ipſi cernerent, & tantas eorum iniurias tum pro concione tum priuatim vbique reprehenderent, monentes, venire aliquando ipſis in mentem debere, tãtæ immanitatis, quantam erga Indos exercerent, reddendam Deo eſſe rationem. Itaque imponerent modum ſæuitiæ, & Indos deinceps mitius tractarent, quo videlicet illi Euãgelii iugo libentius ſe ſubmitterent. Hæc (inquam) & talia quũ monachi Hiſpanis ſubiicerent, parum proficiebant, vltro irridentibus illis dicentibúſque, quum nihilo ſegnius in conſueto perſeuerarent, Barbaros iſtos eſſe indignos Chriſtianiſmo canes. Ita verba & monita odium non fructum pariebant.

QVARE coniuncti iſti Patres, quum eorũ ſcelerum plenam & authenticam inquiſitionem egiſſent, eam Romam ad Pontificẽ mittunt per F. Rodericum Minaiam Dominicanum, eíque negotium dant vt expoſito Indicæ ſeruitutis præpoſtero & pudendo abuſu, quæque inde damna conſequuta eſſent, Bullam

à Papa edi procuraret, qua Indi priſtinæ libertati reſtituerentur. Apoſtolicam ſedem tum regebat Papa Paulus III. Is cauſa & iniuriis Indorum auditis, veráque iis de rebus iniquiſitione comperta, Bullam conceſſit qua Indos ſuæ libertati reddi iuberet. Eam ſecum in Hiſpaniam Rodericus referens, cum aliis monachis Regiæ maieſtati earum rerum initium, ordinem, finem, vt geſtæ erant, exponit: docens, Indorum peccata ab ignorantia expreſſa & pura, non à malitia proficiſci: illos quidem creatos eſſe à Deo homines, non beſtias: liberos, non ſeruos: & ad fidẽ Chriſtianam adduci debere bonis exemplis, non ſæuitia aut tyrannide. Itaque cogitaret regia maieſtas, prouincias illas ſub imperio & pedibus ſuis ſubiectas eſſe: ac proinde pium fore prouidere, ne intolerandis malis atq; iniuriis quas paterentur ab Hiſpanis, breui ad vaſtitatem & ſolitudinem redigerentur. Quippe nullum pudorẽ eſſe Hiſpanis, miſeros illos homines ſub oneribus gemere & exſpirare cogere, terram è fodinis aſsiduè egerere, aliíſque ſeruilibus & parũ honeſtis operibus illaborare: adeò vt multi eorum, tædium & miſerias fugientes, dilapſi in ſiluas ſibimet ipſi gulam deſperati frangerent.

Indorum ſeruitus abrogatur

CAESAR, ea relatione audita, doctorem Figueroam in Indiam mittit, eíque mandat vt ex monachis & præfectis ſedulò verum inquirat. Ille abit, mandata exſequitur, quæ cognouerit refert. Cæſar extemplo, nullo prętereà adhibito conſilio, Indos liberos eſſe iubet, grauiſſimis pœnis in eos conſtitutis qui illis deinceps pro ſeruis vterentur. Lex profectò

ſanctiſsima, & illuſtriſsima, ab optimo Imperatore & clementiſsimo profecta.

ANNO M.D.XLIIII. quum in Hiſpaniola eſſem, licentiatus Ceratus pro præſide in Inſulam venit, Edictum illud Cæſareũ afferens: ídq; mox per omnes indiæ Inſulas & prouincias, magno indigenarum ſolatio gaudióq; & ſummo Hiſpanorũ dolore, promulgatum eſt. Nec difficulter in Hiſpaniola, Cuba, Iamaica, San-Ioannis inſula, & in vniuerſum omni illa ora quæ vulgò à nauticis Terra firma dicitur à Nomine-dei vſque ad Parienſem ſinum edictũ illud obtinuit. Sed in Mexico haud per inde acceptũ eſt, ditiſsimis quibuſdam viris, quorũ omnes propè fortunæ in mancipiis ſitæ erant, ei legi parére abnuentibus. Quippe contrà afferebant, Indos à Ferdinando rege publicè ſeruituti addictos fuiſſe, ídq; poſtea à Cæſare confirmatum, & illis quintæ vectigal pẽſum eſſe: proinde ſi vellet Cæſarea maieſtas Indos libertati reſtituere, eadẽ opera ſibi nũmos redderet, quos in id mercĩũ genus erogaſſent. Hæc & ſimilia omnes vulgò querebãtur exſecrãtes monachos damni illius ſui autores.

EA in re tum Antonii Mendozzæ proregis ſingularis prudentia apparuit: qua niſi opportunè vſus eſſet, res haud ſatis feliciter caſuræ videbantur. quippe ſe quoq; ei legi aduerſari & ipſis aſſentiri ingenti ſollertia ſimulans, de ea abroganda ſcribere & ſupplicare eos Cæſari iubet: vero tamen eum officio functum exitus demonſtrauit. Neque enim Cæſat aut ſententiam mutare, aut eorum voluntati obſequi voluit, ſed debere eos dicto ſuo audien-

Mendozza ſolerti cõſilio Hiſpanorum auaritiam eludit.

tes esse rescripsit. Itaque Prorex, Mexicanæ ciuitatis primoribus conuocatis, nouum Cæsaris edictum exhibet, sed vbi locupletes dominos duriores, neque seruos manumittere velle animaduertit, ne turba inde aut tumultus oriretur, legis rigorem prudentia temperauit, eámque omnes tali forma acceperunt: nimirũ vt quicunque seruos haberent, quotannis pro rata portione, viginti ex omni numero manumitterent. Qua ex re factum est vt omnes Indi breui in libertatem vendicarentur. Equidẽ si Blascus Nunez Vela, quum Regiis illis mandatis instructus, Peruanam prouinciam Prorex iniit, ad eum modum sese agitasset, nec quẽ vitæ exitum nactus est, habuisset, nec, quot postea exponentur, inde euenissent mala.

Monachi Barbaros allicere ad fidem prędicatione conantur, sed frustra, iam malis Hispanorum exemplis exasperatos.

RESTITVTIS in libertatem Indis, monachi supplicant Cæsari, & potestatem illò cõmeandi fieri sibi postulant: vt quando Indicam linguã didicissent, eas gentes benignitate alliciendo, prædicationibus & concionibus conuerterent: sibi enim quidem satis esse animi, vt iuuante gratia Spiritus sancti eos ad fidem adducerent. Id cõcessum illis: quinetiam tum vetuit Cæsar vllas deinceps prouincias vi & armis subigi: sed bonis potius operibus ad Christianismum allici. Cum ea autoritate & mandatis octo monachi in Indiam profecti, ad Floridam appellunt: quatuor ex iis in terram egressi concionari cœpere. Indi iam antè ab Hispanis malè babiti, monachos fustibus excipiunt, & interfectos pro suo more cõedunt. Duo alii ad fineis Gattimalæ profecti

uinciæ appulsi, ad prædicandum exscēderant: sed idem istos, qui & priores illos, exitus habuit. His experimentis deterriti ceteri, inceptum illud cōmodiori tempori reseruarunt. Verùm equidem si iam inde ab initio pro turpitudine ac flagitio conciliandis eorum animis adhibita esset benignitas, nō dubito quin prosperè cessura fuerint omnia, quippe fœdas illas & atroces iniurias, veluti exempla ad male agendum non habuissent.

¶Hoieda & Niquesa Gubernatores ferro & flamma in Indos continentis incolas sæuiunt. Hoieda vulneratur, & fame è prouincia eiectus, ex vulnere in Hispaniola moritur.

CAPVT XIX.

DVM circa nouam Carthaginem moratur Hoieda cum Indis bellū gerēs, ecce Niquesa superuenit liburnicæ vnius, septem carauellarū, & duorum phaselorum classe instructus, & cum amplius septingentis militibus prouinciam suam petens. Is socium suum Hoiedam infausto quodam casu ictum & afflictum reperit. Ille paulo antè à Carthagine XII. millia in mediterranea progressus, ingentis prædę spe & cupidine illectus, genti cuidam infesta arma intulerat, quum Indis credidisset affirmantibus eo loco magnam vim auri reperturum. Sed ex ea expeditione nihil præter vulnera &

detrimentum ingens retulit. Eius enim populi Cacicus, haud dubius aduentare Hispanos, Indorum multitudine excita, paratus in armis hostium aduentum exspectabat. Qui vt apparuere, tanta in eos vi irruerunt Barbari, vt Hoieda fugam capessere, amissis septuaginta quinque militibus, & ad mare regredi coactus sit.

His auditis qui superuenerant, consilium ineunt, & iunctis viribus in eius gentis fineis impetum facere ac suorum cædem vlcisci statuunt. Itaque sub vesperam maxima militum pars silentio è castris profecti, modico ac suspenso gradu medio itinere confecto, sub auroram Indos securos & somno torpidos opprimunt. Illi excitati vulneribus & ad necopinatum tumultum pauentes, insuper etiam mapalium incendio perterriti, præcipiti fuga velut cæci euadunt: sed obseptis à milite itineribus incidentes in armatos cæduntur alij, alij incendio perire quàm Hispanorum manibus præoptantes, in igneis semetipsi præcipitant. Erant ei populo centum fermè casæ contextæ arundinibus & foliis palmarum contectæ. Omnes ferro flammáque absumti sunt, præter paucos, quos dubiæ adhuc lucis obscuro, fuga discrimini eripuit. Sex modò capti sunt & Hoiedæ in seruitutem traditi: victores, quum frigefactis cineribus aurum quærentes perpauxillum inuenissent, elusa auaritia nec præda pro spe inuenta, male alacres Carthaginem regressi sunt.

Inde soluens Niquesa, & directo in Occidentem

cidentem cursu oram præterlegens, Prouinciam suam quærere instititit. Hoieda quoque & ipse præter oram nouæ Carthaginis vectus, ducenta ferè millia à Carthagine sinum Vrabensem ingreditur, & ibi equis, machinis, omníque commeatu in litus exposito, ædificia moliri & crebris excursionibus eas gẽtes infestare cœpit. Indi satis gnari quid Christiani quærerent, rudis auri massas & monilia per vias spargebant: mox intentis arcubus abditi Hispanos, simul vt sese ad colligendum aurum demiserant, venenatis sagittis figebant.

Barbari Hispanorum auaritiam eludunt.

DVM eius prouinciæ fineis Hispani populantur, Indi cuiusdam reguli vxorem fortè inter ceteros captiuos abduxerant. Is Gubernatorem adit, aliquot amicis comitantibus, vxorem se redimere velle simulans, & dare quidquid ille peteret: sed vt in eius conspectum venit, magnificè exorsus, non cum tantùm contumeliosis verbis, sed re ipsa quoque violat, & sagitta venenata configit. Milites audito clamore accurrunt, & circumfusi Regulum cum coniuge & sociis obtruncant. Gubernatoris femur saucium, [1] igni (vt fieri cõsueuit) medicatum est, & veneno non satis valido vtcunque sanatum.

Magnanimi viri exemplum & minimè barbaræ virtutis

HISPANI tantam in hostibus animi magnitudinem demirantes, & ab illis dum animosè libertatẽ suam defenderent, multos iam ex suis interfectos: alios ex intemperie cæli vulgatis morbis quotidie interire, de Guber-

natore conqueri incipiunt : Se videlicet ab eo in eum locum deductos, vbi propter impeditos saltus & densissimas siluas nequicquam arma & vires experirentur.

PER eos fortè dies ex Hispaniola nauis viris & commeatu onusta eò appellens, recreandis omnibus plurimùm profuit: nec propterea tamen fremitus militum & seditiosi clamores leniebantur. Quinetiam quum vehementius quàm antea ardescerent, Gubernator circumiens omnium vicem consolabatur, bono animo eos esse iubens: breui Ancisum baccalaureum ex Hispaniola cum subsidiis & commeatu adfuturum. Sed verba frustrà erant,& surdis hęc canebantur, metuentibus videlicet ne tandem Indos pascerent. Itaque maxima eorum pars phaselis inde fugere clanculum moliebantur.

HIS auditis Gubernator, tum vt seditioni obuiam iret,tum ne irrito incepto ditissimam prouinciam relinquere cogeretur,nauem quæ venerat conscendens, legatum in sui vicem Franciscum Pizarrum reliquit:pollicitus breui se ex Hispaniola cum commeatu & recentium militum supplemento reuersurum:ac nisi quinquagesimum intra diem rediisset,potestatem sociis faciens, vt quomodocunque visũ esset, rebus suis consulerent. Is fuit [2] Pizarrus, qui postea cum Didaco Almagro amplissimum ditissimúmque regnum Peruanum reperit & subegit. [3] Hoieda multis conflictatus laboribus vix tandem Hispaniolam tenuit, vulnere nuper accepto admodũ grauis: vnde

paucos

paucos intra dies summo cũ dolore moritur.

1 De *venenatis Indorum sagittis: & remedio vulnerum, vide suprà hoc libro cap. 3. pag. 14.*

2 Hic *fuit Pizarrus, qui postea Carolo* V. *imperium noui eius orbis Peruanis prouinciis ampliauit, Attabaliba Rege capto & interemto: mox Marchionis titulo auctus & consortis impatiens, Didacum Almagrum, quicum fortunarum & periculorum societas ei erat, Ferdinandi Pizarri fratris sui opera, de medio sustulit: ac vicissim ipse ab Almagri filio, Ioannis Radæ & aliorum coniuratorum opera, Limæ domi suæ interfectus est, Anno* M. D. XLI. *De eo fusiùs lib. 3.*

3 Hoieda *iste, postquam in Hispaniolam peruenit, seu dolore vulneris retentus, seu deficientibus ad reditum necessariis: tandem, abiecta & prouinciæ & vitæ spe, Franciscanorum ordinem subiisse (velut vltimum desperatorum perfugium) & in eo cultu mortuus, fertur.*

¶*Franciscus Pizarrus Hoiedæ legatus, è continenti Indiæ cum suis fame expellitur. Ab Anciso Prætore reuerti cogitur. Ancisus, victoria aduersum Indos potitus, coloniam condit. Valboa, tractis in partes Hispanis aliquot, ab Anciso secedit.*

CAP. XX.

Hispani fame ex Indiæ continenti expelluntur.

IAm duo præterierant menses, nec redibat Hoieda. Itaque Pizarrus, subigente fame, cum LXX. Hispanis (qui ex trecentis reliqui erãt) duobus inde nauigiis soluit. Sed quum circa eius oræ litora erraret, sicunde alimenta expedire pos-

ſet,mox repetendæ Hiſpaniolæ propoſito, ingruente procelloſo ventorum turbine,è duobus phaſelis alter, cum omnibus qui in eo erant,id eſt, dimidia ſociorum parte, hauſtus aquis periit. Nonnulli ab inuſitatæ magnitudinis piſce eius gubernaculum frangi & excuti viderunt.

Fortis, insula.

INDE Pizarrus in Inſulam Fortem eiectus eſt, in cuius litus quum aquatum egredi vellet, etſi pacis amicitiæque ſigna ederet,ab Inſulanis prohibitus eſt. Itaque deſperabundus,quum ſuper omnia ſæua atque aſpera,cælo ac terra infeſtis,fatigatos etiam ſitis exureret,litus aliquod tutum quò exſcēderet quærebat.

SED iam mitiore & mutata in melius fortuna,ecce in baccalaureum Anciſum incidūt, qui liburnicam vnam & phaſelum viris commeatúque onuſta Hoiedæ ſubſidium ducebat.Pizarrus eo occurſu mirificè lætus, ei primum ſuos caſus,deinde vt quò ire vellent per miſiſſet Gubernator,exponit. Anciſus primò non credere, iſtos ob maleficium profugiſſe ab Hoieda ſuſpicans:mox vt ea vera eſſe comperit,ingemuit, & illos ponè ſubſequi iuſsit. Pizarrus ad hæc ſupplex orare vt has infelicis exercitus reliquias afflictas & ægras in Hiſpaniolam perduci à ſe ſineret.Quod quum Anciſus abnueret, tum infirmi milites idem precari, & L. auri libras offerre: quas haud grauatè accepiſſet, ni crimini id ſibi verti metueret. Ergo gratias agens munus repulit: ipſos

ipsos vtique consolatus, breui redituras illis vires & pristinam valitudinem, noui sui cōmeatus ope: quum non aliunde morbos contraxissent quàm ex miseriis & fame. Ita haud procul Carthagine naueis applicans, in Comagræ litus ad aquandum egreditur.

INDI quum nec Niquesæ nec Hoiedæ eas naues esse agnoscerent, aquari Hispanos, ceteráque inde sumere quæ necessaria essent, multum mirantibus omnibus, permittunt. Mox inde soluens Ancisus in Vrabam venit, vbi quum in eundem locum appulisset, in quem antè Hoieda exscenderat, Naucleri imperitia, nauis prætoria scopulo illisa est, & ea mox aquis hausta, equi cæteráque animalia periere: milites ipsi ægrè, nulla propè re præter vitam incolumi, euaserunt, quam & ipsam ne breui fame amitterent, omnes metuebant.

Hoc nimirũ nesciebant Indi, Ex vno nosce omnes.

IPSE Ancisus, naue amissa & haustis commeatibus, quum iam milites herbis & agrestibus pomis, quæ in maritima ora reperiebant, vescentes cerneret, in mediterranea progredi statuit, satius fortiter pugnando occumbere dictitans quàm turpiter fame tabescentes mortem expectare. Itaque cum centum Hispanis profectus est: sed vix quatuor millia pass. progressi erant, quum occurrens sagittatorum agmen Hispanos audacter inuadere & sagittis configere incipit. Itaque illi subacti terga vertere, & terram ipsam & gentem, tam lethales sagittas mittentẽ, exsecrãtes

trepida fuga litus repetunt.

Mox quum nulla inde alimenta expediri posse Ancisus videret, cognouissétque è captiuis ex aduerso, non procul sinu, campestrem esse planiciem, frugibus, fructibus aliisque vitæ subsidiis abundantem, cum centum Hispanis & duobus phaselis in aduersam sinus partem traiecit. Indi primò aliquandiu nouam gentem & eorum consilij euentum quieti spectabant. Mox verò vt apparuit illos ibi sedibus locum legere & ædificia moliri, ad eos arcendos arma capiunt. Altera parte quoque Bacca laureus aciem instruit, nílque barborum audaciam & sagittas metuens, impressionem facit, numcupato prius voto, se sacram ædem è Cacici domo facturum. Manus conserunt, fit atrox pugna, vtrisque fortiter dimicantibus: tandem Indi, quum hostium vim sustinere nõ possent, in fugam vertuntur. Ea res Hispanis iam fame cæcis robur & audaciam accendit: fusos hostes persequuntur & omnia cædibus complent.

Egregium votum sc. quasi Deus præda & manubiis delectetur

Hispani ea victoria potiti, eius gentis pagos inuadunt: vbi panis, fructuum, radicum aliarúmque rerum copiam nacti, barbarcis cibariis corpora strenuè reficiunt. Posthæc vicini fluminis ripam sequentes, in arundineto lodices, stragulas, fictilia & lignea vasa & amplius duo mille & quingenta pondo auri laborati reperiunt, quod Comaccus, eius populi Regulus, ne in manus Christianorum veniret, abdiderat. Neque profectò ab illis

Auaritia sagax.

reper-

repertū esset, nisi vbi lateret Indos tormentis fateri & prodere coegissent. Baccalaureus multas de victoria Deo gratias agens, locum [1] Antiquam Dari nis appellat: mirificè quoque lætis militibus ob tantam auri copiam repertam, quippe sine eo malè alacres & parum expleta cupidine reuertebantur.

Antiqua Darienis, colonia.

INTEREA Baccalaureus missis phaselis Hispanos, quos in aduersa sinus parte reliquerat, arcessit. qui vt venerant, breui in factiones discessere: quum videretur Baccalaureus in diuidendo auro & spoliis partium magis & priuati emolumenti curam agere quàm Iudicem deceret. Itaque [2] Vascus Nunez Valboa, procax homo & seditiosus, cum factionis suæ popularibus secessit in partes, ac se Hoiedæ iurisdictioni non vltra subiici dictitans, licere omnibus Præfectis esse contendebat: nec se Baccalaureo pariturum, qui in iure dicendo priuato magis quæstui quàm communi omnium vtilitati consuleret, nihilque præter litterati nomen haberet, reipsa vulpem astutissimam referens.

Factiones inter Hispanos etiā in mediis calamitatibus.

DVM Ancisus & Valboa ita inter se altercando & iurgiis tempus terunt, ex Hispaniola soluit Rodericus Colmenares, duabus carauellis nouum hominum supplementum & commeatus subuehens, Hoiedæ militibus auxilium, quos in summis rerum omnium angustiis versari acceperat. Inde continentis oram tenuit ad prouinciam Carthaginis, & aquæ penuria laborans, ad fluminis ostium applicuit. Simul quinquaginta milites, qui nauticis

aquantibus præſidio eſſent, in litus exponit. Illi egreſſi in terram, vt ſi in tuto & pacato eſſent, veluti per iuuenilem laſciuiam ſaltare alacres & vitulari cœperunt. Sed Indi, qui carauellas fluminis oſtium ſubeuntes conſpexerant, frequentes cum arcubus & ſagittis, ſubire ſiluas, atque inde in Hiſpanos in litore ſecuros ac ſolutos de improuiſo impetum facere, tanta ac tam feſtinata vi, vt ne vni quidem ad euadendum quidquam ſpacij relinquerent. Eodem veſtigio ſcaphas confringunt, ferociter etiam aliis qui in carauellis erant minantes, procul ſignificant, quantopere illis potiri cuperent.

Indi Hiſpanis formidabiles

COLMENARES Indos adeo acres bellatores expertus, ſitim aliquandiu pati quàm Barbarorum manibus interire præoptans, ſublatis ancoris, inde in Vrabam properè vela dat. Ibi, repertis tantùm quibuſdam coloniæ ab Hoieda poſitæ veſtigiis, multum obſtupefactus, ac ne omnes à barbaris laniati eſſent metuens: tandem ad naueis regreſſus, ſub noctem, vt ſi fortè aliò migraſſent, ſuum ipſis aduentum ſignificaret, tormentum vnum diſplodi iubet. Quo ſigno edito Hiſpani, qui in Antiqua erant, præfectum ſuum adeſſe rati, crebris & ipſi extemplo ignibus excitatis in montium & collium ſpeculis, ſe non procul abeſſe admonent.

ORTA luce Colmenares, quà fumum euolutum conſpexit, eò flectens ad Antiquam appellit. Tum inter eos ingenti lætitia conſalutatio facta, & mutuò alij alios amplexantur, diuerſis

diuersis vtrinque cupidinibus, illi ciborum desiderio, hi auri fame ardentes: & (sicuti dictum est) Indi maximam colonorum partem trucidauerant: ceteri petere ab indigenis cibaria, aut procul quæritando victum expedire non audebant, tantus sagittarum timor incesserat. Itaque tegminibus laceris, seminudi, strictis arborum frondibus, agrestibus pomis, & herbarum radicibus, aliísque similibus, ægrè inopiam sustentabant.

1 *Vouerat Ancisus Virginis simulacro, quod sub nomine B. Mariæ Antiquæ Hispali sacratũ est, non tantùm aurea argenteáque dona è manubiis: sed se ædem quoque illi sacram è Cacici domo, & Coloniam mox eo loco extruendam ipsius nomine insignem facturum. Ergo voti damnatus, impositam ripæ fluminis coloniam (quod Darien vocãt) Antiquam Darienis nuncupat. Ea, quum Ancisi auspiciis Hispanis colonis frequẽtari cœpisset, paulò pòst pestifero paludum halitu & insalubrium aquarum potu infamis, ab incolis deserta est.*

2 *Hic postea Mare Australe (vulgò Mare del Sur) primus reperit: móxque eius oræ Præfectus designatus, à Petro Aria, socero suo, seditionis reus peractus, & capitali supplicio affectus est. Vide infrà hoc libro, cap. 24.*

¶Didacus Niquesa in Veraguam prouinciam suam tendens aberrat à cursu, & naufragium facit. Reuectus ad suos Veraguam, vt infaustam, relinquit.

CAP. XXI.

Niquesæ errores.

PRIVSQVAM enarrandis istorũ Hispanorum discordiis finem faciã, Didaci Niquesæ errores & casus exponere hîc me necesse est. Is quum Carthaginis ora soluens in prouinciam suam tẽderet, carauella vna & duabus biremibus præuectus ceteras naueis ponè subsequi iussit. Sed dũ nauigat, noctu coorta tempestas biremes disiectas à carauella abripuit. Luce orta quum biremes in vnum coiissent, nec carauella in conspectu esset, & ignota regio, quò aut quà irent, incertum faceret: tandem retrò proras vertere rectores statuunt. Ita terræ applicant naueis, & oram præterlegentes vsque ad os Ciagri fluminis, ceteram ibi classem & socios reperiunt. Vbi quum nihil certi de classis Præfecto cognouissent, eum tandem se inuenturos rati, omnes inde abeũt. Centum millia emensi, quum vlterius progredi non placeret, iaciunt ancoras, & exporandi aditus gratia & quà commodè terra prehendi posset, scapham ad litus & octo nauticos mittunt. Sed quum fortè commotum mare esset, & nautæ remis pertinacius euerberantes vndas superare contenderent, obruta gurgite scapha cum septem nautis demergitur. Octauus flu-

ctibus

ctibus sese strenuè euoluens, nando ad terram euasit. Nauium magistri, scapha in omnium oculis amissa, dum omnis pelagi furor caderet, exspectant: mox sequenti die, æstu posito, phaselis & biremibus, equos, machinas, & commeatum omnem, in litus exposuere.

INDE Lupo "Olãdo, dum Niquesa rediret, summam imperii deferũt. Is quò omnem sociis spem fugæ tolleret, naueis fluctuantes temerè ad litus ferri atque allidi sinit: mox, nimis festinati consilii errore animaduerso, è fractarum nauium tabulis carauellam vnam, ad subitos & necessarios vsus fabricari iubet. Inde casas moliri, Maizium seminare, & aliquot eius oræ loca peruagari, cœperunt: sed omnes fermè pagos incolarum fuga desertos reperiebant. Quippe Indi formidine in montes refugerant: & eæ profectò gentes, quum id sibi minus conducere arbitrentur, elici ad certamen nequeunt, neque cum nostris hominibus manum conserere curant: nuda videlicet ac sterili terra satis pro ipsis aduersus aduenas pugnãte, quibus nihil præter famem relinquunt.

"Olanum alii vocãt.

Indi famẽ quàm se aduersus Hispanos pugnare malunt.

DVM hæc Olandus agitat, ecce tres nautæ scapha eò appellũt, qui ab Niquesa præfecto aufugerant. Illi de Niquesa interrogati renunciant, illum, carauella amissa, in Zorobarensem quãdam insulam eiectum, & iam tertium mensem per montes siluosos, & solitudines auias sine vllo humani cultus vestigio, errantem, victu infelici, siluestribus pomis, & vulsis herbarum radicibus vitam trahere. Olandus

extemplo biremem ad eum aduehendum mittit: ea vbi Insulam attigit, nauim conscendit Niquesa cum paucis illis qui supererant militibus, & ad exercitum suum venit. Ibi plurimùm de Olando conquestus, proditionis eum insimulans, quòd neglecta præfecti sui salute & omissa eius vestigandi cura, naues litori illisisset, vt summum eius prouinciæ imperium inuaderet: mox se ex illis sedibus excedere velle militibus denunciat. Illi haud procul abesse maturitatem frugum quas seuerant monentes, paululum spatii ad metẽdum orabant: sed ipse frugum iacturam quàm vitæ facere malle respondit, neque diutius tam infelici terra considere velle.

Niquesa quum in Veragua pro thesauro carbones reperisset, inde excedit.

PLACET nonnullis ita loquutum Niquesam vt Olandi gloriam minueret: verùm opinor eiuscemodi scriptores, si eam prouinciam perambulassent, vt à Niquesa & aliis multis, & à meipso quoque, peragrata est, nunquam fuisse scripturos eam editam à Præfecto vocem, velle se inde excedere, vt alterius gloriæ officeret. Sed ne si velim nunc plenam horridæ illius & asperrimæ prouinciæ descriptionem edere, longius ab instituto abstrahar, eam commodiori loco reseruo. Quippe id mihi propositum, breuem hanc meam Historiam quàm accommodatè fieri poterit, pro exiguo ingenii mei modulo contexere, quò facilius res maximè memorabiles visas à me, aut quomodocumque cognitas, quæ illis in terris accidére, ordine exsequar: tum peregrinationis meæ casus & errores exponam quæ mihi

Lib. 2. ca. 10. & seq.

mihi quatuordecim annorum ſpatio per infrà ſcriptas prouincias exacta eſt. Primùm enim in Inſulam Vnionum appulſus, mox Parienſis ſinus tum orientalem tum occidentalem partem perluſtraui. Inde Inſulis Margarita, S. Ioãnis, Hiſpaniola & Cuba peragratis, in continentem regreſſus, ad prouinciam Carthaginis applicui: & oram ſinus Vrabẽſis prçteruectus, in Achlam: vnde Auſtrali mari traiecto Panamam (quæ prouincia ab Hiſpanis "Caſtella aurea dicitur) & ex Nomine-dei Veraguam & nouam Carthaginem, Coſtamriccam, Caput-Fondurenſe, Vallem Olanchiam, prouinciam Cuattimalam, & Nicaraguam adij. Pòſt denuo in Panamam tranſgreſſus, regnum Peruanum ad extremum obij aliáſque præterea Inſulas, vt quouis loco planum faciam.

Summa Indicç peregrinationis, à Benzone confectç.

" De eius nominis ratione, vide huius lib. cap. 23.

¶Niqueſa Veragua relicta, Nominis dei coloniæ fundamenta ponit. A Darienenſibus colonis ad componendas rixas arceſſitur. Mox ob inconſultè iactas voces probroſè expellitur ab Anciſo & Valboa, factionum ducibus. Mors eius.

CAPVT XXII.

POSTQVAM Niqueſæ ſententia ſtetit Veragua excedere, tanta militum & nautarum multitudine, quantam carauella noua & duæ biremes capere poterant, conſcendere iuſſa,

ceteros fortunæ arbitrio permiſit, fide tamen illis data, ſe ſimulac idoneum coloniæ condendæ locũ nactus eſſet, illico ad eos arceſſendos miſſurum. Sed poſtea rebus illi vndique improſperè cadentibus, id præſtare non potuit.

Portus-bellus.

INDE ſoluens, portum tenuit, cui Bello, id eſt Pulchro, nomen eſt, ſic antè ab Almirãte Columbo nuncupatum, quòd amœno & opportuno ſitu pulcherrimæ condendæ vrbi ſedem præbeat: ſed Indi Niqueſam eò appulſum, maxima militum parte amiſſa, regredi ad naues coegerunt. Itaque ad promontorium Marmoris prouectus, feliciorem ſibi rerum curſum quàm antea promittens, In nomine Dei (inquit ſuis) egrediamur in terram. Inde nomen poſtea loco manſit: ipſe quò ſe aduerſus Indos infeſtantes defenderet, propugnaculum è ligno raptim exſtruit.

Nominis-Dei coloniæ origo.

INTEREA dum Niqueſa, circa ea loca variis ærumnis moleſtiíſque conflictatur, inter Hiſpanos Darienis colonos diſcordiæ ſtudiis accenſæ in dies magis ac magis creſcere, aliis ad Valboam, aliis ad Baccalaureum Ancíſum imperium trahentibus. Alphonſi Hoiedæ milites omnia ita agitari miſcerique ægrè ferentes, priuſquam res ad vltimum diſcriminis certaminibus veniret, mittere in Veraguam ad arceſſendum Niqueſam ſtatuunt, qui imperio ſuſcepto, donec à Rege alius præficeretur, ſimultates Hiſpanorum & ſeditiones finiret. Itaque, quamquam ne id quidem niſi ægrè obtineri potuerit, intercedentibus aduerſariis neque aſſentiri volentibus, honeſtorum tamẽ

Niqueſa finiendis Darienẽſ colonorũ ſimultatibus arceſſitur.

aliquot

aliquot virorum pacíſque ac quietis publicæ amantium interuentu effectum, miſſúſque ad Niqueſam arceſſendum Colmenares.

Is duobus phaſelis oram pręterlegens, cum tandem debilem, ſqualidum, ſeminudum & victus egẽtem ad Nomen-dei reperit. Niqueſa, qui quiduis ſibi potius euenturum quàm illud auxilium ſperaſſet, magnam vim lachrymarum profundens Colmenarem amplectitur, & tanti beneficij ingẽtes gratias agit: mox infelicem hactenus ſuam ſortem miſeratus, mala & ærumnas quîs conflictatus erat, expoſuit. Colmenares viciſſim ſui ad eum itineris cauſam & quibus moti Antiquenſes eum accirent, aperit: deinde ſpe eum ſolatur & bono animo eſſe iubet: quippe ditiſſimam eſſe prouinciam in quam vocaretur, ibíque eum ſuperioris temporis damna & incommoda futuri prouentu facillimè ſarturum.

ITAQVE Niqueſa cum ſeptuagintaquinque Hiſpanis, quos ex omni exercitu reliquos habebat, nauim conſcendit: & dum nauigant multa vana de Baccalaureo, de Valboa aliíſq; multis ſtolidè iacere cœpit, haud dubiè præ ſe ferens, ſimulac prouinciam attigiſſet, animaduerſurum in eos, alióſque abdicaturum dignitatibus, alios auro & pecuniis multaturũ. quippe id habere ipſis non licere ſine ſuo vel Hoiedæ permiſſu, qui à Rege Gubernatorum titulum atque in vtramque prouinciam imperium accepiſſent. Multa præterea alia inconſultè effudit, quæ plurium auditu excepta, exitium ipſi attulere. Nam vt in Antiquam

Temerè iactæ voces Niqueſæ exitium afferunt.

appulerāt, subitò egressi in terram aliquot Hispani ad Consilium ciuitatis verba & minaces Niquesæ in eos voces referunt. Inde maxima fermè omniū aduersus eū indignatio coorta. itaque vix naui egressum, certatim minas probráque ingerentes præcipitem Antiqua expellunt, & inhumanissimè cum suis LXXXV. Hispanis, soluere cogunt. Ipse multū mœrens abiit, & eam oram præternauigans quum ad aquandum fortè in littus exscendisset,[1] ab indigenis cæsus cū omnibus sociis & comestus est. Hūc Didacus Niquesa vitæ & susceptę in Veraguā expeditionis cum exercitu exitum habuit.

Niquesæ exitus.

1 NIQVESA *iste, linguæ & iræ impotens, quam mala exasperauerant, Dominicam rectà petere, atque ibi apud Regiæ curiæ Iudices Vascum & Ancisum de vi reos agere, in animo habebat. Creditur in itinere mersus fluctibus, causam omnē & sua iusta secum ad pisces tulisse. Prodidere alij, quum Veraguam iterum cogitaret, applicuisse ad quendam eius oræ fluuium: mox aduerso flumine inuectum & in terrā egressum cum omnibus sociis, à Barbaris mactatū esse: atq; ex eo casu inditū flumini nomen, quod nō procul Zorobarensibus insulis Fluuium Perditorum, vulgò Rio de los Perdidos, vocāt. Cui opinioni causam præbuit, quòd in huius fluuij ripa hæc verba arbori inscripta reperta sunt:* HAC, MISERO ERRORE FESSVS, DIDAC. NIQVESA INFELIX TRANSIIT. *In tanta prodētium varietate, nihil habeo quod affirmem. Sed vtcunque ea res sit, iste, cū collega suo Hoieda, infelici exitu insigne documentum prodidit mortalibus, quantum malum sit Auaritia.*

Ancisus

¶ Ancisus à Valboa in vincula conijcitur. mox solutus in Hispaniam concedit. Valboa Australe pelagus detegit. Petrus Arias Gubernator ex Hispania in Antiquam mittitur. Is auarè & crudeliter habitos Indos aduersus Hispanos odio implacabili inflammat.

CAP. XXIII.

POST discessum Niquesæ, inter Antiquenses colonos renata sub itò fœdior priore seditio est. Valboa satis gnarus se viribus Baccalaureo superiorem esse, vespera quadam in eius domum irrumpens, hominem corripi iubet, & pecunias eius fisco addicit, Prætoriam potestatem priuato cõsilio sine autoritate regia vsurpasse insimulans. Neque Baccalaureus Regij diplomatis & mandati exemplum proferre poterat: quippe amissum inter alia quum prætoria eius nauis in sinu Vrabensi frangeretur. Valboa verò postquam aliquãdiu Baccalaureum in custodia habuerat, tandem emisit: móxque discessum apparantem, summissis qui rogarent, oblata summi Prætoris iuridici dignitate, retinere conatus est. Ille verò remisso stomachosé beneficio, in Hispaniam concessit, libellum accusatorium plenum querelarum in Valboam secum ferens: quem quum Indico senatui obtulisset, atrox in Valboam sententia lata, sed cuius nulla exsequutio pôst sequuta est, propter mare Australe ab eo repertum.

Hispanorum fœda inter se certamina.

BACCALAVREVS abierat: Valboa auri cupidine in mediterranea progressus, cum aliquot regulis amicitiam contraxit: in iis cum Panchiaco quodam, à quo [1] pelagi Australis notitiam habuit, & ab eodem illo deductus est. Eum postea, quum baptisandum curasset, Carolum nuncupauit. Is ipse Cacicus quum Valboæ grandem auri vim dedisset, ortæque fortè inter Hispanos in eo diuidendo rixæ essent, libram & lances pugno ita feriit vt omne aurum humi dispergeret, simúlque addidit: NON parum equidem vos miror, Christiani, quòd de re adeo vili tanta inter vos oriantur certamina, perinde vt si ea res esui aut potui esset vtilis. Verùm quando vilis metalli tanta cupido vos tenet, in eum locum deducere vos volo, vbi auri sitim abundè expleatis. Secundum hæc dicta, eos ad mare Australe deduxit. Valboa ingentes in ea prouincia opes nactus, Castellam auream ex eo nuncupauit, in qua nunc sita est Panama ciuitas.

Barbari Hispanorum auaritiam castigant.

INDE varia eius prouintiæ loca perambulans, felici semper successu, sæpenumero per iuris speciem sæuitiam aduersum Iudos auri cupidine exercens, magna cum auri & vnionum vi Antiquã Darienis regressus est: ibíque decretis supplicationibus, propter repertum ab eo ingentibus cũ diuitiis Australe pelagus, festo apparatu & sollenni pompa à colonis obuiam egressis exceptus. Mox naui in Hispaniam missa & scriptis ad Regem litteris, rerũ à se gestarum successum simul & præsentem statum exposuit: Australe iam mare ab se

apertum: proinde ſuppliciter ab ipſius Maieſtate petere eius prouinciæ præfecturam ſibi concedi & mille homines mitti, quò facilius eas gentes ſubigere & regere poſsit: ceterum polliceri ſe breui ingentem vim opum reperturum, vt facilè ex ipſis initiis ac documentis colligi poſſet. In cuius rei ſpecimen vigintiquinque ingentis magnitudinis vniones ad eum mittit, & triginta millia ducatorum, collecti auri quintam Regi debitam, aliáque præterea munera: quum iã antea quoque magnã pecuniæ vim miſiſſet, ſed nauis qua ea deferebatur, cum hominibus omnibus demerſa perierat.

Rex munus, & vectigal quintæ & Valboæ litteras, læto animo accepit, ex quibus quum intellexiſſet repertum ab eo Auſtralem Oceanum, ſententiam aduerſus eum latã antiquat, eíque attributa noui maris præfectura, mille Hiſpanos in ſupplementum mittit. Ceterum Antiquæ Darienis a Petrum Ariam Abulenſem præficit: epiſcopum verò deſignat fratrem " Gobatum, ordinis Franciſcanorum, cõcionatorem ſuum. Inter alia verò quæ Præfecto in mandatis dedit, diſertè edixit vt clementer ageret cum Indis, pacémque illis ante arma offerret. Deniq; ex præſcriptis Hoiedæ & Niqueſæ mandatis ageret: ſempérque prædam ac res quæſitas cum ſacerdotibus & monachis participaret, qui ad eas gentes conuertendas commeabant.

" Io. Cabedum vocant aliĩ.

His mãdatis atque imperio inſtructus Petrus Arias, è portu S. Lucari, anno M.D.XIIII.

quatuor nauibus & carauellis vndecim ſoluit, cum mille & quingentis Hiſpanis. Ad Antiquam vt appulit, Valboa cum omnibus amicis obuiam egreſſus, eum ſumma alacritate excepit, & apud ſe in hoſpitio habuit. Mox quæcunque animo incepta deſtinabat ei penitus aperiens, ſimul qui prouinciarum ſtatus eſſet expoſuit. Lætiſſimo animo audiuit Gubernator, maximam earum gentium partem Hiſpanorum amicitiam colere: itaque in Tumanama ædificia moliri cœpit.

Panchiaci humanitas indigna mercede ab Hiſpanis pēſatur.

INDE Ioannem Coſtam cum quadringentis Hiſpanis in Comagram ad quærendum aurum duabus carauellis dimittit. Is non tantam copiam nactus, quantam inſatiabilis ipſius auaritia concupiſceret, quotquot regulos in poteſtate habuit, omni genere cruciatus vexare inſtitit: vt cogeret fateri vbinam aurum abdidiſſent. Quinetiam ne Panchiaci quidem ſubditis pepercit: & ſpoliis ac manubiis in eos graſſatus ſocii reguli animum adeo ab Hiſpanis alienauit, vt tantū illis infenſus eſſet, & quidem meritò, quantum antè amicus fuerat. Præterea quum magnam eius clientium partem lapidibus obruiſſet, Indos rei indignitas adeò accendit vt concurſu facto & ingenti ſublato clamore in Hiſpanos irruerent, ſubinde iterantes, Impii iſti, ſcelerati, ac perfidi Chriſtiani pereant, indigni quos terra viuos ſuſtineat. Simul Hiſpanos complures trucidant. Tribunus ipſe cum reliquis militibus & ſpoliis carauella vna imminentem peſtem effugiens, Antiquam repetit, non ſine maxima Guber-

Chriſtianum nomen ob Hiſpanos malè audit.

Gubernatoris culpa, qui tanta ſcelera inulta atque impunita omitteret.

IPSE poſtea alios Tribunos militares & duces per diuerſa eius oræ litora dimiſit: in iis Bartholomæum Vrtadum in Achlam, qui egreſſus in terram, per ſimulationem pacis, quotcumque Indos aſſequi potuit, rapuit & pro mancipiis vendidit. Fernandus Valeſius in Caribanam cum octoginta militibus profectus eſt: ſed vix in litus exſcenderat, quum ecce Indi audaciter impetu in Hiſpanos facto, quinquaginta interfectis, ceteros regredi ad nauim & inde excedere cogunt.

ITA Hiſpani, propter aduerſam famam atque opinionem quam de ſe ipſi apud omnes commouerant, tanto vbique odio flagrabant, vt ne eorum quidem conſpectum indigenæ ferre poſſent: & vtrinque quidem, dum Hiſpani Indis libertatem eripere ſtudent, Indi eam acriter defendunt, ad extremam propè perniciem atque internecionem ventum eſt. Ac, quamquam omnis eius fermè oræ accolæ humanis carnibus veſci conſueuerint, ex iis tamen nonnulli Hiſpanorum cadauera qui prælio ceciderant, ceteris mandentibus, à tali cibo abhorrebant; veriti nempe, ne etiam tum eæ carnes corporibus ſuis aliquid damni adferrent.

QVOSCVNQVE capiebant viuos, militares præſertim duces, reuinctis manibus pedibúſque proiiciebant in terram: mox auro

Barbari Hiſpanis captis, cũ fœda exprobratione auaritiæ, aurum in os infundunt.

in os iacentis infuſo, cum hac exprobratione auaritiæ, EDE, ede aurum Chriſtiane: ad maiorem cruciatum ac probrum cultellis lapideis alius brachium Hiſpani, alius humerum, alius crus, abſcindebant, & ſubiectis prunis torrentes cum cantu & tripudiis mandebant: oſſa verò ſuſpendebant in delubris & principum acq; Regulorum domibus, tropęum & monumentum victoriæ.

1 *Auſtrale pelagus hîc intellige, non quo rectà in Auſtrum nauigatur, aut quod polo Antarctico ſubeſt: ſicut nec per Septentrionale intelligi debet mare Glaciale, & quod arctico vertici ſubiectum eſt. Sed quum Indica continens duplici vtrinque alluatur oceano: qui in Meridiem & Occidentem vergit, Auſtralis, vulgò Mare del-Sur: qui in Orientem & Septentrionem, Septentrionalis appellatur, vulgò Mare di-Tramontana.*

2 *Hic Arias, Segouienſis ciuis, gladiator erat, ſeu (vt Petrus Martyr Mediolan. vocat) haſtiluſor. Itaque nihil mirum, ſi eo laniſta, ab eius legatis Indi crudeliſſimè vexati ſint, quando ne genero quidem ſuo pepercit.*

3 *Indi quum infinitos Hiſpanos trucidarint, eos tamen eſui ſatis aptos negant. quippe duriore & exſucca carne, niſi trucidati tres aut quatuor dies prius macerentur. Cuius rei epiſtola à milite quodam ad medicum Hiſpanum è Lima in Peru miſſa, anno* M. D. LXVIII. *teſtis eſt.*

Petrus

¶Petrus Arias & Valboa dißidentes, domestico fœdere conciliantur. Mox male cohærens amicitia dißilit. Valboa criminibus à socero structis circumuentus, securi percutitur. Petro Ariæ imperium abrogatur.

CAP. XXIIII.

Ex eo quum omnia Petri Ariæ incepta fœdum atque improsperum exitum haberent, Valboæ risui apertè & ludibrio esse: quæ res in eum Gubernatoris iram adeò accendit, vt mox in rixas & iurgia erumperet. Episcopus fœda inter eos dissidia ægrè ferens, ad reconciliandos eorum animos omne studium adhibet, tantúmque perficit, vt firmandæ concordiæ Gubernator filiam, Valboæ matrimonio iungeret. Et connubij fœdere pacto, nemo erat qui pacem inter eos firmam ac stabilem fore non crederet.

Ariæ & Valboæ dissidia parum efficaci fœdere conciliantur.

PERFECTIS nuptiis, Valboa consensu soceri, cum dimidia parte Hispanorum quos ex Hispania adduxerat, ex Antiqua in suam prouinciam concessit: neque ei per quosdam improbos homines, gloriæ ipsius inuidentes, ea diu frui licuit. Illi enim falsis in eum structis criminibus Gubernatoris aures occupant, deferúntque Valboam occultè per amicos tentare animos militum, & partem exercitus Ariæ subductam in suam prouinciam pellicere. Id vbi Ariæ cognitum, literas ad Valboam componit, quarum hæc summa erat: Vt iis vi-

ſis, nulla interpoſita mora ad ſe veniret: conſultandum maximis ſuper negotiis, quæ ad vtroſque pertinerent.

VALBOA, qui tum ad maris Auſtralis oram nauigiis moliendis intentus erat ad nouas veſtigandas terras, his litteris acceptis, cũ quinquaginta militibus in Antiquam feſtinat. eò vbi peruenit Gubernatoris ſoceri ſui iuſſu correptus in cuſtodiam traditur. Mox recitata accuſatio, & crimina eius morte quoque Niqueſæ & Baccalaurei Anciſi vinculis onerantur: ad hæc ſeditioſum, ſceleratum & aduerſus Indos immitem, eſſe obiicitur, denique reum peragit Gubernator & capitis damnat. Valboa contrà obiecta negare, ac deierare de pellectis ad ſeceſſionem militibus falſò & immeritò ſe accuſari. Itaque videret etiam atque etiam Gubernator, quid de ſe ſtatueret: ſe quidem, ſi eius rei tentatæ ſibi cõſcius eſſet, numquam in eius conſpectum fuiſſe venturum. cetera quoque crimina, vt poterat, diluebat: ſed vbi vis plus poteſt, parum in iure & ratione præſidij eſt. Poſtremò audire vlterius hominem negat ſe velle Gubernator, & peracto iudicio abduci cum quinque aliis Hiſpanis ac ſecuri percuti iubet.

Socer generum, capite damnatum, ſecuri percutit.

FINXERE nonnulli Valboam magnum quendam & illuſtrem victoriis ducem fuiſſe, felicitate etiam armorum quolibet Romanorum imperatorum præſtantiorem, propterea quòd omnium quę cum Indis geſſit bellorum ſemper victor extiterit. Sed immodicæ illæ eius laudes riſum magis quàm admirationem merentur.

merentur. quippe Romani quondam cum bellicosissimis & ferocissimis Orientis gentibus bella gesserunt: Hispani verò in Occidente nihil præter bruta animalia & bestias subegere.

Quòd quidem eques quidam Hispanus optimè intellexisse videtur. Is quum in Africa ad Argeriam Carolo Quinto Imperatori militaret, essétque vnà cum aliis aliquot equitibus, in iis Ferdinando Cortesio (is est qui regnum Mexicanum aperuit & subegit, quod ab indigenis dictum Themestitan, ipse nouam Hispaniam numcupauit) quum inquam vnà esset, ac fortè Maurorum globus hominum multitudine superior in eos irrueret, ipsi verò ad resistendum hosti se impares esse cognoscerent, dant sese in fugam. Ibi Cortesius clamore fugientes sistere, & hortari socios vt in hostem versi eum strenuè exciperent. Tum Hispanus ille eques, Belua isthæc, inquit, putat sibi rem esse cum suis Indis, quorum vigintiquinque millibus fundendis decem equites suffecerint.

Ferd. Cortesii faciles de Indis victoriæ.

Allato in Hispaniam de Valboa nuncio, grauiter mortem eius Indicus senatus tulit propter præclara eius in se officia ac merita, & opes Regi ac Regno Castellæ ab eo partas, reperto, videlicet Australi Oceano, & inde ingenti auri & vnionum copia in Hispaniam missa. Quamobrē tum ob id, tū maximè quòd Antiquenses coloni præter hæc multa ad regē in Petrū Ariam scripsissent, abrogatū ei imperium est: etsi Nominis-dei & Panamæ

coloniis originis suæ initia dedisset, 1 patefacto ex altero loco ad alterum itinere.

1 ETSI *enim Niquesa primus Nominis-dei conditor fuerit, & Panamam Indi incolerent: tamen vtramque coloniam Arias Hispanis repleuit, & quinquaginta millium pass. spacio, à mari ad mare iter, antè siluis, lamis, rupibúsque inuijs obstructum, & leonibus, tigribus, vrsis & simiis infestum, primus aperuit.*

¶ *Hispanorum præfectorum in Indiæ continenti clades. Alfingeri & Georgij Germanorum cædes. Coloniæ ab Hispanis in Castella Aurea conditæ. Hispaniolenses Indi Hispanicam tyrannidem pertæsi, sibimet ipsi mortem consciscunt.*

CAP. XXV.

Auaritia, vt meretur infelix.

MVLTI præterea alii Gubernatores & duces eas Indicæ continentis prouincias adiere, omnes vna quærendarum opum & diuitiarũ cupidine incensi. sed eorum nonnulli ab Indis comesti sunt, alii ab ipsis Hispanis trucidati, quòd ipsorum aduersus Indos rapinis & latrociniis indulgere nollent. Non pauci quoque fluctibus hausti: & aliqui præterea longius à mari progressi auri fame, in mediterranea adeo sese immerserunt, vt in locis auiis & vastis terræ solitudinibus deprehensi, quum eius cæli naturam & tempestatum morem ac præsagia ignorarent, quæ illis in regionibus cum

cum atrocissimis imbribus hyeme ruere consueuerunt, neque verò progredi vlterius aut regredi possent, cum omni exercitu interierint.

CETERVM Hispani in ea ora continentis infrà scriptas vrbes cōdidere, Nomen-dei, Antiquam, Carthaginem, San-martham, Caput-veli, Valentiolam, ditissimæ prouinciæ oppidum, quam Cæsar anno M. D. XXVIII. Velzaris mercatoribus Germanis oppignerauit. Illi primum in eam prouinciam Gubernatorē Ambrosium Alfingerum misere, qui auri reperiendi cupidine crebras in eas gentes excursiones, multa sæuitiæ exempla, edidit. Sed eo tandem ab Indis occiso, suffecére alterum stirpis suæ Præfectum, cui Georgio nomen erat. Hunc Hispani qui ei aderant, noctu per insidias incautum in lectulo ardorti vulneribus confoderunt: mox excarnificatum & domo extractum, multis cum probris ac contumeliis per viam raptarunt: postremò eius cadauer in proximum saltum abiecere: donec orta luce humaretur. Verùm haud ita multo pòst, Cęsaris mandatu, noxij vt nouissima exempla meriti, exquisitissimis pœnis affecti sunt.

Hisp. sæuitia in Germanos in India peregrinantes.

IAM quum breuem hanc meam Historiam quam accuratè & commodè fieri poterit contexere pollicitus sim, redeundum eò vnde deflexeram, & siquę de Hispaniolę & vicinarum insularum rebus supersunt, exsequenda mihi hoc loco iudico. Almirante Columbo mortuo, Ferdinandus Rex Didacum filium eius,

eadem autoritate auctum qua patrem ornauerat, Proregis titulo Hispaniolę pręfecit: sed imperium ei haud diuturnum fuit. Quippe Hispani, quum sibi imperati à peregrino pati non possent, multa in eum ad Regem scribunt. Itaque Rex exutum magistratu in Hispaniam reuocat. ibi de suis priuigeliis multos annos cum Rege litigans, tandem pendenti adhuc lite & incerto euētu iudicii moritur.

Hispanorum in Christ. Columbi filiũ ingratitudo.

POST hæc alij Gubernatores, tum Ecclesiastici, tum laici, in Hispaniolam missi sunt: sed Insulani, postquam se vndique perpetuis atque intolerandis laboribus opprimi sentiũt, neque vllum finem adesse malis, aut spem recuperandæ libertatis, in planctus omnes & suspiria effusi crebris votis vltrò mortem optabant. Itaque multi abiecta omni spe, abeuntes in siluas ex arboribus semet ipsi suspendebant, interfectis prius liberis, dicendo: Multo optabilius esse illis semel mori quàm adeo miserè vitam trahere, eiuscemodi latronibus teterrimis & ferocissimis tyrannis seruientes. Feminæ, postquam herbæ cuiusdam succo fœtus sibi ipsæ abegerant, ne videlicet Hispanis mancipia párerent. virorum vestigia sequutæ laqueo vitam finibant. Denique quum per omnes lethi vias mortem lacesserēt, alius ex edito monte iacto in præceps corpore. alius in mare, alius in profluentum demersus: nõnulli etiam voluntaria inedia vitæ finem inuenere. Erant etiam qui acutissimis è silice cultellis, aut mucronatis vallis pectora & latera transfigerent.

Barbari Hisp. tyrãnide oppressi, vim vitæ suæ afferunt.

QVIBVS

Qvibvs tandem malis effectum est vt ex duobus Indorum millionibus, id est vicies cẽtenis capitum millibus, quibus ea Insula incolebatur, aliis sua manu interemptis, aliis sæuitia Hispanorum & acerbitate operum enectis absumtísque, vix hodie centum quinquaginta supersint. Hoccine est barbaras gẽtes ad Christianam fidem conuertere? Nam nequis putet cum aliarum insularum incolis mitius actum esse quàm cum Hispaniolensibus idem planè in Cuba, Iamaica, Portu-ricco & aliis locis, contigit: immo quæcumque postea vindicandis ab solitudine insulis deportata sunt è continenti mancipia, quamquam incredibili multitudine, ad extremum tamen propè omnia ærumnis & miseriis confecta interiere. In summa hoc affirmo, quibuscumque locis Hispani vexilla sua & signa fixerunt, ibi ingentibus sæuitiæ exemplis editis, æterna implacabilis in se odij monumenta indigenis reliquisse.

¶Indorum Occid. religio & ritus. Medendi mos. Matrimonij leges. Auaritia inde exulat.

CAPVT XXVI.

Qvod ad Religionem earum gentium attinet, non solùm in ea insula, sed & in aliis omnibus noui illius Orbis prouinciis, adorabant atque

etiam nunc plures & diuersos deos colunt, depictis simulacris signísque, quorum alia è creta, alia è ligno, nonnulla ex auro & argento, ficta sunt: & quibusdiam Indiæ nouæ locis, maximè in Peruano regno, effigie auium, tigriū, ceruorum aliorúmque animaliū expressa vidi: immo etiam quædam deformi specie, cauda ad pedes vsque promissa, quales vulgò apud nos pingi solent dæmones aut lemures nocturni. Ac quamquam sacerdotes & monachi omni ope conati sint & quotidie conentur ea idola abolere, multa tamen eorum sacrorum antistites defossa specubus subterraneis asseruant. Quibus clam sacrificantes assiduè supplicant, petúntque qua ratione & via Christianos in perpetuum è suis finibus expellere posint.

Indicarū gentium pertinax idololatria.

QVINETIAM deorum suorum nomine quemque proprio inuocantes, singulis sua officia tribuunt, & huic huius rei alteri alterius procurationem, asignant: vti olim factitatum Ethnicis, qui vulgò victoriis præesse terra Martem, mari Neptunum: Æsculapium medicinæ, Herculem diuitiarum atque opum arbitrum esse credebant, illíque decimam fortunarum suarum vouebant, quò cetera tueretur atque augeret. Ad eum modum nihil ferè à suis numinibus petunt hæ gentes præter largam ciborum & potus copiam, bonam valetudinem, & de hostibus victoriam. Sæpenumero illis illudit Satan & alia atque alia specie visendum se prębet: sacerdotibus nonnulla eorum quæ precibus exposcunt annuens ac

promittens

promittens. Ac si fortè promissis successus nō responderit, illíque de eo conquerantur, continuò excipit: Mutasse se sententiam propter grauissimum aliquod peccatum ab ipsis commissum: ita fallaci excusatione miseros eludit pater ille mendacij.

Satanę ludibria, quibus Barbaros fascinat.

QVVM Cacicorum Hispaniolæ aliquis præcipuo suo numini sacrum & festum diem celebrare institueret, omnibus subditis & clientibus suis, tam viris quàm fœminis, diem ad conueniendum dicebat: illi vbi vndique ad solenne illud, consueto loco, confluxissent, omnes aptè in ordinem sese disponebant. Cacicus ipse agmen antegressus, princeps templum inibat, vbi sacerdotes adorando idolo intenti erant. Ingressus vt consederat, tympanum pulsabat: mox sequebatur vniuersa multitudo præeuntibus viris, qui nigro, rubro & flauo distincta corpora, versicoloribus etiam psittacorum & aliarum auium pennis ornauerant: colla, brachia, crura, coronis, torquibus atque armillis ex concharum marinarum testis redimiti: fœminæ puro corpore & nullis pigmentis fucato, virgines quidem prorsus nudæ: quibus viri erant, peplis aut castulis muliebria velatæ, sicut in sinu Pariensi & aliis continentis prouinciis fieri solet. Tali cultu habitúque saltantes & patria quædam carmina in laudem Idoli canentes templum subibant: Cacicus tympani sonitu ingredientes salutabat: mox demisso in guttur bacillo vomitum ciebant: vt Idolo palàm ostenderent, nihil

Sacrorum ritus apud Indos Occid.

ſe in pectore mali occultum gerere.

His tam abſurdis ceremoniis peractis omnes complicatis pectinatim cruribus humi conſidentes, alios quoſdam hymnos cum murmure quodam lugubri concinebant: ac tum ſuperueniebat aliud fœminarum agmen caniſtra geſtantium, popanis & panibus plena, & roſis floribúſque odoratis conſperſa: illæ ceteris canentibus circumfuſæ orationes quaſdam illis inſuſurrabant. Alij vt inuicem reſponderent, ſeſe erigebant: donec cantionibus illis peractis, mutato concentu nouam quandam in Reguli ſui laudem ordirentur: poſtremò panem Idolo offerebant.[1] Eum ſacerdotes acceptum & ritè ſacratum diuidebant inter omnes, velut ſanctum aliquid, & fauſti ominis reliquias. Peracto ſacro, omnes admodum alacres atque hilares domos quiſque ſuas reuertebantur.

Absurda de Solis & Lunæ origine opinio.

CREDEBANT præterea Solem & Lunam è quodam antro prodiiſſe: & cucurbitam velut ſacrum monumentum habebant, vnde dicerent mare & piſces profluxiſſe: Duo ſimulacra lignea colebant, velut omnis abundantiæ largitores & præſides deos, quorum delubra quotannis Indi peregrinabundi frequentare cōſueuerant.[2] Erat inſuper illis Idolum quadrupes inſtar canis, quod (vt fertur) quoties illi bilis commota erat, in ſaltus ac montes aufugeret: ipſi verò ſollēni pompa, ſolicitè quæſitum atque inuentum, humeris in fanum reportabant.

In hac Insula, vt & aliis noui eius Orbis prouinciis, arbusta quædam nascuntur modicæ magnitudinis, arundinum fermè specie: folia vt nucis habent, aut paulo maiora, quæ ab indigenis (apud quos hic mos inoleuit) plurimi fiunt, & ab ipsis quoque mancipiis, quæ Hispani ex Africa eò deuexere. Vbi maturum est, ea folia stringunt & in fasciculos collecta ligatáque in fumario suspendunt, donec inaruerint: quúmque illis vti volunt, spicæ patriæ folium vnum eius herbæ vni folio innectunt, eáque simul fistulæ aut tubi instar compingunt: & eius capitum altero igni admoto, alterum ori inserunt, & spiritum flatúmque ad se retrahunt.

Fumus inebrians.

DENIQVE tantùm fumi sorbent, vt ora, guttura & capita impleant: tantam interea patientiam præstantes durantésque quoad voluptatis quam inde percipiunt non pœniteat: séque immiti illo fumo adeo inebriant, vt penitus sopito omni sensu è mentis potestate exeant. Reperiuntur etiam qui adeo auidè ac furenter eum hauriant, vt tanquam exanimes in terram concidant, ibíque maximam diei partem aut noctis, velut stupefactis sensibus & capti mente, iaceant. Nonnulli temperantius & hactenus tantùm sorbent, quoad vertigine capitis corripiantur: neque vlterius progrediũtur. Quàm pestiferum, obsecro, & noxium hoc Tartareum venenum est? Mihi quidem persæpe vsuuenit per Guatimalam & Nicaraguam prouincias iter facienti, vt domum Indi alicuius ingrederer,

qui eam herbam deguſtaſſet (quæ Mexicano idiomate *Tabacco* dicitur) & ſimulac fœtor acutus tetri illius & verè diabolici fumi nares meas cõtigiſſet, cogerer præproperè inde excedere, & aliò migrare.

Medici iidem & ſacerdotes apud Indos.

IN Hiſpaniola atque aliis inſulis, quum eorum medici aliquem ægrotum curandum ſuſciperent, ad fumigandum, vti diximus, ingrediebantur. Quúmque eo ad ſatietatem inebriatus eſſet, tunc præcipua curatio fiebat: donec ad ſe reuerſus mille rerum ſpecies ſibi obiectas, & ſe ex concilio deorum rediiſſe referret. Deinde illi ægrotum ter aut quater circumeuntes, corpus illius, maximè renes, manibus leniter demulcebant: multiplici interea oris habitu geſtúque, os lapidémve intra buccas tenentes. ea oſſa & lapillos feminæ, velut ſacras reliquias, ſtudioſè condebant, perſuaſæ iis amuletis adiuuari puerperia. Si æger medicum rogaret, quid ſe futurum eſſet, breui ægritudine liberatum iri reſpõdebat: ſi fortè ex eo morbo eum mori contingeret, non deerãt excuſationes, ſed hæc longè omnium optima, Mortalis nempe erat. Si quis medicus omiſsis illis rebus & conſuetis ceremoniis ægrotum inuiſeret, in eum grauiſsimè animaduertebatur. Quaſcunque prouincias adire mihi licuit, quantúmque intellexi, iidem medici ſunt & ſacerdotes: & in aliis earum terrarum oris ita ſe habere facilè equidem crediderim: eos patrio idiomate Bohitios appellant, maximæ vbique illos autoritatis: quorum tamen opera & arte nulli ferè, præter primores, vtuntur.

APVD

Apud illos vxorum indefinitus est numerus: quàm multas libuit, ducunt: vnam tamen præ ceteris eximiam habent, quæ in ceteras imperium obtinet. Quum Regulus aliquis sine liberis moritur, in principatum succedunt sororum filij non fratrum, quum sui sanguinis haud dubiam stirpem planiùs constet esse quos sorores peperere, quàm hos non satis certa origine genitos. Cuius rei causa est, quòd illis parua pudicitiæ cura & plerisque locis filiæ & sorores inuiolatam castitatem vix retinent, quum permixti virginibus pueri, vt galli gallinacei cum gallinis, nullo pudore tum humi, tum suspensis in aere cubilibus, iaceant. Feminæ partus enixæ, ad mare aut ad flumen deferunt, abluúntque, & deinceps sine vlla cura liberos educant.

Indorum Occid. polygamia.

Nonnulli istos maximè latrociniis deditos esse, ac minima furta legibus eorum suspendii pœna coerceri dicunt. [3] Verùm quis credat istos furari, quando neque auari sunt, neque diuites, nihílque vilius ducunt quàm argentum & aurum? quibúsque si habere libitum esset, liceret quantum vellent è fodinis, velut aquam è fonte, nullo impediente petere. Quod ad cultum attinet, nudi omnes incedunt: quod ad victum, nemo est qui petenti & domum suam ineunti vltro non det. In sollennibus verò ac festis quibus conuenire illis mos est, cibaria vulgò conferunt, simúlque omnes & promiscuè epulantur, cantant & saltant ad ebrietatem & lassitudinẽ vsque. Ita dum liberi essent, inuicem se his ludicris

Indi neq; auaritiæ, neque furto dediti.

oblectabant. Quamobrem inducere in animum non possum vt credam vlla inter eos esse latrocinia, nisi fortè furari didicerunt à primis, secundis & tertiis Hispanis, qui principiò eas terras coloniis occuparunt. Vtinam à Deo nobis concessum esset, ne magis bonis temporalibus affixi essemus quàm illi sunt: equidem Christianum nomen per omnes terras celebre & cæleste esset, si à nobis exularet Auaritia.

1 VETERIS *& purioris religionis fugientia veluti quædam vestigia & imitamenta. Iussit Deus in lege offerri sibi panes, vt eo symbolo admoneret Patres alimenta quibus sustinetur hominum vita, sacra esse ipsi Deo. Exod. 25. Atque ita primi homines, tradito diuinitus ritu, è fructibus suis sacrificia Deo obtulerunt, vt profiterentur se eius esse, & omnia illi sua accepta ferrent. Gen. 4. Cuius rei mox adulterina imitatio etiam inter barbaras Gentes propagata est. Sed, præterquam quòd illæ erant inanes absque fide ceremoniæ, longè aliud est Deo viuo, aliud idolis sacrificia offerre.*

2 REGVLVS *quidam, Gamaretus nomine, Zemis idolum bombycinum habuisse fertur (Corocottum appellabant.) Hic Corocottus è summo domus culmine, vbi vinctus asseruabatur, sæpenumero exire atque inter fœminas regij pagi ac totius circa viciniæ, Satyri aut Incubi instar, oberrare, & cum iis etiam ludere familiariter, epulari & coire, consueuerat. Mox quum ab eo congressu fœminæ partus gemina corona aut alia illustri nota insignes eniterentur, nemo ex Corocotti stirpe ortos*

tos

tos esse dubitabat. Interdum etiam indignabundũ delitescere ferebant, quòd à Cacico aliquid ex quotidiano eius cultu & sacris prætermissum esses. Alteri præterea cuidam Cacico (vt ferè singuli peculiaria numina habebant) Zemen fuisse ligneum memorãt, quadrupedem (Epilguanitam appellabant) qui subinde, quoties irritaretur, in siluas se proriperet. Móxque vt eum abesse senserat Cacicus, multos è suis mittebat qui eum studiosè conquisitum & placatum venerabundi humeris referent. Ita nimirum inter miseras illas Gentes delicias faciebat Satan. Donec Christianis in Insulam aduentantibus, & iste & ceteri Zemes aufugerent, nec quæsiti reperirentur. Quibus rebus mutationem status & peregrinæ gentis dominatum portendi auguratos fuisse Insulares, scribit Petrus Martyr Mediolanens. Decad. 1 lib 9.

3 *Gonz. Ouiedus Histor. Ind. lib. 5. cap. 3. ita scribit: Grauissimum peccatum, & à quo huius Insulæ (de Hispaniola loquitur) indigenæ vehementius abhorrerent, quódque acerbius vindicarent, furtum erat. Itaque vel minimo in furto deprehensus, adacto per medium corpus stipite (familiari Turcis supplicio) ibi affixus tandiu relinquebatur, quoad inter cruciatus vitam finiret.*

Hactenus Ouiedus, cui suffragatur Gomar. Hist. gener. lib. 1.

***

Indorum Occid. fruges. Panis faciendi mos. Potus. Pomorum & fructuum variæ species.

CAP. XXVII.

Sementis faciendæ in India ratio.

HÆ GENTES frugem ſuam vulgò *Maiz* vocant (quæ ab Inſula Hiſpaniola, prima à Chriſtianis reperta, conuehitur) vt vinũ Chichia: lintres Canoas: enſes Macanas: regulos Cacicos, nominant. Ad ſementes faciendas terram non arant: ſed modicæ altitudinis ſcrobibus effoſſis, tria quatuórve grana in vnam dimittunt, terrâque operiunt. Singuli culmi tribus quatuórve paniculis onuſti adoleſcunt, quarum ſingulæ grana centum & amplius fundunt. Maizij ſcapus hominis altitudinem exſuperat, & quibuſdam in prouinciis bis in anno colligitur.

Panis faciẽdi mos.

FOEMINAE piſtrices, quæ Maizij coquendi curam habent, prius ſub veſperam frigidam eius frugis quantæ viſum eſt menſuræ affundunt: ita maceratam, manè ſequentis diei duobus ſilicibus paulatim tundunt & frangunt, quædam erectæ in pedes, quædam flexis humi genibus: ſedulò interea cauentes nequid pilorum aut pediculorum in opus decidat. Maſſa confecta, poſtquam aqua paulatim cõſperſerunt, panes modicos aut longa aut rotũda figura vt libet faciũt, & foliis arundinum inuo-

inuolutos, rursúsque leuiter aspersos, coquunt. Hic vulgaris panis est, & post duos dies mucescit.

NOBILES verò ita parato vescuntur: Maizij grana in pilis fœminæ tundunt & frangũt: mox aqua calida macerata ita folliculis deglubunt vt solus farinæ flos remaneat. Eam quo ad fieri potest subigunt, pinsúntque, & massa confecta atque in pastillos distributa, liba aut farracea modica conficiunt: quæ testo rotundo imposita lento igne percoquunt. Genus id testuacei panis operosum est, quum recenti subinde sit opus: atque vt calidus, ita vetus & frigidior, parum vtilis sit: medio verò temperamento salubris, quum neque nimium recens nec vetus est. Quum per earum terrarum inculta & deserta iter facerem, necessitate magistra pinsere id frugis genus didici, ne illud videlicet crudum aut tostum deuorare cogerer. Sed durissimi eius grani pistura molitúráque immensi laboris est: ac quum sæpe ad satietatem mihi non superesset, Indorum nobilium more corticem non eximebam, neque verò ad illud multùm pinsendum lacerti mei fame debilitati pares esse poterant.

ALIVD etiam genus panis habent, quod Cazabi vulgò appellant. Id ex Iucca cõficitur: radix est napi crassitudine, quæ nullum ex se semen fundit, sed cannas tantùm quasdam nõdosas & solidas, viridibus foliis, vt cannabis. Eas cannas, vbi maturitas adest, in taleas duos palmos longas exsecãt, quas in tumulos quosdam (Conuchos appellant) digestas, terra

Cazabi, secũdarius panis Indorum.

obruunt. Ex illis intra biennium radices miræ amplitudinis creſcunt: quoties verò id genus panis conficere volunt, earum radicum quantum viſum eſt eruunt, paucas tamen vnaquaque vulſione, quia breui corrumpuntur. Mox purgatas acutis ſilicibus, quos ad littus maritimum legunt, velut cultellis, exſecant: ac ex iis ſegmẽtis panno inuolutis ſuccum exprimunt (id præſentaneum venenum eſt, ſi bibatur) deinde Iuccam ita ſubactam inferentes foco, ingenti teſtæ fictili, velut libum farraceum, impoſitam igni tamdiu torrent quoad omnia cohæreant. Poſtremò inde ſublatam maſſam ad ſolem exſiccant, eámque in modicos & maiores veluti paſtillos diſtribuunt.

Id cibi genus, meo iudicio, admodum aſperum atque infœlix eſt: ſi loco ſicco & ſudo recondatur, tres quatuórve annos incorruptũ durat. Sed fere quum eſtur, guttur humore aliquo collui neceſſe eſt: alioqui propter aſperitatem fauces angit, atque ægrè deglutitur. Mihi quidem, quum eo ſicco & minimè humecto vterer, videbar terram mandere: ſi iure carnium diluatur, iucundius eſt, ſed ne ita quidem multo melius. Omnes naues quæ ex Hiſpania in eas oras traiiciunt, redituræ eius panis commeatu onerantur, præter eas quæ à Vera-cruce, nouæ Hiſpaniæ portu, ſoluunt: ſiquidem in omnibus *Septentrionalis Oceani oris, inſulis & prouinciis quæ ab Hiſpanis incoluntur, ne vnum quidem frumenti granum colligitur. Nauigia verò farina

*De eo mari vide ſuprà pag. 104.

&

& biscoctis seu nauticis panibus instructa è Mexico veniunt: atque inde ducentorum fermè millium spacio mulis & carris varias in partes exportantur.

Battatæ & Haiæ radicum species.

DVO præterea radicum genera illis sunt, quarum alias Battatas alteras Haias vocant, indiscreta propè specie similes, nisi quòd Haiæ minores & sapidiores sunt alteris. Porro plantantur, & sextum intra mensem fructum edunt: ceterùm sapore quidem aliquantulum dulci, sed satietatem mox & fastidium inducente, exigui etiam admodum succi sunt, ventósque ac superuacuos flatus gignunt: & vulgò sub prunis coctæ edi solent. Sunt qui dicant eas radices panem sacchariten (vulgò Martium seu Marzapanem vocant) aut castaneas saccharo conditas gustu repræsentare: verùm mei palati iudicio, vel sine saccharo meliores sunt castaneæ.

Gomara 2. li. Hist. Gen.

Indici potus conficiendi ratio.

QVANDO in eum sermonem de Indico pane incidi, haud alienum erit de eorum quoque vino agere, ac præsertim de eo potu quē ex Maizio moliuntur. Feminæ illæ panificæ, de quibus antè, eius frugis quātum visum est pro modo vini quod facere instituerunt, capiunt, Id vbi triuere & pinsuere, in ampla quædam vasa aquæ plena demergūt: tum illæ quę potus eius faciendi curam habent grana aliquot depromūt, & in ollā infusa aliquantulū macerant atque emolliunt: mox aliis feminis quibus id muneris cōmissum est, tradunt. Illę ea grana in os accepta, paulatim conficiunt, cōminuúntq; deinde vi quadam & veluti tussiendo excussa

folio ad id comparato aut fortè ſcutella excipiunt: tum in amplũ vas coniecta reliquo humori admiſcent, nẽpe quòd ſine hoc velut fermẽto nulla ei cæliæ vis inſit, & tres quatuórve horas igni ſuff·ruefaciũt: poſtremò inde ſublatum liquorem poſtquam deferbuit, refrixítque, linteolo colatum in vaſa infundũt, ita perfectum ac temperatum vt non minus ſuccus ille quàm verum vinum inebriet.

ALIA præterea potus genera excogitarũt ex melle, pomis, radicibus, ſed quæ, vt hoc, non inebrient. Magnam etiam arborum vim habent eæ terræ, quæ vuas quaſdam agreſtes ferant: earũ acini prunorum ſilueſtrium ſpecie quæ è ſpinis & arbuſtis naſcuntur, nigro folliculo veſtiuntur: ſed quia multum illis ligni, parum pulpæ, ineſt, ex iis indigenæ vinum non faciunt. Sunt & ibi arbores oliuarum feraces, ſed quæ inſuaui odore, tum ſapore etiam peiore ſunt.

Vuæ agreſtes apud Indos.

VARIAS fructum ſpecies, & eas abundè habent: quales ſunt Houi, Platani, Pineæ, Guaiauæ, Mamei, Guanauanæ. Houi prunorum damaſcenorum craſſitudine, pauca carne, grãdiore ligno: vbi maturuere flaueſcunt, ſubacidi ſaporis. Arbor eum fructum ferens, magna eſt, folia verò modica. Platani longiores quàm craſſiores ſunt: minores multùm maioribus præſtant. Arbor ipſa folia ſeſquipalmi latitudine, quatuor palmorum longitudine porrigit: inter quæ ramus enaſcitur, qui centum ac plures platanos minores fundit: ſin verò maiores, viginti qinque aut

Variæ pomorum & fructuum ſpecies.

paulo

paulo amplius. Tenera est hæc arbor, nec nisi semel fructũ fert qui annuo spacio perficitur: & ex ipsis radicibus alij stolones fruticãt. Vbi maturuit fructus, legunt: immaturũ adhuc & acerbum non decerpunt, sed excissam arborem loco calido reponunt: ibi platani celeriter maturescunt flauescúntque. Corio vestiuntur obtusa cultelli partis crassitudine: quod superest, pulpa est, sapore in dulcedinem vergens. [1] Pineæ arbusculis quibusdam proueniunt, flaui coloris vbi maturuerunt, iucundi odoris, & saporis longe optimi. Itaque in deliciis sunt: mihi certè contigit, sicut & multis aliis, vt æger ceteros omnes cibos fastidirem præter hunc: &, mea quidem sententia, haud quisquam fructus alius per omnes terras hoc amabilior suauiórque est. Demto cortice, quidquid subest pulpa est: dulcis in vniuersum sapor, subaustero aliquantulo temperatus.

Arbores frugiferæ Indicæ, nobis ignotæ.

GVAIAVVS arbor Persici aut Armenii specie, foliis vt lauri, sed crassis & lõgioribus, celerrimè senescit: fructus eius, mespili similitudine, sed multo crassior, pendens in arbore maturescit: nisi maturus decerpatur, vermes gignit. Hi fructus multa semina & grana clausa habent: purpurei candidis præstant & optimi saporis sunt. Mamei arbor est mediocris nucis magnitudine, lõgiore quàm latiore folio. fructus eius in insula Hispaniola rotundi: in continenti verò longi & crassiores, & gustu iucundiore, sunt. tres quatuórve acinos, seu interiora ligna, habent, pulpa in spadiceum

colorẽ vergente, tenui tunica, ſapore aliquãtulũ dulci.

GVANAVANVS arbor modica & gracilis, fructũ fert cordis effigie, corio viridi & ſubtili ſquamarũ in morem veſtitum, introrſus candidum. Exſtant etiam, paulo diuerſæ ab his formæ, orbiculares eius arboris fructus, crocei coloris & prioribus illis lõgè meliores, omnes verò intus acinos exiles ſpadicei coloris gerũt.

1 PINEA, *fructus Indici genus, ſpecie, odore, & ſapore omnium longè nobiliſſimum: cardui altilis, aut nucis pineæ figura, vnde nomen accepit: mediocris melonis craſſitudine. Odorem ex ſe fragrantiſſimum fundit: guſtum mali cotonei, perſici, & pyri muſchati, ſimul referens. Eſtur ſublato illo, quo, veluti ſtrobili, ſquamatim compacto, (quam-quam non ligneo) cortice includitur. Gõzall, Ouiedus Historiæ Indicæ lib. 7. cap. 13. Eundem planè fructum eſſe puto cum eo quem Braſilienſes Indi* Ananas *vocant, quantum ex deſcriptione D. Ioannis Lery, amici mei, colligo. Hiſtoriæ Nauig. Braſilienſis, nuper ab eo Gallicè editæ, capite 13.*

2 HOBVS, *ſeu Houus, procera & pulcra arbor: vmbræ quidem ſalubritate adeo commendata, vt quoties Indi in militiam aut peregrè euntes, aut greges in pecuariis paſcentes, cubare ſub dio neceſſe habent, Hobum ſemper, vmbræ tantùm gratia, expetant & quærant. quippe ſub ea dormientibus caput nunquam grauari, vt aliarum arborum vmbraculis, ferunt. Mirum præterea de hac arbore proditur. Si fortè in ſqualidis ſiccitate capis, aquarum penuria peregè euntibus ſitim accenderit: atque illi caſu in* Hobũ *inciderint, ablaqueato arboris pede, è radicibus eius taleam exſcindunt. Mox alterum taleæ caput ori inſerentes, velut gutti aut ampullæ epiſtomium, altero manu elato, tantam inde humoris vim exſugũt, vt facillimè ſitim reſtinguãt. Guttatim videlicet primò inde ſtillante aqua, mox tractim & continuo veluti filo defluente, vt quamuis ſitibundos expleat, Id ſe expertum ſcribit Ouiedus Hiſt. Ind. lib. 8. cap. 2.*

Indiæ

Indiæ Occid. peculiaria insecta. Hispaniolæ breuis descriptio. Cur vino & tritico propè inepta sit. Sacchari ferax est. Mercaturæ, quæ hodie ibi exercentur.

CAP. XXVIII.

IN omnibus suprà memoratis insulis nullum quadrupedum animalium genus repertum est, præter exiguos quosdam cuniculos, canibus haud absimiles. Sed pestiferis insectis maximè infestantur: inter alia Niguæ, magnitudine pulicis, citra vllum sensum inter carnem & vngues, presertim pedum, sese immergunt, aluntúrque in puluere. Sæpenumero accidit vt nullus ex iis dolor sentiatur, donec in magnitudinem cicerum aut lentium excreuerint: ac tum iam ingenti lendium copia fruticante, acu aut spina ægrè euelluntur: atque id mali cineribus calidis sanatur. Porro Numidica mancipia, quæ Hispani in familiis habent, quòd non habeant vnde calceis pedes muniant, ea pestis peruicacissimè infestat: tantáque copia eorum pedes appetit, vt nulla cura aut arte, præterquam igni aut ferro, arceri queant. Itaque multi ex eo digitis pedum aut pedibus integris mutilatis superfuere. Ego verò etiam in ea Peruani regni prouincia, quam Portum-veterem appellant, præterquam quod, propter immodicos labores terra marique perpessos, totum corpus & crura fœda porrigine obsessa ægrè trahebam; sæpe intra pedes meos tantam vim

Indici pulices, infesti & noxii.

Niguarum iſtarum reperi, vt necopinata ea res non parum formidinis mihi incuteret. Ac certè, niſi ſumma ſollicitudine abluendo corpori flumina ſubinde adiiſſem, malè haud dubiè rebus meis proſpexiſſem: quemadmodum pleriſque Hiſpanis vſuuenit, qui ter quatérve in die abluendi aqua corporis & eluendæ eius peſtis pigritia, exeſa mox & truncata membra circumtulere.

Hiſpaniolæ deſcriptio.

IAM à me ſuprà dictum eſt, inſulam Haytin ab Almirante Columbo Hiſpaniolam dictam fuiſſe: quæ mille & ducenta millia paſſuum in circuitu patet. Ea portubus, fluminibus, piſcibus & ſale abundat: ſed in ea duo celeberrimi lacus, vnus ſalſas, alter dulces aquas egerens. Ceterum omnium fluminum quæ ab Hiſpanis in ea inſula reperta ſunt, vnus maximè auro abũdat Cibaus. Præcipua inſulæ vrbs San-dominica eſt, à Bartholomæo Columbo condita & ab eodem ita appellata, quòd quum litora inſulæ perluſtrans tutum aliquẽ & commodum portum appulſis eò ex Hiſpania nauibus quæreret, ad eum fortè locum S. Dominici die applicuit: atque ex eo tota etiam inſula San-dominici nomen retinet. Sita eſt ea vrbs in planicie maritima, & meo tempore quingentis focis & domibus conſtabat. Ædificia ibi bene ſtructa neque aliter quàm in Hiſpania ſunt. Ad Occidentalem eius partẽ " Ozonea fluuius in mare delabitur, atque ibidem bonus & tutus portus eſt, ac multarum nauium capax: ibidem profundiſſimæ & latiſſimæ ſiluæ: in circuitu mille & ducenta

" Ozamã alii vocãt.

paſſuum

paſſuum millia excedens, latitudine ducēta & viginti implet. Arcticus polus ei gradus XXII. & dimidium: Antarcticus vndeuiginti & paulo ampliùs, eleuatur. Longitudo eius ab ortu in occaſum porrecta ſexcēta circiter paſſuum millia patet: & totius in vniuerſum inſulæ forma folij caſtaneæ figuram exprimit.

NONNVLLI dicunt in ea inſula frumentum facilè naſci, parum tamen colligi propter nimis luxuriantem vbertatē ſoli: deinde abundantia Maizij & indigenarum frugum fieri vt de ſeminando tritico non multum laborent Hiſpani. Verùm ego dico, ibi nec parum nec multum frumenti colligi. Atque huius rei cauſam quum ex Hiſpanis quibuſdam natu grandibus ſciſcitatus eſſem, reſponderūt mihi, Immodicis caloribus fieri vt generandis noſtris frugibus illud ſolum ineptum ſit. atque id toti inſulę commune eſt. Principiò quidem, quum primùm ab Hiſpanis incoli cœpta eſt, coloni aliquot in montibus Cibao vicinis paululum frumenti ſeminarunt. Inde, quòd planis locis montana frigidiora ſunt, circiter medimnos quatuor retulere: ſed quia in aſperis illis & mōtoſis ſaxetis agricolarū cultus cum vberrimo prouentu elaborare non poterat, in iis ſementem facere deinceps cura non fuit. Itaque ex Hiſpania farinæ annonam ſibi prouident, quæ folliculis & cadis conuehitur. ac ſi fortè tardantibus nauibus panis defecerit, Cazabi Indico pane veſci Hiſpanos colonos neceſſe eſt, quum non multam Maizij copiam ſeminare ſoleant ob aduectitiæ illius farinæ ſpem

Gomara Hiſt. Gen. lib. 1. ca 35.

Cur Indicum ſolū frugibus noſtris ineptū ſit.

Vites in Hiſpaniola ægrè coaleſcũt.

EARVM arborum quæ ex Hiſpania eò tranſportatæ ſunt, paucæ coaluerunt: Malus Punica videlicet, Aurantia, Citria, Medica, & aliquot fici duntaxat. Vites ibi plantatæ exiguas quaſdam vuas malignè fundunt, quarum libra dimidio ducato æſtimatur. Ipſe Didaci Equitis ſecretarij vineam vidi multis vitibus & palmitibus conſitam: quam quum vel optimè coleret, vix ad XL. vuarum libras colligebat. Ac ne ipſi quidem botri admodum iucundi ſaporis ſunt, & ferè Februario & Martio vindemiari ſolent. Æſtatis enim initium à Ianuario vſque ad exitum Aprilis: Hiems incipit à menſe Maio, Decembri deſinit. Neque ea tempeſtas anni Hiems dicitur, quia tum frigus ingruat: ſed propter imbres continuos. alioqui enim æſtate ipſa calidior eſt. Quippe tum remittentibus ventis, terra humidi calidíque vapores exhalant, & multos morbos afferunt. Æſtate contrà inſulam Aquilones continuè perflant, perpetuáque cæli ſerenitas conſpicitur.

Qualis hiems in Hiſpaniola.

HORTENSIA olera, quales braſicæ vulgares & capitatæ, raphani, lactucæ, cucurbitæ, & melones, magna copia ibi luxuriant: ſed cepæ & allia vix vnquam bona euadunt. Itaque eorum olerum vim magnam naues ex Hiſpania deuehunt, cum aliarum rerum commeatu, id eſt fabis, ciceribus, lentibus, amygdalis, nucibus, ficis, vuis paſſis, oleo, oryza, melle, caſeo, ampullis, catinis, ſcutellis, aromatis, pannis, ſericeis, aluta, vino, pane biſcocto, aliíſque eiuſcemodi rebus quæ ea tellus

tellus non fert.

IBIDEM omne genus quadrupedum, pecudúmque ex Hiſpania tranſuectum ad propagandam ſtirpem, magno prouentu ſoboleſcit: & Hiſpani nonnulli ſex octóve millia animalium in pecuariis atque armentis poſsident. Quàm multa viſum eſt eorum cuilibet in ſuum vſum mactare licitum eſt, modò pelles ad dominum referat.

IN ea præterea inſula magna Sacchari copia fit, ac dum ibi commorarer triginta quatuor machinæ ſiue torcularia eliciendo ſaccharo occupabantur. Duæ quidem hæ res Saccharum videlicet & Coria, ſeu pelles, præcipuæ ſunt eius inſulæ merces: ac mercatores qui hodie ex Hiſpania eò nauigant, redeuntes nihil ferè præter hæc inde reuehunt. Quippe Hiſpani effodiendis metallis, argento & auro adeo feruidè incubuerunt, vt vix iam granum vnum reperiatur, & maximi precii moneta, quæ hodie in San dominici oppido percutitur, quatuor tantùm marauedis valet, id eſt ſolidum noſtratem. Itaque ſi mercatoribus aurum & argentum comparare libeat, ex eo licet quod nūc tantùm è Peruana & Cap-fondurenſi prouinciis, aduehitur à negotiatorib⁹ qui ad equorum, mancipiorum, & mulorum mercatum in Hiſpaniolam veniunt: ex eo, inquam, auro poſsint emere, niſi intertrimentum ingens & iactura eos à tali mercatu deterreret. quippe 2 ducatus ex auro puro putóque duorum alterius monetæ precium æquat. Itaque non aliis ferè mercibus quàm

Hiſpaniola ſacchari ferax.

Negotiatorum in Hiſpaniola mercaturæ.

Aurū iam rarum in Hiſpaniola.

coriis, saccharo, casia, & [2] Guaiacano, id est ligno sancto, naueis onustas reuehunt.

1 AVRI, *etiam in illis terris, raritatem hodiernam & preciũ his verbis designat. Quũ enim aurum primæ notæ (quale illud Peruanũ est) ignobilioris notæ monetæ (qualis est nostra) non pari precio, sed ferè duplo contrà rependatur, nihil lucri aduentitij facere possunt mercatores ex auro illo promercali, carius videlicet emto, sicut ex aliis mercibus.*

2 GVAIACAN, *à nostris* lignum Indicũ, *seu* lignum Sanctum, *ob mirabiles effectus dictũ: magna est arbor, Ilicis magnitudine, ramosa, matrice magna, nigricante, materie quàm Ebenũ duriore: cortice crasso, gummoso seu pingui, & quum siccum est lignum, facilè decidente: foliis exiguis & duris, flore luteo, quem subsequitur fructus rotundus, solidus, semina in se continens Mespili modo. Frequens in insula San-dominici. Eius vsus primùm ea ratione innotuit. Magnis doloribus luis Indicæ (malo enim sic vocare quàm, vt nonnulli, Morbum Gallicum: quando hæc lues primùm ex consuetudine Hispanorum cum Indicis mulieribus, mox Italorum cum Hispanis, orta est : vnde mox in Germanos quoque & Gallos mali contagione serpsit) eo ergo morbo, quem ab Indica concubina contraxerat, Hispanus quidam torquebatur. Eius famulus Indus, in Hispaniola medicum agens, aquam Gayaci illi propinauit, qua non solùm magnis illis cruciatibus liberauit: sed pristinæ etiam sanitati restituit: eius exemplo, plurimi alij*

Hispani

Hispani simili morbo infecti, curati sunt. Eius morbi cura Hispali statim euulgata est, ab iis qui ex ea insula redierunt. Hinc per totam Hispaniam, & inde per vniuersum orbem quem hæc scabies occuparat. Hodie passim in pratulis & viridariis Cœnobiorum cùm virilium tum muliebrium plantatur, ob frequentia iis in locis pruriginis & porriginis venereæ contagia, ex voto perpetuæ castitatis.

SECVNDI LIBRI SVMMA ET ARGVMENTVM.

SVPERIORE *libro repertam à Columbo Hispaniolam aliásque Indiæ Occid. insulas sæuitiæque & auaritiæ exēpla ab Hispanis in iis edita, Benzo exposuit. Nunc vt ex Insulis in Continentē gradum sibi fecerint, cœptum iam priore libro opus, pertexit. Interea obiter, quomodo non tantùm auarè & superbè imperium in Barbaros, sed etiam crudeliter in Nigritas seruos suos, exercuerint: & ipsi vicissim, alienarum fortunarum raptores, aliis raptoribus, Gallis videlicet, prædæ interdum fuerint, exponit. Multas præterea in varias Indicæ continentis prouincias expeditiones ab Hispanis susceptas exsequitur (verbo, vt Christiani nominis fineis propagarent: reipsa, vt inexplebilem auri sitim, qua ardebant, explerent) atque inde pœnas in eos humanitus & cœlitus congestas. Postremò nihil tot Hispanorum laboribus profectum esse perspicuè docet: nisi vt Barbari splendida verba & doctrinam cum rebus ipsis & vita Hispanorum, & ipsorum quidem Ecclesiasticorum, componentes, Christianos omnes, & fidem adeò ipsam, summo Diuinæ maiestatis & Christi gloriæ ludibrio, vel rideant vel oderint.*

NOVAE

NOVÆ NOVI ORBIS HISTORIÆ

LIBER SECVNDVS.

¶Hiſpani Indicis mancipiis conſumtis, alia ex AEthiopia indè vſque adſciſcunt. Seruiles tumultus in Hiſpaniola ex ſæuitia Hiſpanorum oriuntur.

CAP. I.

EX quo eius inſulæ indigenæ, nimiis enecti laboribus, ad miſerandam cladem & paucitatem labi cœperunt, Hiſpani è Nigritarum prouincia quondam à Rege Portugalliæ ſubacta (vulgò Guineam vocant) mancipia ſibi proſpexere. Ergo magna inde ſeruorum multitudine aduecta, quum exercerentur adhuc fodinæ, illis ad aurum & argentum elaborandum operis vtebantur. Verùm vbi illę finẽ inuenere, ad multiplicandas ſacchari fabricas artificiáque ſe conuerterunt. In eo hodie ſeſe exercent, tum in armentis ac pecuariis curandis aliíſque neceſſariis miniſteriis operam heris ſuis præbent.

Hiſp. ſeruis, nõ minus quàm liberis hominibus crudeliſſimè abutũtur.

PORRO quando inter Hiſpanos non crudeles tantùm ſed crudeliſſimiquoque nonnulli reperiuntur, quum eiuſcemodi fortè aliquis

Auaritię comes crudelitas.

in ſeruum animaduertere vellet ſiue ob admiſſum maleficium, ſiue ob non lucrifactum & redditum diarium, vel quacunque alia de cauſa bilem illi mouiſſet, vel ob penſum non peractum, nec eam auri aut argenti vim effoſſam, quantam ſolebat: veſperi domum reuertétem, loco cœnæ, exuere induſium iubebat, ſiquo fortè eſſet amictus: & in terram proſtratum, manibus pedibúſque reuinctis tranſuerſo ligno alligabat (id ab Hiſpanis Lex Baionæ appellatur, quam equidem legem ab immani aliquo dæmone ſcriptam crediderim) mox reſte aut ſcutica tantiſper cædebat, donec ſanguis ex omni corporis parte deflueret. Sub hæc libram vnam picis ferue factæ aut olei feruentis ſcutellam vnam guttatim in vniuerſum miſeri corpus inſtillabat. inde pipere patrio, ſale & aqua temperato, perfuſus infelix maſtigia, tabulæ alicui ſuperiacens, & linteo aut ſtragulo inuolutus, tamdiu relinquebatur quoad ipſi hero reddi laboribus poſſe videretur.

ALII ſcrobe effoſſa, mancipium eò tam altè demittunt vt ſolo capite ab terra exſtet, & totam ibi noctem conſiſtere cogunt. ceterum ea ſe medicina vti dicunt Hiſpani, quòd terra liuidum & corruptum ſanguinem exſugens, verberum vulnera & vibices obliterat, carnémque conſeruans nequa plaga vlceretur, celerius perſanat. Attamen ſiquis vehementia doloris fortè moriatur (vt ſæpenumero accidit) non alia pœna multatur eius herus ex legibus Hiſpaniæ quàm vt pro eo alterum Regi perſoluat.

Ob

OB tam immanem Hispanorum sæuitiam Nigritę serui aliquot principiò è potestate dominorum elapsi, insulam peruagari, velut desperabundi, cœperũt. Mox eandem ob causam affluentibus vndique aliis, in tantam multitudinem excreuerunt, vt Hispanis colonis terrorem & multa negotia facesserent. Ac quia reges & populi Æthiopiæ assiduis inuicem certaminibus hostiles inimicitias exercent, quales sunt Quinei, Manicongri, Gialopi, Zapi, Berbesi, & belli iure captos mutuò alij alios Lusitanis vendunt: idcirco in illis etiam terris intestino aliquo odio alteri ab alteris dissidẽt, non ita tamen vt ipsi se aliqua iniuria mutuò violent: immò si fortè ab Hispanis vis inferatur, inuicem sese auxilio subleuent & alij pro aliis propugnent. Attamen singulę gentes Reges suos aut gubernatores habent, qui secretos ab aliis populos suos continent: qua ex re fit vt non tantum damni Hispanis inferant, quantum possent, si consociatis in vnum animis viribúsque pugnarent.

Domestici hostes aduersus Hispanos coorti.

AT Præsides & Adsessores insulæ quum in dies magis ac magis Maurorum fugitiuorum manum multiplicari intelligerent, & quotcumque Hispanorum in eorum manus inciderent, omni cruciatus genere ab iis lacerari atque interfici, exercitum conscribere instituunt, pérque omnes insulæ partes, quacumque isti commorabãtur, militem spargere. Ac primò Hispanis incepta feliciter procedere: quippe Mauros aliquot, spe libertatis ac pro-

miſſis electos, qui fugitiuorum ſtatiua & rece
ptacula noſſent, ducendo ſecum in agmine no
ctu incautos adoriebantur: quúmque ſine vl-
lo metu hoſtium dormientes, & humi velut
pecora fuſos ac ſolutos opprimerent, multos
vel capiebant vel trucidabant. Verùm poſte-
aquam periculis moniti excubias agere & vi-
gili ſtatione caſtra tueri cœperunt, omnibus
fere excurſionibus ac præliis Hiſpani inferio-
res abiere: atque exinde aucto in immenſum
numero feri iſti homines adeo multiplicati
ſunt, vt quum in ea Inſula morarer, pro certo
fama ferret eorum agmen plus VII. millibus
hominum conſtare.

ANNO quidem XLV. quum in continenti
eſſem, auditum eſt Cimaronos (ſic ab Hiſpa-
nis alienigenæ illic vocantur) vniuerſos ſum-
tis armis excitos rebellaſſe, raptímque omnẽ
Inſulam peruagantes nullum iniuriæ aut ſce-
leris genus, quod edere poſſent, prætermit-
tere. Itaque" Lodoicus Columbus Almirans
& Præſides Adſeſſoréſque Dominicæ, lega-
tos vltro ad eos miſerunt, oratum ac ſuppli-
catum vt pacificè viuere vellent: Se quidem
idem pro ſe præſtituros polliceri, neque ipſis
vlterius moleſtiam exhibituros: imò amici-
tiam eorum ſe vltro appetere, ac ſi vellent
ſacerdotes aut monachos ad ſe mitti, à qui-
bus Chriſtianæ doctrinæ capitibus erudiren-
tur, ſe verò multo libentiſſimè miſſuros. Ad
hæc poſtulata ab alienigenis reſponſum eſt,
Sibi quidem hæc placere, & ſe Chriſti legi cre
dere: ſed eorum amicitiam nolle, quum in
eorum

"Chriſt. Columbi nepos.

eorum promiſsis nihil fidei collocarent.

MVLTI quidem ibi ſunt Hiſpani, qui eam Inſulam breui ab iſtis Mauris & Nigritis occupatum iri pro certo habeant. Quamobrem eius Gubernatores, quum naues aliquæ inde ſoluere & in alias Indiæ prouincias vela dare paratæ ſunt, ſumma cura & vigilantia cauent nequis Hiſpanus, ſine ſuo permiſſu, inſula exeat, etiãſi ſit mercator. Attamen quũ licentiatus Ceratus Præſes in eam Inſulam miſſus eſt, Edictum regium de aſſerendis in libertatem Indis ſecum in Indiam ferens: omnibus iter apertum eſt, & cuilibet liberè commeandi poteſtas facta quocumque ſui quemque vſus ferrent. Quúmque ipſe ea de re à nonnullis Dominicæ ciuibus reprehenderetur, ira incenſus, "Quando, inquit, Cæſarea maieſtas Indos liber"tati reſtituit, æquum mihi non videtur vt Hi"ſpani præter Cæſaris voluntatem eos pro ſer"uis porrò detineant. Itaque ex eo mãdata eius omnes exſequi, & ipſe in ea ſententia eſſe vt bene factum crederet, ſi Indi liberè, quocumque vellent, abirent.

Hiſpani iure metuunt ne indeà ſeruis expellantur, vnde ipſi libertatem eiecerunt.

VERVM poſtquam intellexit Inſulam paulatim redigi in ſolitudinem ac deſeri, in tantũ imminuto Hiſpanorum numero vt vix mille & centum ſupereſſent: peregrinorum verò multitudinem ac vires adeo in dies augeri, vt ſi aliquis fortè motus aut tumultus ingrueret, non ſatis Hiſpanorum foret quantum ad propulſandam vim eſſet opus: ac periculum haud dubium eſſe ne ſimul & Inſulam & vitam amitterent: Hæc, inquam, poſtquam ei-

Hiſp. paulatim terras deſerunt vbi ſolitudinẽ fecerunt.

ſubiecta ſunt, ſemet ipſe repreſsit, & velut occluſa porta ſolutam illam licentiam compeſcuit. Verùm hodie ex omnibus Hiſpanis, qui ab Hiſpania in Indiam haud ſatis certo & explorato curſu nauigant & ad eam fortè inſulam applicant, perpauci omnino reperiuntur qui in ea æquo animo permaneant. ſiquidem plerique omnes qui eò traiiciunt, diuitiarum ſpe iter ſuſcipiunt: neque in ea inſula eius rei copia hodie aut facultas eſt, ſicuti olim fuit.

¶ *Galli piratæ Hiſpanas naues ex India redeuntes excipiunt. Hiſpanorum in armandis nauibus parcimonia & negligentia.*

CAP. II.

QVANDO in certaminum, quibus Mauri Hiſpanos in India exercuerunt, mentionem incidi, non alienum videtur huic loco ingentia damna, Hiſpanis ibidem à Gallis terra maríque illata, exponere. Non multo pòſt quàm hæ terræ primùm inuentæ ſunt, ingenti diuitiarum fama exciti Galli piratæ complures, belli tempore Oceanum infeſtare aggreſſi ſunt, & naues ab India remeantes excipere. Neque illis incaſſum labor: plurimas cepere, & inter ceteras quas ditiſſimas deprædati ſunt, quo tempore inæſtimabilis Peruanæ regiæ gaza,

Indiæ opũ fama Gallos piratas inuitat

gaza in Hiſpaniam deportabatur, vnam abduxere tanta auri vi onuſtam vt vel ſingulis nauium calonibus & caculis octingenti aurei ducati cuique in partem venirent.

SED præcipua cauſa, cur Galli tot Hiſpanas naues inuaſerint, nulli rei magis quàm ipſorum Hiſpanorum auaritiæ aſsignari debet. Quum enim ab Hiſpania ſoluerent, tanta & tam præceps erat magiſtrorum ſeu patronorum nauium feſtinatio, cupidè de mercibus & vectoribus in naues imponendis ſatagentium, vt bellicis tormentis, quantum ſatis eſſet ad propulſandum hoſtium impetum, ſiqui fortè occurrerent, munire eas non curarent aut meminiſſent: imò ne ea quidem ſaltem copia quanta Indici ſenatus conſulto iubebantur. Is enim edixerat, ne naues niſi duobus æneis tormentis, ſex ferreis maioribus vt minimum, tum aliis minoribus, ad eam expeditionem inſtructæ ſoluerent: deinde pulueris tormentarii cadorum numerum & aliarum machinarum definiuerat. Præterea certos huic muneri Commiſſarios ſiue Inſpectores præfecerat, quorum ea procuratio eſſet vt paratas ad ſoluendum è portu San-lucari naues inſpicerent, videréntque an præſcriptis munimentis commeatúque iuſſo inſtructæ & perarmatæ eſſent.

Auaritia cæca & improuida Hiſp.

SED magiſtri nauium, iniectis in manum aureis aliquot nummis, Commiſſariorum fidem redimebant, perficiebántque vt teſtificarentur omnia rectè atque ordine eſſe inſtructa. Quippe Commiſſarij Hiſpalim reuerſi,

in domo Indicæ contractationis apud regios magiſtratus per Dei nomen iurabant, naues omnibus rebus abundè atque ita vti deceret munitas eſſe, adeo vt quælibet earum ſola quatuor Gallicis nauigiis ad certamen par eſſet. Ad hunc modum comparatæ Hiſpanæ naues tres, interdum quatuor, ſimul ſoluebant: & quæ earum inſtructiſsima erat, duo triáve tormenta ferrea portabat, dimidia ferè ex parte rubigine exeſa, & cadiſcum vnum pulueris pyrii non valde boni.

In reditu aliqua earum fortè incurrerat in celocem vel myoparonem Gallicum egregiè armatum. Piratæ Galli, iam ſatis gnari quàm malè & negligenter inſtructi nauigarent Hiſpani, etiamſi obuia nauis mille ac quingentorum aut duûm millium doliorum capax eſſet, intrepidè tamen eam adoriebantur: ac primùm per altum bombardæ globum vnum
» mittentes clamabant, Adhuc adhuc pro rege
» Galliæ. Verùm ſi illi in demittendis ſuppliciter velis longiorem morã facerẽt, tùm piratæ maioribus tormentis in mediam ipſam nauim fulminabant. Quo terrore perculſi Hiſpani, quum nullam propugnandi ſui viam cernerent, & omnes vitæ ſuæ metuerent, Gallorum fidei ac poteſtati ſemet permittebant. Gallus extemplò Magiſtrum nauis demittere in mare ſcapham, eúmque ipſum cum Nauarcho & Scriba venire ad ſe iubebat. Mox ex actis ab eo rationibus auri, argenti, vnionum, ſmaragdorum aliorúmque pretiorum, quæ naues illę exportare ſolent: è ſuis mittebat qui ea omnia
conuerre-

conuerreret: deinde ſuis quoque in captiuam nauim tranſiliendi poteſtatem faciebat, ſiquid fortè, præter eam quæ redacta eſſet, reſiduæ prædæ inuenirent. Illi vt auidè tranſgreſsi erant, vectores nautáſque ipſos ſpoliare, & ſiqua illi meliore veſte amicti erant, eam laceris ſuis & detritis tegminibus commutare, ac dicere, Hoc aptum eſt tibi, & iſtud mihi: parúmque ibi aut virtus Hiſpana, aut militaris ſcientia proderat. Quippe iſti omnia ferre atque agere, ſcrinia mouere ac reuoluere: deniq; omnes angulos ſcrutabantur & foraminum abdita, ſiquid fortè ibi auri deliteſceret.

Piratarũ comitas.

NONNVLLI Archipiratæ ſatis habuere ſi merces manubiáſque Hiſpanis eriperẽt: naues ipſas relinquebant. Sed plerique eas quoque in Galliam captiuas abduxerunt, & expoſitis in terram Hiſpanis, ac veluti miſerti illorum, erogatis in viaticum aliquot nummis, eos in patriam remiſere. Neque vlli ferè ſunt Patroni, Præfectíque nauium & Scribæ claſſiarii, ex iis quidem qui in Indiam nauigant, qui eo quo diximus modo, à Gallis vt minimum ſemel aut bis capti ac ſpoliati non fuerint.

MITTO loqui de aliquot pagis & populis, quos iidem Galli in Inſulis Canariis fortunis ſpoliatos atque euerſos in vaſtitatem redegerunt: mitto etiam de nauibus quas pannis ſaccharo, vino & aliis mercibus onuſtas inuolarunt. Sed ea poſtquam ad Senatum Indicum relata ſunt, apparuítque ſocordiam ſuam malámque adminiſtrationem tam licenter præ-

Canariæ inſulæ direptæ à Gallis.

dandi Gallis audaciam facere: is Senatuſconſultum eiuſcemodi facit. Placere vti omnes naues quæ toto anno pluribus commeatibus ex Hiſpania in Indiam nauigarent (erant autem eæ cùm minores tum grandiores circiter ſexaginta) vbi onuſtæ inſtructæque eſſent aliæ alias exſpectantes omnes vnâ ſoluerent: tum vt mercatores ipſi tres aut quatuor bellicas naues armarent, quæ claſſem vſque ad Canarias Inſulas proſequerentur, quia vſque ad eum locum ex Hiſpania in Indiam commeantibus periculum eſt. Id ſi ita ſedulò atque ordine curaretur, hauddubiè Gallos prædandi finem facturos.

Hiſpani ipſi Gallis ad prædādum viā ſternunt.

CETERVM quod ad ea damna attinet quæ Galli Indicis quoque populis intulere, non aliis eius rei culpa aſsignanda eſt quàm Hiſpanorum quibuſdam, eius nauigationis peritis, qui Gallos eò ipſi deduxerunt, vel ſola malitia, vel inuidia impulſi, vel iniuriæ vlciſcendæ cupidine. Galli quidem, primò Hiſpanis ducibus vſi, eos curſus ex eo adeò exactè perdidicerunt, vt Hiſpanis ipſis nihil cederent: qúmque initio circa Hiſpaniolæ & S. Ioannis inſularum tantùm litora vagarentur, vbi ex iis locis non tantum proueniebat prædæ quantum ſolebat, progredi vlterius, & ad alias vſque inſulas, ipſáſque adeò continentis prouincias excurrere auſi ſunt. Ergo non mare tantùm latrociniis infeſtarunt, ſed infrà ſcripta quoque oppida & Hiſpanorum colonias populati ſunt. Primùm in Hiſpaniola Portum-argenteum, Azuam, Iaquannam

&

& Maquannam diripuerunt exinanierúntque multis inde abductis nauibus: fecissséntque idem ipsi San-dominici ciuitati, nisi arx munitissima ripæ fluminis imposita & æneis tormentis validissimis munita, eorum conatus repressisset: vt eam tentare ausi non fuerint, quamquam duces aliqui Galli id etiam comminarentur. Itaque Hispani metuentes ne alia aliqua parte in vrbem Galli aliquando irrumpant, quippe nullis cinctam muris, semper tempore belli diligentes excubias agunt: imò quum ibi morarer, ciues aggere aut cespitibus circumdare instituisse eam pro certo ferebatur: quod tamẽ Maurorum & Nigritarum fugitiuorum potius quàm Gallorum metu facere velle videbantur.

1 *Quum inuentis nouis Insulis & mox continenti facile appareret rem operosam & magnæ molis suo proprio egere Consilio & magistratu, cui regiorum vectigalium & redituum cura, cui prouincialium causarum arbitrium, omnium denique expeditionum rerúmque Indicarum regimen & cognitio subiiceretur: iam inde ab initio Ferdinandus & Isabella Catholici reges, Cameram seu collegium Hispali delectorum hominum instituere, quorum opera & autoritate colonorum & militum supplementa, commeatus, ceteráque ad classes instruẽdas necessaria, Præfectis ac Prætoribus, regiis auspiciis in Indiam Occid. nauigantibus, suppeditarentur. Tum etiam apud eos negotiatores omnes, mercium, quas ex Hispania in Indiam portabant, genus & summam professi: inde quoque reuersi, au-*

ri aduecti, vnionum ceterarúmque rerum quas ex India reportarent, rationem redderent. Eam Cameram, Indicæ cõtractationis domum vulgò vocabãt. Postea anno M. D. XXIIII. *Carolus* V. *Cæsar Indicum senatum, statum & sollennem, publica scriptura & sigillo regio instructum, constituit: atque omnium Indicarum causarum supremã cognitionem, criminum animaduersionem, pœnarum & veniæ discrimen: denique omnium rerum quæ ex India in Hispaniam deferrentur, ius atque arbitrium sub eius magistratus ditione esse voluit.*

¶ Anzulles Hispanus prælio nauali à Gallis funditur. Galli ab Hispanis capti. Auana Cubæ insulæ colonia à Gallis diripitur.

CAPVT III.

ANNO M D. XLIII. Petrus Anzulles tribun. mil. è colonia Nominis-de duabus nauibus & carauella vna vela in Dominicam fecit, cum opibus quæ centum millium ducatorum precium æquarent. In itinere quum ad Iaquannam applicuisset, comperit vix sex antè horis inde Gallicam nauim soluisse, quæ depopulata ciuitate ignem tectis iniecerat. Petrus qui, gloriæ impensè auidus esset, omni auro & argento in eo portu deposito, sublatis dolonibus altum petere intendit, & Gallicam nauim quęrere

Hispani à Gallis fusi

rere. Quam vbi adeptus eſt, expediere arma-vtrique, & magna vi infeſtis roſtris concurrére. Æquo marte & paribus vtrinque animis per quadrantem horæ pugnabatur, quum ecce in medio æſtu certaminis Petrus cum nauticis aliquot ictu tormenti percutitur. Hiſpani, fractis duce ipſo cæſo animis, fugam arripiunt, breuíque in Dominicæ portum ſe condunt. Gallicæ nauis Prætor inſequi fuſos negligens, cœptum iter peragere inſtitit.

ANNO ſupradicto, Gallicæ naues duæ vſque ad Dominicæ viciniam prouectæ, carauella vna capta, quæ onuſta mercibus ad Caput-veli tendebat, ad orientale [1] Monæ inſulæ latus ancoras iecere prædam aliquam exſpectantes. In earum vna Cantabri aliquot (Biſcainos vulgò vocant) vehebantur. Poſtquam eius rei certus nuncius ad regios Præſides, qui iuri dicundo in Dominica præerant, allatus eſt, liburnicas duas, quæ in portu ſtãtes onera & diſceſſum in Hiſpaniam parabant, celoces duas, & myoparonem vnum armant, eíque claſsiculæ Carionem Trianam præficiũt. Ille ſoluit: Galli ſequenti die Prætoriam nauim, cum celoce vna ceteræ claſſi præeuntem, proſpectantes, ratíque nauim aliquam onerariam eſſe quæ in Hiſpaniam commearet, læti admodum ſeſe ad pugnam comparant.

Hiſpani, Galli ducis ſecordia Gallos vincunt.

Verùm vbi mox propinquior conſpectus duas alias naueis & myoparonem aperuit, viderúntque eas naueis rectà ad ſe tendere:

tum Cantabri, qui in Gallicarum altera erant, veriti ne de se captis, tanquam subditis Regis Hispaniæ & perduellionis proditionísque manifestis, graue supplicium sumeretur: quòd miliari amplius adhuc ab hoste abessent & commodiore nauigationis cursu vterentur, omisso omni sociorum respectu curáque, vela subrigunt & fugiunt.

ALTERIVS nauis Prætor vbi se desertũ ab sociis videt, & iamiam sibi imminere Hispanam nauim prætoriam cum celoce, neque alias superuenientes procul, neque vllam fugæ viam patere, penitus consternatus deditionem facere instituit. Itaque milites ponere arma iubet, quippe amentiæ fore non prudentiæ dimicare velle: quando nulla spes esset, se solum aduersus quintuplicem hostium aciem pugnantem posse vincere: deditis verò (sicut ipsi, quum vincerent, solerent) Hispanos clementer vsuros ex mutuis belli commerciis. Hæc Prætoris verba iracundè repulit Tormentarius quidam, Enimuero sibi quidem, inquiens, deditionem non esse faciendam sed pugnandum videri: & eundem, suo iudicio, ceteris esse animũ. Equidem malle foriter dimicando mortẽ honestè oppetere, quàm tradentem se vltro in manus inimicorum vitam inglorium trahere. Si paueret Prætor, cur ad bellum iret? etiãsi quintuplices hostes essent, & ipse solus, se tamen ipsos ne pili quidem facere. quippe Hispanos in iis oris militarium artium, maximè in naualibus præliis, planè rudes atque imperitos esse: in primis tractandarum

darum

darum machinarum haud ſatis gnaros. Itaque fidenter ſpondere ſe quatuor tormentorum ictibus Prætoriam eorum nauim perfractam demerſurũ: neque dubium quin, ea depreſſa ceteræ fugam caperent. Certè ſi Prætor huic Tormentario fidei atque autoritatis aliquantum præſtare ſuſtinuiſſet, ipſorum rebus melius conſultum foret. Quum enim iudicaſſent omnes magnifica hæc eius verba rebus ipſis & factis comprobanda eſſe, iámque Gallicæ naui imminens Hiſpana, diſploſo tormento, clamaret, "Adhuc adhuc pro Imperatore, veluti iam captæ inſultans: illi extemplò tam horrendo tormenti fulmine reſponſum eſt, vt parum abfuerit quin perfringeretur.

GALLICAE prætor, à pugnandi animo alienus, confeſtim è foris deſiliens, ignem è tormentarii manu abripit, alterum fulmen iam diſplodere parantis. Equidem ſi tum ignem tormento ille immiſiſſet, globúmque perinde periculoſo hoſtilis nauis loco, vt primum, intuliſſet, Hiſpana prætoria, vti dixerat, hauddubiè demergebatur. Immò niſi & ipſe Hiſpanus præfectus mouendis ſcriniis aliiſque oneribus intentus, foramen à globo factum ſtipare atque explere properaſſet, credo vel vno eo ictu perituram fuiſſe, multa iã accepta aqua. Itaq; ſine certamine capitur nauis Gallica, & Dominicam abducitur, tam effuſa ciuitatis lætitia vt ſi ipſa Gallia capta eſſet. Galli in cuſtodiam traduntur, maximè qui rerum maritimarum periti erant: Prætor ipſe in Almirantis domo propè aſſiduus erat: nauim

Hiſpani de captis aliquot Gallis triumphant.

tormentis, rudentibus, velis, ancoris ceteríſque armamentis ſpoliatam & prouectam in altum, Hiſpani iniecto igni cremarunt. Ipſi mihi quum amicum quendam meum qui in vinculis erat inuiſerem, cum Gallis illis ſæpe ſermo erat. Illi verò Prætorem ſuum probris & diris lacerabant, qui turpem adeo deditionem feciſſet: vnde duriter & inclementer habiti grauiſsima incommoda paterentur. Paulò pòſt diuiſi in naueis quæ ex India ſoluebant, in Hiſpaniam miſsi ſunt: in itinere quinque eorum qui carauella vna vehebantur coniurant in Hiſpanos, eóſque de improuiſo adorti in altum præcipitant. Ita potiti carauella, onuſta ſaccharo & quindecim millibus ducatorum ex vectigalibus regiis, cum tam opima præda in Galliam aufugiunt.

Hiſpani coloniarũ ſuarum incolumitatem à Gallis pecuniaredimunt.

ANNO M.D.XXXVI. in Cuba inſula, portum Auanæ inuectus myoparo vnus Gallicus perexiguus (à Gallis vulgò dicitur *Patax*) qui tempeſtate à Prætoria naui diſiectus & eò delatus fuerat, oppidum ipſum cepit. Hiſpani quòd eius oppidi domus ferè ligneæ & palea tantùm tectæ eſſent, metuentes ne id Galli incenderent, ſeptingentis aureis ducatis, incolumitatem municipii ab illis pacti ſunt. Galli eo precio contenti, abeunt. Poſtridie quũ tres maiores naues è noua Hiſpania profectæ eò appuliſſent, Ioannes de Roias Præfectus eius oppidi eas aurum, argentum & quæcumque alicuius præcii eſſent, in terram exponere, Gallorúmque veſtigia ſubſequi, iubet. Illæ confeſtim ſingulæ ordine portu egreſſæ, præeunte Prætoria, ſcaphis ad pup-

pes religatis, haud procul oppido, in flexu promontorij cuiusdam, ad ostium vicini fluminis Gallos assequuntur. Prætoria nauis in Gallicum myoparonem sola inuehi non ausa, impetum sustinebat donec ceteræ naues adessent. Galli vbi hostem cunctari vident, neque illi satis esse ad lacessendam pugnam animi, aliquot tormentorum globos displodere incipiunt. Inde Hispanis tantus terror iniici, vt nulla defensione tẽtata, turpiter in fugam versi, & scapha etiã amissa, milites permistis nautis ingenti cum tumultu in terram euaderent. Aliarum nauium vna, quæ non procul sequebatur, vbi à Prætoriæ nauis militibus effusam fugam fieri videt, proram vertit & ipsa, & qui in vltima erant deinceps fugiendi exemplum sequuti sunt. Ita Galli primò territi ac propè certi captiuitatis, repentè fusis præter spem Hispanis, summa cum voluptate tres eorum naues corripiunt: ac denuo ad Auanam regressi, quum nummorum alterum tantum, quantum prius, vt parcerent oppido, à ciuibus extorsissent, inde porrò abiere.

Ex eo Hispani domus è lapide struere cœperunt, arcémque imponere portus litori, aduersus incursiones Gallorum bombardis & machinis ingentibus munitam. Situm est id oppidum in planitie mari vicina quâ oriẽtem spectat: domus instar, cuius porta optimè clausa cetera omnia circum nuda atque aperta sint, nullis cinctum muris, vt cuilibet quacumque velit eò pateat aditus. Itaq; eius arcis quã Hispani in ore ipsius portus immoliti erant,

Auanæ situs.

certiores facti Galli, ad ostium Chiореræ fluminis (id sex millibus pass. ab vrbe abest) applicant: & circiter mediam noctem in terram egressi, de improuiso sub primam auroram magno tumultu vrbem inuadunt. Hispani nec opinato hostium aduentu & fremitu excitati, desilire è cubilibus & quà quisque poterat alius alia porta in siluas diffugere. Ita Galli ædificatam ab Hispanis in ea insula coloniam diripuerunt.

1 MONA *insula inter Hispaniolam & insulam S. Ioannis-de Portu-diuite, 17. gradibus ab Æquinoctiali linea Septentrionem versus, abest: exigua, depressa, & plana: sex millibus pass. id est tribus leucis, circiter in circuitu patet. Paucis Christianis & Indis habitatur. Piscinis abundat, aqua dulci & cancris optimis. Est & alia Mona insula Britanniæ proxima.*

2 *Auana, Cubæ insulæ colonia & portus, in septentrionali eius litore sita.*

¶ *Hispani per speciem colloquij Gallos circumuentos trucidant. Galli eorum perfidiam grauissimè vlciscuntur, & Hispanicas colonias in Cuba, San-Ioannis & Iamaica insulis diripiunt.*

CAP. IIII.

ANNO LIV. flagrantibus inter Carolum V. & Henricũ Galliæ regem bellis, Gallica vna nauis ad Sã-iacobum, Cubæ insulæ caput, cum octoginta mili-

militibus, appellens, ciuitatem diripuit & exinaniit. Atque inde euestigio ad Auanam tendens, expositis ad Chioreram militibus, hora vna antè lucem oppidū ingressi Galli, aliquot Hispanos spoliarunt: alij fuga se proripuere. Galli singulas municipij domus irrumpentes, opimam se prædam inuenturos rati, manibus propè vacuis reuersi sunt. Quippe Hispani quum sæpius iam Gallorum populationibus vexati essent, veriti ne idem quoque deinceps accideret, facultates omnes suas in prædiis & villis habebant. Interea verò, dum Galli scrutandis & exhauriendis domibus intenti sunt, duo Hispani à senatu Coloniæ ad eorum Prętorem mittuntur: primùm qui quàm multi illi essent, per speciem legationis propiùs explorarent: deinde pretio cum illis paciscerentur ne oppido ignem iniicerent. Quum de redimenda colonia & captiuis qui in Gallorum manus venerant inter eos ageretur, Gallus prætor sex millia ducatorum pretium statuit & flagitat. Hispani se inopes esse dicere, & omnes suas facultates eius summæ pretium æquare non posse. Itaque ea de re sibi adeundos & docēdos esse magistratus, sine quorum & senatus ipsius sententia nihil transigere ipsis per se licitum esset. Quare potestate abeundi à Prætore impetrata, fidéque data se postera die cum certo responso reuersuros, vrbe excedunt.

Hispani per simulationem cōpositionis Gallos circunueniunt.

LEGATI ad suos reuersi, rem ad Ioannem d'Ories ceterósque ciuitatis gubernatores referunt. Illi multitudine hostium cognita &

quantam pecuniæ ſummam peterent,in diuerſas ſententias abiere. Maior pars,enimuero pactionem omnem cum eo hoſte abnuere: Gallos ferro potius quàm auro arcendos: nec pecunia, ſed haſtarum & tormentorum ictibus explendos eſſe prædones iſtos pridem nouiſſima exempla meritos, qui latrociniis tantùm & rapto viuerent. Neque multitudine formidabiles eſſe,neque vt altero tāto plures eſſent, vel teruncio eſſe æſtimandos:ac vel paucos illos equos,qui ſibi ſupereſſent,ad eos proterēdos ſufficere. Alij contrà ſentiebant, Tutius videlicet eſſe, ſæuienti neceſſitati ſummittere animos & ſeruire tempori, quàm ſeſe ac ſua omnia fortunæ arbitrio permittere: qui aliter cenſerent, facilè eo imprudentiam ſuam prodere,quòd hoſtem contemnerent. Quamobrem placere iterum mitti legatos ad Gallum prætorem, qui certiùs de pecunia ipſius voluntatem explorent: quòd ſi de pecuniæ impetratæ ſumma nihil prorſus remittere velit, attamen obligatæ fidei liberatione vtique illi ſatisfactum iri. Poſtremò vbi hæc ita præſtitiſſent, niſi conditiones placerent, tum alio conſilio, quodcumque optimum viſum eſſet, non intempeſtiuè vſuros. Sed multorum inconſulta opinio plus quàm paucorum prudens conſilium valuit. Itaque aciem inſtruunt, & familias, id eſt Numidica ſeruitia, armant Hiſpani, centúmque & quinquaginta circiter militum manu collecta, noctu apud Gallos omnia ſoluta & ſopita inuenturos rati, in vrbem irrumpunt, vociferantes San-iacobus,

San-

San-iacobus,& emissis pilulis plumbeis, quatuor Gallos interimunt, in iis Prætoris ipsius nepotem. At ceteri Galli, nihil defixis aut perculsis pauore animis, stratis excussi pedibus sese excipiunt, & raptis confestim armis animosè propugnant. Nec tulere impressionem ex aduerso factam Hispani, sed ad primum glandium plumbearum nimbum, quem Galli effudere, turbati vertunt terga & siluarum latebris sese sepiunt.

PRAETOR ipse Gallus totam eam noctem, statione circa vrbem disposita, in excubiis pernoctauit, ira supra modum incensus propter cædem suorum ac sui maximè nepotis, semet ipse vltro incusans, quòd Hispanorum fidei & promissis credidisset. Vt illuxit, à militum suorũ parte, quidquid picis reperiri posset, colligi iubet (erant autem in oppido multæ picis capsulæ eò ex Hispania conuectæ ad ferruminandos nauiũ textus) eáque inungi domuum portas, fenestras, laquearia, denique vbicunque materiæ & lignei operis aliquid esset: mox ignem tectis iniici, & parietes ipsos solo æquari, atque à fundamentis erui. Iámque domus conflagrare cœperant, quum ipse ad templum profectus, ne ei quidem pepercit. Id spectaculum flagrantis vrbis eminus è propinqua silua Hispanus quidam conspicatus, equo vtique fretus, Gallorum ducem suppliciter ac demissè adiens, Fortissime Prætor, „ inquit, non te satis habuisse ad explendum animum tuum vniuersam ciuitatem solo æquasse, „ nisi templo Dei etiam ignem iniiceres? Ad „

Galli perfidiam Hispanorum atrocissimè vlciscuntur.

Frustra pietatem venditat, qui fide socíali caret

hæc verba Prætor arroganter respondit, Homines, inquit, quibus nulla fides est, ne templo quidem indigent. Tandem verò dirutis domibus omnibus, arcem quoque ipsam direptā solo tenus deiiciunt: & dux, nauem portum inuehi, omnémque egestam ex vrbe prædam eò stipari iubens, ferocitérque Hispanis pestem minitās, inde excessit. Paucos post dies quàm hæc acciderāt, ipse eum portum ingressus, deformeis adeo ruinas illas conspexi, vt vix vlla tectorum vestigia & situs dignosci posset.

SANGERMANVM colonia est in insula S. Ioānis de portu-diuite extructa. eam quum mari vicinam Galli sæpe diripuissent, Hispani translatam ex eo loco in siluam quandam sex mill. pass. procul à litore introrsus in mediterranea retraxerunt, ita se nimirum tutiores & extra periculum futuros rati. Sed ne sic quidem ipsi satis delituerunt. Id enim vbi resciuissent Galli, ad siluestrem vsque illum nidum progressi sunt. In 2 Iamaica insula Hispalim seu Seuilliam, viginti quatuor fermè tectorum oppidum, octo passuum mill. distantem à mari, diripuerunt.

Carthago noua, Hispano duce præeūte, à Gallis diripitur.

PER eadem hæc tempora Carthagine (ea est vrbs & prouincia Indicæ cōtinētis) Iudex quidam fortè nautam, cui aliqua de causa infensus esset, virgis cædi iussit. Ille mox liberatus in Hispaniam atque inde in Galliam transgressus, contractis quinque nauibus postmodum Indiam repetiit. Iactísque in Carthaginiensis portus ostio ancoris, centum milites

in

in ſcaphas nauium tranſgreſſos in litus exponit. Illi vna ante lucem hora egreſſi in terram, Hiſpanos omnes ſopitos opprimunt, domóſque vi irrumpentes, quæ partim ligneæ, partim ex arundinibus contextæ ſunt, omnes palmarum foliis contectæ, omnia tumultu & clamore miſcent. Nauta cum aliquot Gallis Indicis domum ingreſſus, qui ipſum virgis cædi iuſſerat, eum repetitis ſicæ ictibus confodit: alij aliò ad prædam diſcurrunt. Hiſpanorum maxima pars fuga ſeſe proripuit, nonnulli interemti alii captiui facti ſunt. Ita direpta eſt & incenſa Carthago noua, vnde Galli ex manubiis & pretiis captiuorum amplius centum & quinquaginta millia ducatorum tulerunt.

Aliae naues Gallicæ ante & poſt hæc omnem illam oram prӕterlegentes San-Marthæ & Capitis-veli colonias, & alia loca, diripuerunt. Poſtremò, vt aliquando de his Gallorum geſtis agere deſinam, quo tempore in Cubagua vnionum piſcatus florebat, Gallica vna nauis eò fortè applicuit. Hiſpani, ea proſpecta & agnita, lintres duos patrios quinquaginta Indis onerant, eóſque arcubus & ſagittis armatos, aduerſus eam nauim mittunt, perſuadéntque qui in ea erāt pædicones eſſe, quos niſi perdere occuparēt, egreſſuros in terram multíſque eorū captis, tanquam feminis, ad nefandam venerem abuſuros. Indi prorſus ita eſſe rati, nihil intermittunt donec nauim aſſequantur.

Hiſpanicum ſtrategema in Gallos.

Galli ſine vlla periculi ſuſpicione aut

metu,nudos homines otiosè cõtuebantur, rati fortè, opinor, illos ſpectatum eò & ſui viſendi gratia confluere, aut ad commercium vnionum. Sed vt naui propinquarunt barbari,pro margaritis ſagittas in Gallos emittere, & eorum aliquos trãsfigerete. Galli qui vnionum,qui ibi capiũtur, peritiores eſſent quàm venenatæ illius herbæ, cuius ſucco Indi ſagittarum aculeos tingunt, poſtquã ſe ſaucios & lethales eſſe eas ſagittas animaduertũt, nulla interpoſita mora ſublatis velis, abeunt. Neque deinceps,quantum intelligere potui, nauis vlla Gallica eò applicuit. Ea arte atque aſtu Hiſpani iam pleni formidinis infeſtas Gallorum manus effugerunt.

1 SAN-IACOBVS, *primaria Cubæ inſulæ colonia & Epiſcopatus ſedes: tuto & tranquillo portu nobilis.*

2 IAMAICA *inſula,ad Orientem Hiſpaniolæ,* XXV. *ab ea leucarum interuallo diſcreta,* XVII. *gradibus ab Aequinoctiali limite diſtat. Eius caput noua Hiſpalis,& titulo Abbatiæ primaria ſedes: cuius primus Abbas fuit Petrus Martyr Mediolanenſis, is cuius exſtant tres de rebus Oceanicis Decades.*

Catha-

¶ Carthaginensium & San-Marthensium Indorum mores, & commercia. Hispani smaragdos & aurum ab illis extorquent: & pro beneficio, bella, seruitutem & rapinas reponunt.

CAP. V.

VNDECIMO post aduentum meum in Hispaniolam mense, nauim in Indicam continentem vela facere parantem conscendens, è San-dominici vrbe solui. Sexto post discessum die,[1] niuosi San-marthæ montes nobis sese aperuere, breuique inde ad Carthaginem appulimus, quam [2] quòd insulam ipsis portus faucibus obiectam habeat, vt Carthago noua in Hispania, ita Hispani nuncuparunt. Hęc insula, octo millia pass. in longitudinem, tria in latitudinẽ patens, quo primùm tempore Hispani eas prouincias attigerunt: tota Indicis piscatoribus habitabatur: nunc verò vix vlla mapalium reliqua vestigia exstant. Neque id mirum vlli esse debet: quando & aliis omnibus in prouinciis tum maritimis tum mediterraneis, quas Hispani transcurrerunt, vix miseræ vllæ Indicarum gentium reliquiæ reperiuntur. Tanti mali causa est, quòd illi populi, quandiu vires suppeditarunt, Hispanorum amicitiam accipere numquam sustinuere, propter intolerabilem eorum sæuitiam atque atroces iniurias in se ac suos ab istis editas.

Indi Hispanorum amicitiam respuunt.

FRVCTVVM, piscium, rerúmque aliarum vitæ tuendæ necessariarum copiam ha-

bent. Pudenda bombycino velo contegunt. In bellis nō minus fœminæ[3] quàm viri prȩliātur: ſagittæ venenatæ, tela ſunt: hoſtes captos & cæſos mandunt, & multos quidem Hiſpanos eo modo carnes & fruſta fecere, ceteríſque omnibus ita, ſi poſſint, vtantur. Sollennia ſua olim celebrantes, quam maximè feſto & pulcherrimo cultu poterant corpus ornantes, bullis armilliſque ex auro, vnionibus & ſmaragdis, brachia, crura, faciem, reliquáſque omnes corporis partes impediebant.

PRAECIPVAE eorum merces, ſal, piſces, piper[4], quæ in ea continentis loca deferunt, vbi ea deficiunt, & aliis rebus permutāt. Proſperis ſuis quondam temporibus pulcerrimos & nobiliſſimos frugum, fructuum, bombycis ſeu goſſipij, pennarum, monilium, auri, multiplicium vnionum, ſmaragdorum, mancipiorum, aliorúmque ſuæ terræ commodorum, mercatus inſtituebant: ac mutuo inter ſe commercio quibus quiſque egebat ea capiebat ſine vlla cupiditate aut auaritia, &, Cape, aiebat alteri, hoc, & tu inuicem mihi iſtuc dato. Neque quidquam ferè magis apud eos in pretio eſt quàm eſculenta & cibi. quamquam hodie maior pars earum gentium, quod à nobis hauſit, iam tēporalia quoque hæc bona cariſſima habere & venerari didicit. Sed vel in hac corruptela non pauci reperiuntur,[5] qui non ea tanti nunc, quanti paulo antè, faciant.

Iudica in mutuis cō merciis ſimplicias.

HIC quod mihi aliquando vſuuenit referam. Quum fortè eſuriens in domum cuiuſdam Indi incidiſſem, petiiſſémque ab eo an

pullum

pullum gallinaceum venalem haberet: respon dit ille, Se verò habere, sed quid vellem contrà ipsi dare, petiit. Ego monetæ nummum vnum offero (Regalem seu Realem vulgò vocant) ille nummo è manu mea sumto, quærit quid pullo facere vellem: Comedere, inquam. Indus me contrà in faciem intuens, Regalémque inter dentes tenens, velut demorsurus, Christiane (inquit) si tu me vis dare tibi quod edas, præbe tu mihi vicissim quo ipse vescar. nam quod tu hîc mihi das, nullius vsus est. Quòd si nolis, recipe tuum Regalem, ego verò pullum meum comedam. Ita elusus ab isto, alterius domum me contuli, qui mihi pullum dedit.

Pecuniarũ contemtus apud Indos.

INTER Carthaginem & S. Martham ingens & rapidum flumen occurrit, quod tanto impetu instar torrentis in mare deuoluitur, hieme præsertim, vt retroacto æstu præterlabentes illac naues, facilè inde aquam dulcem capere possint. Gonzallus Ximenez doctor, Petri Lugi[*] eius prouinciæ præfecti legatus, quum ditescere cuperet, cum XLV. Hispanis & myoparonibus duobus flumen illud subire aduersum aggressus, dum per circumiectas ripæ gentes vagatur, smaragdos aliquos reperit: quúmque ex ipsis intellexisset vnde illos sumerent, progredi vlterius statuit, neque prius finem facere quàm cautes aut fodinas reperisset, quæ eas opes gignerent. Tandem quum aliquot prouincias peragrando emensus, in Bagottam principẽ ditissimum (ex falso vulgi Hispanorũ iudicio) incidisset Doctor, partim

Smaragdi apud Indos Occid. inuẽti nouam auaritiæ Hisp. materiem & flammã subdunt.

gratia, partim rapina magnam auri vim ab eo extorsit, mox petiit vnde smaragdos sumerent. Bagotta Christianorum immodicam auaritiam deprehendens, vt eos suis finibus expelleret, illósque à se amoliretur, in valle Tunia effodi eas respondit. Hoc audito Doctor cum suis ab eo digressus, superatis montibus quibusdam quos Indi obtinebant, in vallem Tessucam peruenit. Eius prouinciæ regulus erat Simandoca. is quum Hispanos modestè & sine vllo detrimento per fineis suos iter faciẽtes videret (quippe vetuerat Doctor seuerè nequis quidquam sine permissu indigenarum capere aut attingere auderet, ídque vt gratiam & bonam famam inter eas gentes sibi conciliaret) ille, inquam, eos nihil transitu prohibere conatus, hospitaliter etiam & comiter excepit. In primis verò Doctor ab eo de smaragdorum fodinis sciscitatus est. Regulus peramicè eum ad locum deduxit. Vigintiquinque circiter millia pass. ab ipsius ditione aberat tumulus editus, arido & nudo herbis atque arboribus solo. Ibi magnam vim gemmarũ à suis subditis effodi iubet, cásque cum aliis opibus atque auro Doctori largitur, nempe qui ca parui faceret, plurísque duceret salis lancem vnam quàm aurum omne & totum illum smaragdorum montem.

Fraus fidẽ in paruis sibi præstruit, vt quum operæpretium sit, cũ mercede magna fallat.

Barbari necessaria pulchris anteponũt

CVM hoc pulcerrimo & ditissimo munere ad San-marthanam coloniam Doctor reuersus, nuper inuentæ prouinciæ famam spargit,

quæ

quæ adeo auro & ſmaragdis abundaret. Omnes viſendi cupido inceſſit: in primis Petrus Lugus ceteris auidior, arma, nauigia, equos, ceteráque ad eam expeditionem neceſſaria comparat: quúmque paucos circa ſe haberet milites, Carthaginem ad delectum habendum mittit. Vt libitum inſtructus, quum ad Bagottæ finium limites perueniſſet, & ad illum vicinóſque regulos Chriſtianorum aduentus fama perlata eſſet, ſcelerúmque ac facinorum quæ vbique nefanda ederent, ſumtis armis illi arcere vim aduenarum & libertatem ſuam propugnare properant. Sed vbi ventum ad manus, barbari omnibus ferè præliis vincebantur. Itaque quum & iam multis ipſorum cæſis res ad internecionem gentis ſpectare videretur: Chriſtianis verò noua ſubinde auxilia Carthagine & San-martha ſummitterentur, feſsíſque ac ſauciis recentes ſuccederent: ſpem omnem pellendi eos à ſuis finibus exuunt, victíque metu ne cladibus attriti ad vaſtitatem tandem redigerentur, abiiciūt arma & pacem expoſcunt. His artibus Hiſpani maximam eius prouinciæ partem ſubegere.

Diuitiarū admiratio auaritiā, auaritia bella & cædes gignit

PETRVS Lugus leuibus aliquot præliis Indos expertus, & tranſcurſis gentibus multis omnia igni, ferro, latrociniis, quacumque ibat infeſta faciēdo, cū magna auri & ſmaragdorū copia San-martham reuerſus eſt. Hæc prouincia ab Hiſpanis Granatæ-nouæ regnum dicta eſt, & Georgius Robledus Trib. mil. quum

ibi coloniam condidisset, Carthaginem eam numcupauit, propterea quòd omnes ferè eius oræ perdomitores ac coloni, qui ibi erant quum ipse eò applicuit, Carthagine noua Hispaniæ vrbe orti erant. Illi magnam inde smaragdorum copiam effoderunt & porrò etiamnunc effodiunt.

1 SAN MARTHÆ *portus in continenti Indiæ, vndecim tantùm gradibus ab Aequinoctiali linea in Septentrionem distat, sub altissimis montibus, qui, mirum dictu, inter tantos ardores, opaci fidique niuibus, primi nautis ex alto prospectantibu ea litora aperiunt.*

2 MOX *sub finem huius capitis aliam eius nuncupationis rationem videtur reddere. Sed hîc loquitur de ipso portu seu tota ea ora, quam obiectu insulæ sitũ Carthaginis nouæ, quæ in Hispania est, referentem, sic vel Columbus vel primi Hispani nominarũt. Illic verò agit de colonia, quæ à Carthaginis Hispanicæ ciuibus, in nouæ Granatæ prouincia* XL. *pass. millibus à San-marthẽsi portu condita est. Porro obiectam Carthag. portui insulam Barbari indigenæ vocant Codego, vti Carthaginienses Hispani suam Scombriam appellant.* De *cuius situ vide T. Liuium Annal. lib.* 26.

3 ANNO M.D.IX. *Martinus Ancisus aduersus Zenuenses eiusdem oræ accolas bellum gerens, vnam cepit* 20. *annos natam, quæ viginti octo Christianos sua manu interfecerat. Gomara Hist. Gen. lib.* 2.

4 TOTO *continentis tractu in quo Noua Carthago,*

Carthago, etiam in Nouo regno, magnus est vsus piperis cuiusdam oblongi, quod maiore acrimonia præditum Orientali, magísque aromaticum & iucundiorem odorem spirat quàm Axi seu Capsicũ, id est Piper Indicum vulgare. Nic. Monard. de simpl. medicam. Indiæ Occid.

4 QVO *liquidiùs appareat quanto in contemtu diuitiarum viuant Occidentales Indi, hîc ex Ioannis Lerij, amici mei, libro quem nuper Gallicè de suis peregrinationibus edidit, bona fide transcribam ipsius cum Brasiliensi barbaro colloquium: Mirantur (*inquit*) non mediocriter nostri " Tououpinambaulty (de quadam Brasiliæ gente " agit quicum Gallis societas erat) quum vident " Gallos alióśque aduenas è procul remotis terris " venientes, tantum laboris sumere vt Araboutano " suo (id est Brasilio seu coccineo ligno) naueis onu- " stas reuehant. Itaque magno natu quidam ex bar- " baris hunc in modum me super ea re aliquando in- " terrogauit: Quid sibi vult, inquit, quòd vos* Mair " *&* Peros *(id est Galli & Portugalli) tam procul " petitum ligna veniatis? Nulláne vobis ligna ad " focum tellus vestra suppeditat? Tum ego: Sup- " peditat, verò, inquam, & quidem magna copia: sed " non ex eo genere arborum quales vestræ sunt: Bra- " silium in primis, quod hinc nostri non ad vrendum, " vt tu existimas, sed ad tingendum exportant: sicuti " & vos eo funiculos vestros bombycinos, pennas, " aliáque rerum inficitis. Hîc ille protinus excipiẽs: " Verùm tantáne eius ligni copia vobis opus est? " Enimuero inquam. quum enim (vt hominis ani- " mum admiratione suspenderem) apud nos vel vnus "*

" *mercator plures coccineos pannos, plures cultellos,*
" *& forfices (nota ipsi & familiaria exẽpla subiiciẽs)*
" *plura specula possideat, quàm quanta huc ad vos*
" *vnquã allata sunt: solus ille omne Brasilium coe-*
" *met, quo plures hinc naues onustæ redeunt. Ah!*
" *(inquit Barbarus) mira planè mihi narras. Mox*
" *eorum quæ audierat memor, percontari vltrà per-*
" *rexit: At, inquit, vir ille adeo locuples, quem tu re-*
" *fers, non moritur? Moritur, moritur (inquam) vt &*
" *alij homines. Ibi tum ille (vt isti Barbari commen-*
" *tari amant, & cœptum sermonem nullis interruptũ*
" *diuerticulis, ad finem vsque haud absurdè perte-*
" *xunt) quærere ex me: Ergo, inquit, eorum quæ iste*
" *moriens bona relinquit, quis heres est? Liberi*
" *eius, inquam, si habet: si non habet, fratres, sorores,*
" *aut proximi eius adgnati. Quum hæc dixissem,*
" *Equidem (inquit meus ille haud sanè ineptus se-*
" *nex) facilè hinc animaduerto vos* Mair *(id est*
" *Gallos) esse insigniter fatuos. Nam quid traijcien-*
" *do mari tantopere vos fatigari necesse est, in quo*
" *superando (sicuti nobis quidem huc appulsi dicitis)*
" *tantum malorum exhauritis? Nempe vt liberis ve-*
" *stris, aut superstitibus cognatis, opes quæratis. Tel*
" *lus quæ vos aluit, non illis quoque alendis sufficiet?*
" *Nos quidem, & liberos & propinquos habemus,*
" *eósque, vt tu vides, summa caritate amplectimur:*
" *sed quum confidamus fore vt post mortem nostram*
" *terra quæ nos aluit, eadẽ & illos quoque enutriat,*
" *in eo aequiescimus. Hactenus ille.*

Germani

¶Germani aliquot, Hispanorum exemplis edocti, Indos vexant. Illi iniuriarum pertæsi, quæsita morte intereunt. Valle-tuniensium religio, arma & mores.

CAPVT VI.

VELZARI (id est Velzarorũ, ij Germani mercatores sunt, procuratores seu mancipes) audito tam ingenti lucro oblato, è Valentiola profecti & ipsi, ac terrestri itinere asperrima loca & niuosos San-marthæ montes, ducibus Indis gnaris locorum prætergressi, tandem in Smaragdorum prouinciam perueniunt. Inde excursionibus factis & direptis aliquot gentibus, spoliis onusti in suam prouinciam remeant. Sed Indi vbi se assiduis iniuriis vexari & vndique opprimi à peregrina gente animaduertunt, pertæsi tot laborum & miseriarum, diris exsecrantes & blasphemantes Christianum nomen, vulgò siluas ingressi informem exitum deligebant. Fœminæ pariter ac viri certatim eò confluentes suspendia quærebant, & quibus frangendæ gulæ laquei deerant, vt in gente plerumque nuda, alij alios adiuuantes, deligatis ad ramos arborum comis, iactóque in præceps corpore, acerbissimis lamentis horrendo cum stridore atque vlulatu cœlum ac terras implebant, donec miserrimæ vitæ finem tandem inuenirent.

Sup. huius lib. cap. 5.

Indi vitam fugere, quàm Hispanicam tyrannidẽ perferre malunt.

Barbari etiam clarorum virorum exemplis ad virtutem accenduntur

VALLIS Tuniȩ & finitimorum locorum incolæ Solem vt præcipuum numen, colunt. In bellicis expeditionibus, pro vexillis & signis, clarorum hominum & bellico aliquo facinore illustrium ossa arundinibus alligata circumferunt, quo ceteri ad eorum virtutem imitandam, & pugnam cum hoste alacriter capessendam, accendantur. Arma eorum & tela, lanceæ è ramis palmarum, & enses lapidei. Regulos suos cum aureis monilibus, smaragdis, pane & vino sepeliũt: & in multa eiuscemodi ditissima sepulchra incidére Hispani. Accolæ ingentis illius suprà memorati fluminis Caribes sunt, sicut & San-marthensis oræ indigenæ. Herbarum succo venenato sagittas inficiunt: & ante aduentum Hispanorum capitales cum Bagotta inimicitias & assidua bella exercebant. Strenui sunt, feroces, vltionis cupidi: ad bella Chiappem numen suum, velut victoriæ arbitrum, secum deferebant, eíque priusquam expeditionem inirent, lectas humanas victimas vel ex captiuæ alicuius fœminæ liberis, vel ex hostibus captis, mactãtes, pluribus sacrificiis litabant: totúmque ipsius simulacrum sanguine oblinentes, carnes inter se ipsi epulabantur.

Humanis victimis litare sibi cogit Barbaros Princeps huius mundi.

SI victoriam domum referrent, effusa cum lætitia cantantes, saltantes, & sese ad ebrietatem vsque potu inuitantes, hostium sanguine quos bello captos adducerent, Idolum similiter vngebãt. Victi verò, mœsti & confusi nouis sacrificiis Chiappem placare studebant,

vt

vt deinceps propitius ac volens adesset ipsis & victoriam daret. Multa præterea alia à me de earum gentium moribus referri possent: sed ne fastidium legentibus pariam, ad sequentia propero.

1 SOLEM *vsque adeo venerantur, vt eum contrà intueri non audeant. Lunæ verò etiam, vt Soli, diuinos honores tribuunt. Gomara Hist. gen. lib.2.cap.72.*

2 *Caribes propriè dicebantur quondam, Boriquenæ, Dominicæ, Matitini, Cibucheiræ (hodie S. Crucis) insularũ incolæ: qui canois, id est lintribus monoxylis, vecti, Hispaniolensibus Indis bellũ inferebant. Creduntur Caribes illi insulares originem duxisse è Caribana, Vrabensis sinus orientalis ora, in continenti Indiæ Occid.* Caribes *autẽ homines strenui & fortes, Indico idiomate appellãtur. Vulgò hodie omnes arcu & sagittis infestos Barbaros Indicæ continentis accolas, ita nuncupant.* Caraibes *verò apud Brasilienses, sacerdotes seu vates, dicuntur.*

¶Indiæ continens multis locis desolatur. Indi Hispanicam seruitutem præsidio & difficultate locorum effugiunt. Hispanis ægrè commeatus præbent. Pecuniam aspernantur.

CAP. VII.

IAM, vt ad meam peregrinationem reuertar, quum ad Carthaginem applicuissem: quòd nauis qua vectus eram, multam aquam acciperet, nec

inde ſoluere maturè poſſet, neceſſe me fuit aliam opportunitatem ad traiiciendum exſpectare. Quadrageſimo quarto demũ die myoparonem ad Nomen-dei tendentem conſcendi. Nos oram ſemper præterlegentes primùm in Vrabenſem ſinum, mox in portum Achlæ inuecti ſumus. Oppidum id eſt, tantum à mari remotum quantum balliſtæ telo bis adigi poteſt: ac tum ibi fortè octo erant domus Hiſpanis habitatæ: quamquam initio quum ibi condita colonia eſt, plures viginti erant: ſed vt res eorum ſemper in peius lapſæ ſunt, atque etiãnum labuntur, quòd mutuis cladibus & Indos & ſeipſos attriuerint: maior ferè pars ad meliores ſedes quærẽdas alius aliò dilapſi ſunt. Ac propè idem Antiquæ Darienis & aliis eius oræ coloniis accidit, vnde ab Hiſpanis vulgò demigratum eſt.

Achla, portus & colonia.

Vide ſup. Pag. 91.

OCTO antequam portum illum Achlenſem attingerem, diebus, eò appulerat vna nauis, quę onuſta mulabus San-dominica ad Nomen-dei vela fecerat. Ea quum ad oram continentis applicuiſſet, nec regionem calleret nauis Gubernator, pro certo habens ſe inferiùs ad fines Veraguæ eſſe, ſignum ſoluendi dedit. Quúmque ratus ſe Nomen-dei verſus nauigare Carthaginem tenderet, ad os portus Achlenſis applicuit. Gubernator quum nec quò iret neque vbi eſſet ſciret, & ſuſpenſus animi terram proſpectaret, fortè accidit vt Hiſpanus quidam illac propter litus inambulans, nauímque in portus faucibus ſtantem conſpi-

conſpicatus, aberraſſe eam à curſu regionis ignorantia ſuſpectaret. Itaque confeſtim domum recurrens arreptum mantile haſtæque alligatum è litore ſublimè erigit. Qui in naui erant, ſigno conſpecto, portum intrant mulásque in litus exponunt.

CETERVM mercatores, ſi eas rurſum in nauim imponerent, penuria pabuli & incultu hauddubiè perituras rati, nauem ad Nomendei mittere, & ipſi mulas terreſtri itinere Panamam deducere, inſtituunt. Ergo ſeſe comparant, commeatus prouident quantum ad iter ſufficere videbatur. Interea me rogant vt comitari ſe vellem: diſcedimus præeunte nobis Hiſpano quodam non admodum perito duce itineris, & viginti Æthiopicis mancipiis quæ ex mercatorum familia erãt. Singulis ſecuris in manu aperiendo itineri erat: quippe abſque eo nulla tranſeundi ſpes, quum denſarum arborum rami alius alio implicati & coeuntes vt perpetuam ſepem obiicerent.

IAM XIV. dierum ſpatium emenſi eramus, vixdũ dimidia itineris parte & paulo amplius confecta, neque vlla earum gentiũ veſtigia cõparebant quibus eæ terræ antea frequentibus habitari conſueuerant, quum proſperis rebus vterẽtur. Iámque mercatores, deficiẽte annona, mulam vnam ad veſcendum mactare conſtituerant, quum ecce veſperi ſub occaſum ſolis è vertice montis cuiuſdam, ſumma cum omnium voluptate, ingentem fumum euolui proſpicimus: dux viæ Indici alicuius mapalis id ſignum eſſe monuit: ſibi tamen haud feſtinandum videri: ſed ſecundam noctis

Hiſpani cõmeatus & hoſpitia non reperiũt vbi ipſi ſolitudinem fecere.

vigiliam exſpectandam eſſe, qua Barbari nec opinantes & ſopiti opprimi poſſent. quippe (aiebat, optima ratione quod dixerat confirmans) ſi nos eveſtigio rectà ad illos iter capeſſimus, ſimulac nos cõſpexerint, nihil vlterius cogitantes quàm nos eò veniſſe vt ipſos in ſeruitutem redigamus (vti fieri ſolebat priuſquã ex Hiſpania Edictum Cæſaris de eorum libertate allatum eſſet) fuga ſe proripient in ſiluas: nos verò vnde commeatus inopiam ſubleuemus ad peragendum iter non habebimus. Sic dictum, ſic factum: atque vt tutius lateremus, degreſsi è ſummis iugis vſque ad medium montis, magnam ibi noctis partem ſubſtitimus. Mox egreſsi latebris ad mapalia tendimus. Quatuor erant, & quidem permodica: quæ vt ingreſsi ſumus, & Indi tumultu irruumpentium excitati nos agnouerunt, horribili cum vlulatu vociferari incipiunt, *Guacci Guacci*. Id genus quadrupedis eſt apud eos, quod noctu illic vagari & rapto viuere aſſueuit. Eo nomine Chriſtianos ſcilicet vocant.

Hiſpani Chriſtianum nomẽ in tãtum contemtũ adduxerunt apud Indos, vt feris compararentur.

Nos interea ingreſsi omnes ferè qui in mapalibus erant comprehendimus, & ibidem perpetem eam noctem pernoctauimus. Id verò mihi affirmare licet, numquam me talem planctùm vidiſſe, aut audiiſſe, qualis ea nocte ab illis, maximè à feminis, editus eſt. Quum enim pro certo haberent nos eò veniſſe vt omnes in ſeruitutem abduceremus, deſperabundos caput Mænadum ritu agitantes cerneres, tum inter ſe flebiles voces & queſtus miſcentes: mox capita terræ allidere, ferire

Seruitus etiam barbaris odioſa.

manibus

manibus: dentibus etiam, inſtar ferarum frendentes morſu pannos appetere, ac deſpuere in faciem. Denique, niſi furorem eorum cohibuiſſemus, haud dubiè nonnulli ſibi vim attuliſſent.

TANDEM luce orta & finitis horrendis illis clamoribus, quam commodiſsimè fieri potuit ſpiritus eorum mitigauimus, ſigníſque & nutibus docuimus, non aliam ob cauſam ad eorum mapalia veniſſe, quàm vt alimentis repertis ad alterum mare cum mulis perueniremus, Neque verò etiam in poſterum illis de ſeruitute eſſe metuendum. ſiquidem edicto vetuiſſe Caſtellæ regem, ne vlterius pro mancipiis abducerentur. His aliíſque multis eiuſcemodi à nobis auditis recreati aliquantulum & acquieſcere viſi ſunt, fraudem tamen ſubeſſe aliquã ſemper vtique ſuſpectãtes. Itaque ab illis pane, piſcibus, fructibus & aprugna carne (Apri autem illi Indici, [2] ſeu agreſtes ſues, vmbilicum in dorſo gerunt) donati, viciſsim illos cultellis aliquot, & ſalis paululo, remunerati ſumus: quúmque inſuper illis nummos aliquot, ex eorum ſpecie quos regales vulgò vocant, dare vellemus, noluerunt accipere, dicentes eos ſibi nulli vſui fore.

Indi magno animo pecuniam ſpernunt.

INDE, quum dierum quatuor quiete recreati eſſemus, abeuntes nos Indus vnus vltro comitatus, tamdiu proſequutus eſt, quoad nos in rectam viam ſiſteret. Quum ab eo percontati eſſemus, numquæ Indorum præterea mapalia aut pagi in itinere nobis occurrerent,

Nulli prorſus, reſpondit. quippe Guacci, inquit, partim populationibus, partim cædibus omnia hæc vaſta fecerunt. Hoc edito reſponſo Indus domum ſuam repetit: nos octauo demum die maximis cum laboribus Panamam peruenimus.

1 EANDEM *eſſe hanc feram puto cum ea quam in Noua Hiſpania* Tecoani *appellant, quam tamen illius prouinciæ indigenæ vſque adeò non expaueſcunt, vt noctu ingredientem domos nil auerſati, nihilque timidiùs ad eius conſpectum eloquuti, quàm Tecoani, Tecoani, deligere etiam ex omni familia, quem velit, ad paſtum ſinant, felicémque eum exiſtiment quem illa corripuerit. Opimum autem maximè quemque illa & pinguiſſimum ferè pignerari conſueuit. Id ex Hiſpano quodam olim in Mexicana prouincia epiſcopo, poſtea verò ad veram religionem conuerſo, auditum à præſtantiſſimo viro accepi.*

2 *Idem confirmant, qui in Noua Hiſpania agreſtes ſues videre, Idem de Nicaraguenſibus apris ſcribit Gomara Hiſt. gener. lib.* 5. *cap.* 204. *Neque diſpares Braſilienſes ſunt, quos Barbari* Taiaſſou *vocant, de quibus Lerius Nauig. Braſil. cap.* 10. *agit.*

¶ *Panamenſis & Veneti emporij collatio. Quæ mercaturæ ab Hiſpanis in Indiæ continenti exerceantur. Hiſpanorum cum Italis duellum.*

CAP. VIII.

DICVNT

DICVNT nonnulli eius vrbis, Panamæ videlicet, emporiũ & negotiationes penè tantas esse quantæ sunt inclytæ ciuitatis Venetiarum. Absurdè id adeò, vt ab istis scriptoribus illustrissimam & magnificam ciuitatem Venetiam numquã visam esse existimem: quæ quidem neque opibus, neque imperii maiestate, neque mercatu, neque diuitiis, neque iustitiæ splendore vlla earum ciuitatum quascumque sol ambit, inferior est. Atque hauddubiè decem tantùm mercatores Veneti mercibus omnibus quotcumque toto anno Panamam importantur coemendis, ipsáque adeò solida etiam ciuitate, facilè suffecerint. Porro nequis me id eleuandæ gloriæ Hispanorum dicere ac per inuidiam putet, eius emporii integram descriptionem, simúlque Nominis-dei prodere volo. Sita est hæc ciuitas in " septentrionalis Oceani litore, vulgò mare Tramontanæ nominant.

Panamensis & Veneti emporii impar collatio.

De eo vide sup. pag 104.

PORRO quotannis ferè quatuordecim aut quindecim naues, maiores & minores, ex Hispania ad Nomen-dei commeare solent, quarum maxima mille & octingentarum amphorarum est. Aliæ aliis onustæ mercibus, quales ferè hæ sunt: vinum, farina, panis biscoctus, oleum, panni, sericum, denique aliæ res quascumque tum ad vsum domesticum, tum ad tuendam vitam, ferre solet Hispania. Ac nonnumquam vsuuenit tantam earum copiam eò importari, vt vel maior in ipsa Hispania non reperiatur, Ipse quidẽ vidi nonnullos

Nominis-dei emporium.

qui conuectas eò merces vt oliuas, ficus, vuas passas & alia eiusdemmodi, quum nullum earum pretium reperirent, pro naulo & vectura Magistro nauis relinquerent. Sæpenumero contrà tantam rerum omnium penuriam ibidem esse accidit, quòd naues à commeando metu Gallorum impedirentur, vt omnia contra auro æstimarentur & venderentur, vt vulgò dici solet.

CETERVM appulsis ad Nomen-dei nauibus, Mercatores onera & merces per flumen Chiaram exiguis lintribus mittunt in locum cui Crux nomen est (is xv. millibus Panama abest) ibíque omnia Hispano cuidam consignant, qui rerum aduectarum custodiæ præest, donec à mulionibus Panamam deuehantur. Atque inde aliis nauibus ad [c] alterius illius maris oram stantibus, maior pars merces in Peruanam prouinciam, atque in omnes ingentis illius regni ciuitates Hispanis hodie habitatas, dimittunt. Si verò Panamæ simul & Nominis-dei ciuium & inquilinorum censum agere numerúmque inire libeat, vix, vel vt quum maximè abundarunt multitudine, quatuor millia capitum vnquam habuere. Ex quo Lectoribus facillimè colligere est, an meritò Panama emporij & mercatus amplitudine ditissimæ & illustrissimæ ciuitati Venetię ęquare se possit.

[c] Australis ad cuius litus sita est Panama.

Hispanicæ iactantiæ censura.

SED in iis prouinciis Hispani reperiuntur nonnulli adeo vaniloqui & gloriosi, vt suimet laudandi nullum finem faciant, ij præsertim qui Italiam viderunt. Nonnulli dictitant se

hanc

hanc aut talem arcem expugnasse: se singulari certamine congressos ex hoste victo semper decus tulisse. Alij, solertia sua atque astu ingentem & celebrem ciuitatem captam ac direptam fuisse: Vnum Hispanum quatuor Germanis, tribus Gallis, duobus Italis, contrà valere. Quingenti certè illorum hauddubiè, Venetiæ depictæ capiendæ facillimè suffecerint, perinde vt si ea casale aliquod esset è stipulis aut lignis compactum, vigintiquinque aut triginta fortè casas seu mapalia continens, quales fere sunt maximam partem ciuitates & coloniæ ab illis in India ædificatæ. Præter hæc plerique eorum, ex Hispania transgressi non modò in has Indiæ oras sed & in alias prouincias quascumque sub imperio tenent, vento tumidi iactant se ex stirpe Gotthorum, Gusmannorum, & Manricorum, originem ducere: mox verò vt patuit veritas, deprehenduntur in Hispania aut [1] subulci aut opiliones fuisse.

Hispanis militaris laudis virtutẽ nunquam eripiam. vtinam cetera ad hunc modum.

HIC locus admonet vt Hispani cuiusdam (Montanesio nomẽ erat) insignem historiam referam. Hic quum paulo ante memorabile ad Rauennam commissum prælium, Senis, magnifica Hetruriæ ciuitate, esset, ac fortè in circulum multorum inter se confabulantium, cùm nobilium tum ex plebe hominum, incidisset, magnificè superbéque virtutem efferre Hispanorum, ac ceteros præ illis despicere atque obterere cœpit: inter alias quidem raras eorum dotes, non alios mortalium rotandi ensis peritia ante Hispanos esse. Hæc

verba paulo arrogantius iacta adoleſcens quidam Romanus (Iulianum vocabant) Parionẽſi vrbis regione, in medium progreſſus, excepit, &, ſi libet, inquit, tibi ô Montaneſi, ſingulari certamine & paribus armis mecum congredi, faciam vt cognoſcas nullum externum militem, nec bello meliorem, nec valentiorẽ Italo eſſe. Hoc reſponſum generoſum & modeſtè factum omnes qui aderant, vna voce approbant.

Hiſpanorum cum Italis duellum.

Conuenit inter eos vt ſuccenturiatum ſibi quiſque militem & ſocium legeret, & ad certamen ſolo gladio Hiſpanico & chlamyde vice clypei vterentur. Montaneſius ſocium ſibi adlegit iuuenem quendam Cordubenſem ſibi notum, qui gladiatoriæ artis & tractandi enſis peritiſſimus erat. Romano non defuit Tiracoſcia Caſtellanus, adoptatus ab eo & amicè inuitatus ad participandum Italici nominis decus. Vbi dies dicta aderat, ad præclarum illud ſpectaculum tota propè Hetruria concurrit. Senenſis magiſtratus liberum certamini locum conceſſit, celeberrimum vrbis campum, ei rei aptum, & ad Theatri ſimilitudinem factum. Ibi tantis vtrinque animis concurſum eſt, tantíſque huic vel illi parti fauentium ſtudiis res celebrata, vt publicum decus ita præproperè ac temere in priuatorum manibus collocaſſe propemodum pœniteret. Hiſpani tandem, veterum gladiatorum ritu dimicantes, priores defatigati & victos ſe faſſi ſunt, iam decem & ſeptem ingentibus vulneribus tum in facie, tum aliis corporis

partibus

partibus acceptis, exſangues: quum Italis nouem duntaxat impoſuiſſent. Hæc ludicra pugna non lætis tantùm paſſim vulgi ſermonibus celebrata, ſed & doctè à Poetis decantata eſt, quorum ſemper in Hetruria magna copia eſt.

I FRANCISCVS *Pizarus, qui ditiſſimũ Peruanum regnum ſubegit, & Marchio fuit primùm pro ſpurio expoſitus, ac vix tandem à patre agnitus, ſues puer quondam in Hiſpania pauit. Almagri verò, eius ſocij, natales adeo obſcuri fuere, vt eius adhuc ignoretur pater. An autem hîc Benzo falſò vanitatem ementiendæ ſtirpis & nobilitatis in Hiſpanis reprehendat, teſtari poſſunt, qui in regno Siculo & Neapolitano primùm aduentantes Hiſpanos vidêre, cum calceis, aut ſculponeis è ſparto, reticulato opere conſutis, ſentos, ſqalidos, & planè albis, vt inquit ille, pedibus. Poſtquam enim deguſtatis Italiæ delicijs & veſtitiſerico, repente velut Circæo poculò in alios mutati, ſe ſubulcos aut opiliones fuiſſe obliti ſunt, quæſitis tilulis,* Dom-Diego & Dom-Fernando *vocari ſe iubent.*

***

Panamæ & Nominis-dei Hiſpanicarum coloniarum ſitus, Aethiopes fugitiui, Hiſpanorum negotiationes infeſtant.

CAP. IX.

NVNC vt Panamam, vnde deflexerã, reuertar, ſita eſt ea ciuitas in planicie permodica ad Auſtralis Oceani orã, mari adeo vicina, vt pleniluniis æſtus in domos quæ in eam partem verſæ ſunt facillimè reſtagnet. Eæ ferè partim arundinibus, partim materia conpactæ & propè omnes tegulis conte&æ, quum ibi eſſem centum & viginti numerum non ſuperabant. Cõmodum & tutum portum habet, ſed exiguũ: æſtu affluente, naues portum ingrediuntur: remeante exeunt, leuius tamen onuſtæ, ne videlicet tenuiori aqua deſtitutæ in vadis hæreant. Ceterum ita mare reciprocat, aquis in ſuum fretum recurrentibus, vt duorum amplius milliarium ſpatio paulo antè profundo ſalo merſa æſtuaria reddat detegátque, & crebras tantùm alluuies & ſtagna relinquat. Paulo longiùs naues tutæ in ancoris ſtant, & ſcapharum miniſterio ad merces accipiendas aut exonerandas vtuntur.

Panamæ ſitus.

ILLO autem mari ea ferè Panamam aduehuntur: Maizium, farinæ nonnihil, quod ex Peruanis prouinciis eò deportatur: gallinæ & mel. Vaccarum verò, ſuum, aurantiorum malorum, limonum, braſsicarum, ceparum,

lactuca-

ačtucarum, melonum, aliarúmque hortenſiũ herbarum ibi ſumma copia eſt. Hæc prouincia Panamenſis multis Indicis populis habitari & frequentari quondam ſolebat, eiúſque omnia flumina aureas arenas voluebant: ſed omnia ab Hiſpanis exhauſta & conſumta ſunt.

E Panama ad Nomen-dei vſque terreſtri itinere L. milliarium ſpatium eſt. Primo die iter ſatis facile & commodum reperias: mox verò excipiunt ſiluæ, quæ vſque ad Nomen-dei pertinent. Medio fermè viæ interuallo flumen intercedit, quod propter multiplices mæandros & tortuoſos flexus vix trium horarum ſpatio traiicitur. Hiſpanis verò etiam aliquot euenit vt hiberno tempore deprehenſi in medio eius fluminis alueo, quum repentè fuſo ingentibus procellis imbre excreuiſſet, neque illi locum opportunum quò ſe reciperent haberent, aquis haurirentur. Hiſpanum quendam ipſe cognoui, qui in traiectu illius amnis, quum iam imbre auctus intumeſceret, neque illi quidquam ad traiiciendum ſupereſſet præter vltimum euripum, ſeu brachium fluminis, mulam inequitans & auro monilibúſque quatuor millium ducatorum precii onuſtus, prærapida profluentis celeritate abreptus eſt. Fortè tamẽ quum ad ramum arboris adhæſiſſet, ipſe incolumis ad terram euaſit, rebus omnibus amiſsis, & ſolo thorace veſtitus Nomen-dei venit.

HAEC ciuitas, porrecta ab ortu in occaſum longitudine, ad mare poſita eſt, in vmbi-

lico ingentis ſiluæ: inſalubri & peſtilenti lo-
lo, hieme præſertim, tum ob ingentem calo-
rem & humorem terræ, tum ob paludem qua
ab occidentali parte cingitur. Ergo colono-
rum ibi crebra funera: domus quales Panamę,
quúmque in ea prouincia eſſem, in ea vrbe ha-
bitabant quindecem aut viginti negotiatores
magnarii, qui mercimonia in ſolidum ven-
debant: ceteræ domus & tabernæ propolis,
aromatariis, nauticis, cauponibus aliarúmque
aliquot artium neceſſariarum opificibus, oc-
cupabãtur. Omnes mercatores qui Nomine-
dei domum habent, habent etiam Panamæ,
ibíque tandiu commorantur quoad diuites e-
uaſerint.

Nomen-dei cælo &ſolo graui colonia

IN Septentrionali eius vrbis parte portus
eſt multarum nauium capax. E rebus ex Hi-
ſpania eò tranſlatis peſtilens illud ſolum has
producit: limones videlicet paucos, aurantia
mala, raphanos caudæ muris craſsitudine,
braſsicas, lactucas, ſed eas perexiguas, perpau-
cas, nec admodum bonas. Cetera ex Hiſpanio-
la, è Cuba, Nicaraguæ prouincia, eò impor-
tantur, Maizium nempe, Cazabi panis, caro
ſalita, porci, battatæ radices: è Panama vaccæ,
quum non ferè aliunde carnis recentis illis co
pia ſit. cetera, vti antè dixi, ab Hiſpania ſub-
uehuntur.

Vt Hiſpani ſeruos ſic ſerui Hiſpanos vexant.

NON procul Nomine-dei, ad Orientem,
ſiluas tenẽt aliquot fugitiuorum Æthiopum
populi, 1 qui multos Hiſpanos à Pręfectis pro
uinciæ in ſuam perniciem miſſos trucidarunt
Illi quum ad ripas fluminum, quæ ſiluas illas
interflu-

interfluunt, mapalia Indis habitata fortè repe rissent, cum illis fœdus atque amicitiam pepi gere. Veneno tinctis & ipsi sagittis vtuntur, multíque eorum iter quod Panamam fert obsidentes, quoscũque Hispanos capere possunt, omnes barbarum in morem lacerant & necant. Adhæc quum hyberno tempore propter reflantes ventos, lintres quibus merces per flumen Chiaram deuehi solent, ad [c] Crucis stationem tardiùs sæpe perueniant, mercatores moram pertæsi, terrestri itinere mercimonia aliqua mittunt: vbi si obtigerit (vt sepe fit) agasones in Æthiopas illos fugitiuos incidere, tum illi, mercibus omnibus ereptis, Numidas seruos, qui mulas agunt, intactos abire sinunt, si sese ipsis adiungere noluerint. Hæc in summa negotiatio est, hoc commercium ẽporii Panamæ & Nominis-Dei.

c Sup. pag. 176.

Iam verò quum superius asperrimi & sæuissimi soli Veraguæ prouinciæ descriptionem exequi promiserim, reddi commodè hoc loco puto: ídque vt iudicent Lectores quantum intersit aliqua de re ex ore & iudicio alieno, an propria experientia, disserere.

lib. 1. cap. 21.

1 ÆTHIOPICOS *seruos designat, quos Hispani è Nigritarum prouincia in Indiam deuexere. Ii enim iniquis laboribus & intoleranda Hispanorum sæuitia oppressi, tum in Hispaniola aliísque Insulis, tum in Continenti tumultus aduersus Hispanos mouent. Nonnulli etiam Barbaris iuncti, in totum Hispanicum iugum excussere. Vide suprà huius lib. cap. 1.*

¶Veraguæ asperrimæ prouinciæ descriptio. Did. Gottierez Præfectus eam inire audet. Eius regulos beneficiis demulcet. A militibus famelicis deseritur: alios Nomine-dei arcessi curat.

CAP. X.

ANNO Salutis nostræ M. D. XL. Didacus Gottierez Mantuę Carpetanæ ciuis (Madritium vulgò vocant) à Cæsare Carthaginis nouæ, prouincię ditissimæ, Gubernator dictus, ex Hispania soluit. Appulsus ad Nomen-dei, phaselo per [1] emissarium seu alueum lacus Nicaraguam petit ad delectum militum habendum, quibus stipatus prouinciam suam iniret, Eius oræ Prę fectus erat Rodericus quidam Contreras: ibi propter simultates inter eos exortas Didacus duos circiter annos tempus frustra terit. Tandem interuentu Episcopi reconciliata inter eos amicitia, quum Roderico sermo apud Didacum institutus esset de ipsius Præfectura, monet horribilem illam regionem propter asperrimas siluas & inaccessos mõtes nulla ratione posse subigi: neque equis tantùm imperuiam esse, sed pedites quoque ipsos intolerabili cum labore vix eâ iter facere posse. Omnes porro duces ac præfectos, qui eam intrare ausi essent, partim fame absumtos, partim ab Indis trucidatos [2] omnes ferè Hispanos qui eorum auspicia sequuti essent destituisse. Itaque si eò ire sententia ipsi staret, consulere se vt c. Hispani statiuis ad mare positis ter quatérve in anno per æstatem modò in hanc modò in illam

Veragua asperrima regio.

illam partem populabundi excurrerent, prædásque agerent ex iis populis qui omnes auro abundarent. Se verò fidem suam iureiurando obligare, si in manubiarum partem veniret, ipsi exercituíque eius res omnes ad victum necessarias suppeditaturum, qualis in India institui solet. Ad hæc verba Didacus respondet, Enimuero eam prouinciam à Cæsare non ea lege sibi attributam, vt eam exinaniret latrociniis, sed vt coloniis impleret: quòd si aliis fortuna aduersa fuisset, sperare, Deo fauente, eam sibi fore propitiam: inceptum quidem omittere non esse sui animi, multo verò etiam minus cum quoquam labores participare aut societatem coire velle.

HIS ita constitutis, iter apparat: Maizium, salem, suillas carnes, mel, gallinas, & alia coemit: rebúsque omnibus satis instructus cum sexaginta Hispanis, duabus myoparonibus Granata soluit, & secundo emissarij lacus alueo per quem venerat defluens, breui ad mare peruenit. Inde L. millium spatio oram prætervectus ad orientem, Sucre flumine aduerso subiens, prouinciam suam ingreditur. Sex millia progressus inde à mari, ad eius ripam fluminis mapalia aliquot desolata & semiruta prospiciens in terram egreditur, & vt eius loci ac temporis necessitas ferebat, præsidium & hospitium sibi molitur.

HVC obuiam ei progressi Indorum reguli, ignobilioris notæ aurum quod septingentorum ducatorum pretium æquaret, offerunt. Gubernator eos multa cum comitate & be-

nigno vultu excipit: quúmque neutri alteros intelligerent, variis nutibus significat, se eò venisse vt Salutis animarum iter rationémque ipsos doceret. Mox illos sphærularum precatoriarum ex vitro linea vna seu serto, crotalis, tintinnabulis, & aliis eiuscemodi minutiis, muneratur. Inde sciscitando exsequitur vnde aurum peterent: illi longinquis è regionibus sibi peti respondent, ibíque inter arenas fluminum ex asperrimis montibus decurrentium legi. Hoc edito responso dimissi & ad suos reuersi, subditorum aliquos interdum cum piscibus, fructibus, carne aprugna fumo durata, ad Gubernatorem mittebant.

Hisp. initio à salute animarum facto in aurum desinit.

IPSE multis iam diebus elapsis, quum propter incommodum anni tempus (hiems enim erat) vlterius progredi non posset, & Nicaragua subuecti commeatus iam deficerent, cœpit à Cacicis illis petere, vt se Maizio ad dies paucos iuuare vellent: se enim propediem vlterius progressurum. Illi quamquam nihil vehementius cuperent, quum cogitarent non alia re magis Christianos quàm alimentorum penuria & fame è suis finibus eiici posse: amicitiam tamen Gubernatoris sibi cordi esse simulantes, Maizium, sed quamparcissimè, ei summittebant. At milites quibus suo arbitrio vesci non licebat, tam anxiæ & miseræ vitæ pertæsi, noctu omnes ex composito fugiunt, quúmq; terrestri itinere propter litus ad emissarium lacus Nicaraguensis peruenissent, post biduum phaselos fortè repertos, qui à Nomine-dei veniebant, cōscendunt, & Nicaraguam repetūnt.

Milites Hisp. præfectum deserunt.

GV-

GVBERNATOR desertus à suis militibus, nec quoquam comitatus præterquã vno suo nepote, quatuor famulis & remige vno, cauo in terram facto, defossa ibi vasa salis & mellis plena superaggesta humo obruit. Mox phaselum conscendens ad mare peruenit, Nicaraguam petendi animo: iámque oram soluebat, quum ecce trib. Barientus myoparone vno commeatu virísque onusto inuehitur, qui è Nicaragua in ipsius subsidiũ veniebat. Hoc nouo supplemẽto auctus Gubernator restitit: myoparonem verò Nomen-dei petere iubẽs, ei Alphonsum Pisanum nepotem suum pręficit: cui traditis muneribus quæ à Cacicis acceperat, mandat vt quammaximè multos milites conscribat & adducat.

ILLE, vt ad Nomen-dei peruenit, de eius prouinciæ diuitiis dispersa íllico fama, viginti septem milites conscribit: quúmque per eos dies fortè in ea vrbe essem, eorum vnus esse volui, quamquam ab Hispano quodam iam prouectæ ætatis viro ea de re correptus. Is quum Carthaginẽsem prouinciam, S. Marthã & alia eius oræ loca permẽsus quindecim annorum vsu calleret, monebat ne ad eam expeditionem vllo modo abduci me sinerẽ: neque ipsius adeò Præfecti verbis ac pollicitis persuaderi: quippe illis mẽtiri & fallere nihil pẽsi esse dũ res suas agãt. Sin mihi eundi staret animus, saltẽ in aliud tẽpus differrẽ: interea rebus ipsis patefactũ iri, quorsũ ea incepta euaderẽt. Apud me, qui tũ iuuenis & viuido ingẽtis animi vigore plenus essem, tũ ditescẽdi cupidus,

Salubre & senile consilium

Spes diuitiarũ cęca.

parum fidei atque autoritatis ea verba habuere: itaque proficiſci ſtatui. Abimus, & quarto inde die ad oſtium Sueris fluminis appellimus. Sed quum mare intumeſcens ſubire nos alueum fluuii ſine præſenti periculo non ſineret, retrorſum vela dantes Zorobarenſes inſulas perlegimus, quæ in confiniis Carthaginis nouæ & Veraguæ prouinciæ iacent. Quum verò illa prouincia informis & aſpera ſolo ſit, hæc multo etiam peior eſt. Hæ inſulæ exiguæ ſunt & deſertæ ab Indis incolis, qui in montes ex aduerſo in Continenti ſitos profugerunt.

Ibi propter contrarios ventos (quippe tum menſis erat Iunius, iis locis initium hiemis) ſeptuaginta duos dies morati, toto illo tempore vix quatuor horas Solem conſpeximus: quum aſſidui ferè & maximi imbres, tonitrua, fulgura, aerem adeo pertubarent, vt cælum ac terras miſceri ac ruere crederes. Fulgetri radius in myoparonem delapſus, Æthiopem vnum & duos Hiſpanos exanimauit, ceteri afflati & attoniti reſtitere. Prætor myoparone ad continentis littus applicari iuſſo, tantiſper progredi ſtatuit, quoad in loca Indis culta & habitata perueniſſet, vnde alimenta expediri poſſent. Sed quum totos octo dies per ſiluas, paludes & montes adeo præruptos, vt vel ſolo aſpectu horrorem incuterent, abſumſiſſet, peractum iam ſpatium relegens, terreſtri itinere propter litus ipſum ire inſtituit. Ea via ſummis cum laboribus (quum nullo cibo propè veſceremur, præterquam

quam cochleis, & agrestibus pomis, quibus cercopitheci aluntur, assiduè in illis siluis ex arbore in arborem desultantes) tandem nos ad eum locum tulit vbi erat Gubernator.

VIGESIMO die postquam eò veneramus, myoparo noster portum subit: eum Gubernator illico in Nomen-dei remittit ad plures milites aduehendos: nos interea aliquot dierum quiete corpora refecimus. Inter hæc multas testudines inusitatæ magnitudinis cepimus, quarum ingens copia quatuor mensium spatio per ea litora diffusa est. quippe illæ in terram egressæ in arenis pariunt oua, vt crocodili solent: quæ mox vehementi solis calore maturantur. Nos detracto earum cortice & sublato adipe, quum eo ingentia fictilia vasa implessemus, carnis quoque aliquantulum saliuimus: sed ea breui corrumpebatur: quum recens quidem saluberrima & esui iucundissima esset.

Testudines inusitatæ magnitudinis.

1 NICARAGVENSIS *lacus ab Australi oceano* X. *aut* XII. *tantùm pass. millibus distans, in mare Septentrionale, à quo* C. *leucarũ spatio abest, nauigabili alueo sese exonerat. Quidam ex voce Hispanica* Desaguadero, *quæ Emissarium sonat, fluuium vel solo nomine terribilem,* Xaguatorem, *fecit.*

2 NIQVESA *primus infeliciter eam tentauit, de quo lib.* I. *Philippus Guttierez Madriciẽsis, quum eam prouinciam cum quadringentis amplius militibus inisset, anno* M.D.XXXVI, *omnes partim fame, partim venenatis herbarum succis,*

consumtos amisit. In quibus ægri & semiuiui duo à sociis, fame in rabiem versis, mactati & comesti sunt. Anno M.D.XLVI. *Christophorus Pega à Lod. Columbo Almirante, ad deducendas colonias eôdem missus, nihilo mitiorem exitum habuit. Itaque Hispani eam prouinciam vt infaustam & indomitam reliquére. Gomar. Histor. gen. lib. 2. cap. 56.*

¶ *Did. Gottierez regulos Suerensis prouinciæ primò verbis delinit, mox vinculis onerat, & aurum ab iis extorquere nititur. Cacicus vnus custodia elabitur.*

CAP. XI.

QVo primùm die portum ingressi sumus, Gubernator benignè me mēsę suæ adhibuit: quúmque summa cum voluptate mecum confabularetur, maxima pars ipsius sermonum de auro & argento erat: tum de bellis ac cladibus quibus misera Italia attrita fuerat, ac Mediolanensis ciuitas maximè: sed quum deprehendisset me haud satis libenter hæc audire, ex eo me adeo abhorruit, vt conspectum meum ferre non posset. Ceterum his quæ antè dixi prouisis, Gubernator inde soluens cum omnib. militib. phaselo suo, & quatuor Indicis lintrib. aduerso flumine subuectus, circiter xxx. millia procul à portu, breui in Sueri fluminis fines progressus est. Hospitium ei præbuit casa, quam

eius prouinciæ Regulus amœnitati dicauerat, quum piscatum ad illud flumen ventitaret. Hæc casa oui figuram referens, longitudine in XL. passus patebat, circumplexa arundinib. & palmarũ foliis contecta, quæ singulari opere nodis in semetipsos implicatis intexta erãt. Erant & alia ibi mapalia, verùm haud sanè à vilioribus vulgatísque abhorrentia. Gubernator hunc locum Ciuitatẽ S. Francisci nominat, quòd eo die fortè illò appulisset.

Mox ei obuiam venere Sueræ & Chiuppę Cacicus, aliique minores reguli, & fructus tantùm nonnullos ei obtulerunt. Ipse comiter eos excipit, multum tamen demiratus quòd nihil auri attulissent: ac per interpretem Hispanum, qui cum Indis aliquamdiu versatus erat, & eorum linguam mediocriter didicerat, significat se eò venisse vt rem summæ ipsis consolationi futuram aperiret. Porro quum prandij hora adesset, eósque vesci secum vellet, mensæ adhibentur cum sacerdote & interprete. Sed quum ibi nihil appositum esset præter gallinas & suillam salitam, neque Indorum regulis is cibus satis gratus esset, parcè admodum comederunt: ac plerique eorum cibaria, vt adposita erant, seruis suis humi recubantibus porrigentes aspernari: quæ mox & ipsi per ludibrium obiicebant canibus.

Peracto conuiuio, Gubernator sermonem de fidei rebus iniiciens, in hunc ferè modum exorsus est: In has terras vestras, fratres & amici mihi carissimi, veni, vt "

Egregia verba, nisi Auaritia, omnia fœdaret, quę & ipsa Idololatria est.

Idololatriam expellerem, qua ad hoc vsque tempus blandis dæmonum illecebris vincti ac constricti fuistis. Deinde vt verum & ad salutem animarum vestrarum ferens iter perspicuè vobis exponerem. Nempe Iesum Christum Dei Filium descendisse è cælis in terras vt genus humanum redimeret. Neque aliam ob causam equidem sacerdos hic mecum vsq; ab Hispania profectus est, nisi vt vos Christianæ religionis rudimentis imbueret. Quamobrem vt Diuinæ legis obsequium, & Caroli Quinti Cæsaris, Hispaniæ regis ac totius orbis Monarchæ, imperium subeatis, animos & studia parate. Indici Reguli hac oratione audita, ne verbum quidem respondere, sed demittere caput, quasi ad omnia tacitè se assentiri annuerent. Ita è mensa consurgentes, domos quisque suas repetunt.

SEQVENTI die Gubernator Hispanum vnum duobus stipatum Indis mittit ad duos Cacicos, qui in aduersa fluminis ripa manebant, vt illico fide ipsius freti, sine vlla formidine ad se venirent. Vt illi, quanquam ægrè, venerant, Gubernator in cellam penariam intromissos, catena quemque propria onerat: mox in cubiculum deductos ad lectum suum properè alligari iubet: vbi humo substratis foliis cubile, ligneo trunco puluini vsum præbente, vt ipsis mos est, somnum caperent. Hi duo Cacici, illi ipsi erant, qui quo tempore primùm Gubernator prouinciam inierat, septingentos ducatos aureos ipsi obtulerant, vti superiùs diximus. Inde ab illis sciscitando exsequitur

Hoc scilicet erat Indos conuertere.

exſequitur, vbi eſſent ea ſalis & mellis vaſa quæ ad mare deſcendens defoſſa reliquerat. Quippe quum miſiſſet qui quæreret, vacuum locum repererat. Illi ſe neſcire reſpondent, neque iis certè indigere quibus ipſi abundarent. Sed Gubernator hoc reſponſo nequaquam acquieſcere, immo vtrique minari malum, ni prorſus ipſi ſatisfacerent. Itaque iunior (Camachiren vocabant) ei amplius duo millia ducatorum, nempe auri maſſas, quamquam ignobilioris notæ, in formam ſuum, tigrium, piſcium, auium, & aliorum animalium elaboratas dedit.

Avaritia inexplebilis.

GVBERNATOR paruam auri copiam cernens præ ea quam ſpe ac cupiditate præceperat, ingentem ignem accendi iubet, adductóque in conſpectum ſolo Camachire, grandem ciſtam ante pedes poni. Mox illi ſeuerè interminatus, ni quatuor intra dies tantum auri adferret, quantum ſexies implendæ ciſtæ ſufficeret, fore vt igni cremaretur: à miſero illo regulo, oblato præſentis mortis metu, promiſſum extorquet. Is ergo quum id ſe facturum recepiſſet, ſeruos ſuos ad comparandum pretium dimittit. Ceterum per omnem Indiam indigenis bis térve in die ablui aqua mos eſt: quem morem quum quotidie ſeruaret Regulus captiuus, fortè accidit vt Gubernatoris famulus, cui deducendi illius ad flumen lotum cura incumbebat, domum reductum non ſatis fideli cuſtodia includeret. itaque noctu quæ eum diem ſequuta eſt euadit. Hinc Gubernator doloris vehementia ægri-

tudinem contrahit:& quoties ciſtam illam videbat dicere conſueuerat, vice auri,quod ſperarat, ſtercore implendam & percacandam eſſe.

ALII Cacici Sueræ & Chiuppæ, quum captiuos ſocios ita malè accipi à Gubernatore intelligunt,mapalibus ignem iniiciunt, frugiferas arbores fruticeſque cædunt, fruges & grana è campis in tuta loca deferunt,& vaſtatis agris vt hoſti ſolitudinem facerent,in montes perfugiunt.

Auaritia ne malis quidem minuitur.

IN hoc rerum ſtatu,Gubernator,etſi morbo aliquantum impediretur,nihil tamen propterea intermittere quominus alterum Cacicum, qui adhuc in vinculis ſupererat, flagitando vrgeret, dictitans ſe ab illo certam auri ſummam expectare. Sed quamuis illum diu multúmque omnibus machinis oppugnaſſet, minaretúrque ſæpenumero ſe occiſurum, ni ab eo aurum acciperet, cacicus tamen quum ſibi aurum non eſſe affirmaſſet, in eo ad extremum vſque conſtanter perſeuerauit.Tandem Gubernator ira incenſus, niſi aurum adferri ſibi maturè procuraret, raptari ſe illum & canibus obiici iuſſurum, apertè denunciat. Ad hæc Cacicus intrepidè,Mirari ſe, ait, Gubernatorem adeo vaniloquum & mendacem: quando toties cædem ipſi minatus, re ipſa nondum patraſſet. Sibi quidem mori optabilius eſſe,quàm ita in vinculis anxiam vitam trahere. Se fidei eius credentem, vltro in poteſtatem eius veniſſe, quum ab eo comiter ſe acceptum iri, nihil verò minus quàm ita fœdè cruciari,

Ingenuæ & magna nimę liber tatis in Barbaro exempiũ.

cruciari, speraret. Ad vltimum addidit, se non posse imaginari quod genus hominum Christiani isti essent, qui tot ac tam nefanda scelera per omnia quæcumque adiissent loca ederent. mirari se, quomodo tellus adeo patienter tam immanes beluas alere & ferre sustineret. His verbis Gubernator perculsus, & ab ingenti iracundia defixus in silentium, nihil respondit nisi, Iure captum illum à se custodia attineri, vt, sublato sale & melle, furti compertum.

Did. Gotierez, rebus parum ex voto fluentibus, paulatim contabescit. A Barbaris interficitur. Indis equitatus formidabilis.

CAP. XII.

INTER has rerum vices Gubernator sex Indos scapham ad mare miserat ad quendam suum clientem, vt ab eo ballistas, clypeos, aliásque sarcinas acceptas aduehereṅt. Illi rebus omnibus acceptis & scaphæ impositis, cursum auertunt, neque postea aut visi, aut de iis nuntius vllus ad Gubernatorem allatus est. Ipse scapha amissa, Cacicis fuga ereptis myoparone non remeante, quum etiam penuria commeatus maior pars militum fugam spectaret, anxius mœrore & tristitia contabescebat. Postremò quum nihil iam

Indi toties ab Hispanis decepti eos aliquādo fallunt.

melioris ſpei aut remedii ſupereſſet, velut amens & conſilii inops in mediterranea progredi ſtatuit. Itaque quum militibus iter pronunciari iuſſiſſet, & quidquid frugum ſupererat, quod exiguum erat, inter omnes diuiſiſſet, infirmos & ægros ad mare dimiſit, ac cum iis vnum ex domeſticis ſuis, qui Alphonſum Piſanum moneret, vt ſimulac ad portum myoparone applicuiſſet, ipſum ſequi maturaret. Se verò, vt ille præeuntem veſtigiis con ſectari poſſet, crucibus per interualla diſpoſitis itinera ſignaturum.

Iam verò omnibus ad expeditionem accinctis, Cacicus vbi intellexit ſe cum aliis ſuis Indis & impedimentorum parte à Gubernatore abduci onuſtum ludibrio atque oſtentui: tantum ex ea re mœrorem animo accepit, vt puerilem in modum crebros gemitus & planctus ederet. Tandem à Gubernatore precium pro libertate paciſcens, ſi ſolueretur, intra quatriduum magnam auri copiam pollicetur. Gubernator ei libenter vincula exemiſſet, niſi à familiaribus quibuſdam prohibitus eſſet: quum illi dicerent eum ab Indo deludi & pollicitationibus vanis lactari. ac ſi quatuor præterea dies diſceſſum differret cõmeatus ad iter defore. Semper illi fore ſui redimendi copiam, in præſentia verò præſtare expeditos milites, hac ipſa nocte ad diripiendum eius populum mittere, quàm promiſſorum eius fidem opperiri. quippe ita & alimenta exercitui prouiſurum, & Indica

mancipia

mancipia ministeriis apta capturum. Id consilium Gubernatori displicuit, metuenti videlicet ne Hispani, siquos mitteret, eo deserto aufugerent.

ERGO iter ingredimur, víxque è tabernaculis egressi eramus quum præsagiens ego, quid nobis tandem fieret, Hispanum quendam his verbis affatus sum: Nos ad laniениam proficiscimur. Ille verò mihi respondens: Tu, inquit, vnus eorum es, qui volebamus isti vel inuito Principatum vnum acquirere. Quum quinque aut sex dierum iter emensi per siluas & montes essemus, nullo humani cultus vestigio nec tugurio reperto: atque inter ceteros montem vnum superassemus xv. millia pass. admodum in altitudinem, in descensu abruptum, adeo iniquis & arrectis saxis, vt virgulta & radices arborum circà eminentes sæpe retinere necesse esset, ne fallente instabili gradu in præceps deuoluеremur: tandem ad ingentem amnem peruenimus, & ad eius ripam casas aliquot desertas inuenimus, quas venatoribus hospitium præbere consueuisse, repertis intus ossibus & capitibus ceruorum, tigrium aliorúmque animalium, cōiecimus. Ibi Gubernator biduum moratus, ac reperta magna copia eorum fructuum quos vulgò Mamei vocant, & propter exiguum flumen multis eiuscemodi radicibus quales sunt in Hispaniola eæ, ex quibus conficitur secundarius ille panis quem Cazabi vocant: optimi tamen illis saporis & quæ sub prunis incoctæ stomachum non læderent

De hoc fructu suprà pag. 125.

his,inquam alimentis repertis ſtrenuè famam expulimus.

VLTERIVS progreſsi, poſt triduum in biuium incidimus: quúmque Gubernator in eo viarum diuortio hæreret· vtram eligeret du bius,Indum vnum ex iis quos ſecum captiuos ducebat interrogat, Vtra certius rectiúſque ad aliquem Indorum pagum ferret. Is quum ſe neſcire reſpondiſſet, Gubernator eum ab Æthiopicis ſuis mancipiis abſtrahi ad capitale ſupplicium iubet.Illi eum,vt erat imperatum, iugulant, dicendo, Malos homines hunc in modum tractari. Quum idem à Cacico percontatus eſſet, dixiſſétque & ille ſe neſcire: ab Æthiopibus corripi hominem, & alterius exemplo interfici iubet. Ille vbi eos tendere ad ſe videt, depoſito quod ferebat onere, caput mirabili cum tolerantia ad mortem inclinat. Barbari hominis conſtantia victus Gubernator, pœnam ei ſe remittere & vitam concedere,dixit.

Indi,in tormẽtis mori quàm ſuos prodere malunt.

E o loco tres Hiſpani fame adeo debilitati vt ſtare non poſſent, relicti: poſtea ab Indis trucidati ſunt. Sub eius diei veſperam Gubernator animaduerſo nobis nihil ad veſcendum ſupereſſe, quum eorum alimentorum quæ ipſe reliqua haberet, nihil cuiquam impertiri vellet, canes mactari & inter omnes diuidi iubet. Ego tamen partem meam paulo pòſt alteri dedi, quòd ex illis carnibus vermes efferueſcerent. Inde Gubernatorem adii, ſperans fore vt aliquid ab eo obtinerem: ſed

ſed ille me ad radices arborum delegans, iis me veſci iuſſit. Itaque Hiſpanus quidam eo reſponſo cum aliis audito, Domine Gubernator, inquit, quando proſperæ & aduerſæ fortunæ ſortem nobiſcum ſubire non vis, ſolus bellum gerito. His verbis Gubernator, ſimul Tribunorum precibus, permotus, etſi malè libenter, caſei trilibrem quadram in triginta quatuor partes diſſectam inter omnes diſtribuit: ita veſperam illam vtcunque tranſegimus.

Hiſp. militis libera vox.

EADEM illa nocte Gubernator coquo ſuo mandauerat vt fruſtum vnum ſuillę carnis coqueret: qúmque excubiarum agendarũ circa gallicinium meæ vices eſſent, illac fortè præteriens, ad ignem accedo. vbi quum dormientes omnes & ſopitos offendiſſem, arreptum confeſtim lignum cultello exacuo, demerſúmque in ollam veruculum illud ligneum in ſuillam defigo: extraho, & in peram meam recondo. Mox ad ſtationem meam & vigilias reuertor, multo lætior quàm ſi in ingentem aliquem theſaurum incidiſſem. Gubernator vt reſciuit, quamquam admodum iratus, nihil tamen grauius eloquutus eſt quàm, Scilicet id tempus eſſe ollæ ſine cuſtodia relinquendæ: ego verò valedicens radicibus arborum, ſuillam comedi, etſi paulo ſalſior eſſet.

Fames ſagax.

BIDVO inde quum ad ſyluam quandam perueniſſemus, in ipſo ingreſſu Indum repente conſpicimus ponè arborem ſtantem.

Speculator is erat, qui ſimul vt nos animaduertit, mirabili pedum pernicitate ceruum æquans, ad prouinciæ regulum aduentum noſtrum ſignificatum abiit. Itaque ſequentis diei ſummo mane Indorum agmen repente in nos ingruit. Fortè Gubernator illa hora naturæ requiſitis parens, ab ea parte erat quà hoſtes aduenere: itaque primus ab illis interfectus eſt. Illi facto vlterius gradu, horrendis cum clamoribus, ſimul terribili ſtrepitu buccinis & tympanis excitato, omnes purpureo & nigro diſtincti corpora, penníſque coruſcantibus inſignes, & monilibus ac torquibus colla circumdati (qui mos bella ineuntibus Indis eſt) tumultuoſè in nos erumpunt.

Hiſp. Indos vexãtium præmia.

EGO quum enſem & clypeum arripere vellem, ad galeam cuiuſdam commilitonis mei offendi, quam ſub foliis latentem ille accipere non meminerat: eam caſu ita repertam capiti meo impono: atque eius quidem præſidio, per Dei gratiam, illius prælij diſcrimini ereptus ſum. Quum enim nos Indi lapidum nimbo obruerent, eam galeam crebris ictibus adeo ſignarunt, vt fabrili malleo contuſam diceres. Quum vtrinque ſemiquadrantis horæ ſpatio æquo ferè marte pugnatum eſſet, tandem multis interfectis Indis, ceteri terga vertére. Sed quum recentes alij ſubſidio feſſis venirent, nouus de integro labos nobis obiici: & noſtrûm magna pars inedia magis quàm prælij labore confecti, furentiúmque hoſtium tantæ multitudini impares, breui ſaxis ſudibúſque mactati,

Indorum de Hiſpanis victoria.

mactati, & palmeis contis in vtrumque latus transuerberati sunt. Ipse quum Tribuni nostri læteri hærens, eum saxo percussum extra siluam & moribundum ad terram collabentem vidissem, iam solus post arborem delitui. Ibi quum recenti clade confusus & consilij planè inops starem, duo Hispani cruore oppleti ad me veniunt, &, Quid hîc facis Mediolane, aiunt: quando nostri omnes occubuerunt, quin iter quâ venimus retexentes vitæ nostræ consulimus? Progredior ipse & alij, ac per medium vigintiquinque amplius Indorum agmẽ erumpimus. Omnes ij reguli aut primores erant, quibus lancea tãtùm in manu erat, amictus nodo ex humeris dependens: corpora, vt ceteris, nullis coloribus picta. Eorum vnus telum mihi in guttur adigit: sed irrito ictu ob thoracem bombyce suffultum quo indutus eram. Tandem euadimus, nec procul inde in vertice montis sacerdotem nostrum reperimus, qui eò cũ duobus militibus sub initium pugnæ aufugerat.

DVABVS inde pòst horis Alphonsum Pisanum trib. mil. obuium habemus, qui cum vigintiquatuor Hispanis Gubernatorem vestigiis persequebatur. Inter hæc amplius centum Indi necopinantibus nobis superueniunt, gladiis, clypeis & ballistis, quas nostris eripuerant, armati: circumfusíque saltando ac tripudiando ex iis nõnulli Hispanica lingua clamabant, Accipe aurum, Christiane, accipe aurum. Vbi tamen nos haud spernendo numero esse viderunt, terga vertêre.

Indi Hispanis auaritiam exprobrant.

Nos inde intolerandis cum laboribus & periculis vix tandem ad mare erepſimus: duo illi Hiſpani, qui mecum prælio exceſſerant, quum propter vulnera viæ laborem ferre non poſſent, feſſi ad radices montis cuiuſdam ſubſtitere. Venere poſtea duo adoleſcentes, qui in iis ſiluis, vbi prælium commiſſum fuerat, tamdiu delituerant, donec Indi abiiſſent. Egreſſi referebant ſe rei præſentis intuitu comperiſſe, Indos caput, pedes & manus Gubernatoris truncatas, ſimúlque duorum Æthiopum, extuliſſe, ceteros ſpoliatos nudatóſque in præterlabens illac fluentum abieciſſe: atque omnes manubias & ſpolia legiſſe præter ſaponem & oleum. E noſtris XXXIIII. Hiſpani & duo Æthiopes cecidere, ſex tantùm ſuperfuimus: ex hoſtib. multò plures cæſi ſunt. Quatuor fermè millia Indorum erant in acie, quãtum æſtimari potuit: ignaui tamen illi & timidi adeo, vt ſi quatuor tantùm equos habuiſſemus, numquam nos illi aggredi auſi eſſent. Indi enim ferociſſimum illud animal vehementius formidant, quàm omnia Hiſpanorum arma: neque illud occultum habent, imò palam dicunt non Chriſtianorum virtute, nõ armis, tormentis, haſtis, gladiis aut balliſtis, ſe victos & ſubactos eſſe, ſed equorum ferocia & furore perterritos. Idque adeo experientia ipſa & præſens rerum effectus docet. Quæcumque enim loca pedeſtres adiere Hiſpani, quò equi penetrare non potuerunt, in iis ſemper ab Indis victi ſunt. In Mexico quidẽ, quũ primùm ea prouincia ab Hiſpanis tentata eſt, hominẽ

Hiſp. de Indis victorię, equis magis quàm ipſis debentur.

equo inſidentem vnicum & indiſcretum animal eſſe Indi vulgò credebant.

I INDIS *Occid. vſque adeo formidabiles ſunt equi, vt & moloſſi, quum videlicet metuant ne ab illis vorentur, vt mille eorum pedites à tribus equitibus in fugam vertantur. Relat. Nun. Guſmã. sect. 7.* *Vide ſup. lib. 1. cap. 24.* *Itaque multo poſt occupatam à Ferdinando Corteſio Mexicanam prouinciam, Barbari quum prætereuntes illac Hiſpanos equites honorificè exciperent, tum maximam curandis eorum equis diligentiã ſtudiúmque, adhibebant. Primùm enim, ingenti hydria plena aquæ equo adpoſita, non vulgari pabulo ſed Maizio cũ viridi tum ſicco implebant præſepe: mox equili multa herba cõſtrato, roſas deſuper & alios flores ſpargebant: ídque non tam beneuolentia quàm metu, quem iam inde ab initio conceperant, quum à Corteſio domiti iugum accipere coacti fuerant: cuius rei ipſi præcipuam cauſam equis magis quàm Hiſpanis tribuerent.*

¶*Hiſpani quo conſilio expeditiones in Indiam ſuſceperint. Ferdi. Sotti & Pamph. Naruaez infauſtæ expeditiones. Ferdi. Corteſii in Mexicanos ſæuitia & perfidia.*

CAP. XIII.

IAM ex iis quę diximus colligere poſſunt Lectores quo animo conſilióve Indicas eas gẽtes ſubactas Hiſp. ſub imperium egerint. Etſi enim ferè in Hiſtoriis quas edidere, virtutes ſuas laudibus in cælũ ferãt ſcribántq; ſe aſsiduè in illis terris pro Chriſtiana fide pugnaſſe: res tamen ipſa perſpicuè

demonſtrat eos, in illis maximè prouinciis, ſola auaritia incenſos tot expeditiones & bella ſuſcepiſſe. Id verum eſſe argumento eſt Præfectorum & Gubernatorum, qui eò traiecerunt, varietas. Vbicumque enim aurum & opes non inuenere, ibi morari noluerunt. Eius rei exempla aliquot afferam.

Ant. Sedegni expeditio infauſta.

PRIMVM Antonius Sedegnus ſinum Parienſem inuectus cum amplius ſeptingentis Hiſpanis, & auri famam ſequutus, poſtquam diuerſas prouincias per triennium peruagatus, diuitias pro ſpe ac cupiditate ſua non reperit, ibi habitare noluit. Ad extremum aduerſa valetudine correptus, breui deſperatione magis quàm morbo extinctus eſt: & ex tanto militum numero quos ſecum circumduxerat quinquaginta quinque tantùm ad ſinum regreſsi ſunt.

Ferd. Sotti in Floridam expeditio.

FERDINANDVS Sottus cum quingentis Hiſpanis in Floridam cum imperio & Gubernatoris titulo miſſus eſt. Hæc prouincia à Ioanne Pontio Legionenſi primùm inuenta erat: eóque nomine ab eo inſignita, quòd eò Reſurrectionis die appuliſſet, quem vulgò Paſcha floridum appellant. At Sottus ſimul vt prouinciam attigit, per varia loca diſcurrere, & incertis vagari ſedibus, quum pro certo haberet ſe ingentes gazas & theſauros reperturum. Ita oberranti quum aliquot Indi aureis fortè bullis redimiti occurriſſent, ſciſcitatúſque eſſet vnde aurum ſumerent: reſponderunt illi ſe ex longinquis regionibus petere. Ille ratus eos ita dicere vt eum finibus

ſuis

ſuis arcerent, iam ſatis gnaros quid Chriſtiani per eas oras quæſitum irent: cruciare aliquos cœpit, & tormentis fateri ſubigere vbinam aurariæ eſſent. Inter alia ſæuitiæ exempla ab eo edita hoc vnum inſigne eſt. Quindecim Cacicos captos iam in poteſtate habebat: niſi locum vnde aurum ſumerent, indicarent, minatur ſe omnes crematurum: miſeri illi metu mortis oblato conſternati, ſecuri de facilitate credentis: nec quid dicerent ſatis ſcientes, promittunt ſe intra octiduum in eum locum deducturos vnde aurum magna copia ſumeret. Iam duodecim dierum iter peregerant, nec vllum auri veſtigium aut indicium exſtabat. Itaque eluſus Gubernator & multùm indignatus, truncatos manibus dimittit.

Auaritiæ crudelis exemplũ.

HAVD ita multo pòſt quum vnus ex principibus eius prouinciæ regulis ad Gubernatorem viſendum veniſſet, munera ei Pſittacos duos & criſtas pennatas afferens, ſciſcitatus ex eo eſt, quis eſſet, vnde domo, quídve quærens veniſſet in eas terras, tot ac tam fœda facinora perpetrans. Gubernator per interpretem reſpondet, id quod ferè alii omnes duces & Præfecti, Se Chriſtianum eſſe, Filium Dei, creatoris cæli & terræ: veniſſe eò vt diuinæ ipſius legis notitia eas gentes imbueret. Ad hæc regulus: Si Deus tuus (inquit) iubet vt alienas terras latrocinando, vrendo, trucidando, nec vllum ſceleris genus prætermittendo, perambules, tibi maturè denunciamus, fieri non poſſe vt vel ei vel ipſius legi credamus. Hoc reſponſo repercuſſus Gubernator abiit, & modò in hanc modò in eam partem errans,

Indi à Chriſt. religione ob Hiſpanorum ſcelera abhorrent.

ſpe ditiſsimæ alicuius fodinæ reperiendæ o-
miſſa condendæ coloniæ cura, quinto demum
anno ſanguinis profluuio periit. Ita miſer vi-
tam pariter & auri ſitim amiſit, & quidquid
è regia Attabalipæ Peruani principis gaza ma-
nubiarum collegerat.

Auaritiæ merces.

[2] PAMPHILVS Naruaez cum ſexcentis
Hiſpanis ad fluuium Palmarum tendens (qui
in eadem Floridæ ora, centum millibus paſſ.
ſeptẽtrionalior Panuco eſt) cum dimidia par-
te exercitus in litus ignotum egreſſus: poſt-
quã aliò ſe appulſum, periti alicuius naucleri
penuria, quàm quò ſperabat, intellexit, neque
ibi vllũ auri ſpecimen inuenit: Coloniã inſti-
tuere neglexit. Interea quũ ad veſtigandũ flu-
uium Palmarum naues & alterã militũ partẽ
miſiſſet, ingenti infortunio ictus eſt. Naues
tẽpeſtate ad prominentia litorũ eliſæ: Hiſpa-
ni propè omnes, hauſti fluctibus: pauci ali-
quot eiecti in litus, aliquot annos per eas
oras latitabundi oberrarunt. Ad extremum [3]
duodecim ex iis fame in rabiem verſi, alii a-
lios morſu dilacerarunt. Denique è ſexcen-
tis illis Hiſpanis quos duxerat, vix decem re-
duces annotati ſunt. Iſti quum Mexicum per-
ueniſſent, publicè dicebant ſe in ægrorum
tantùm ora inſufflantes, plurimos ſanaſſe, &,
quod maius, [4] tres mortuos reuocaſſe ad vi-
tam. Sed mihi, quæſo, ignoſcat eorum ſancti-
tas; ego facilius crediderim necatos ab illis
quatuor viuos quàm vel dimidium mortuum
ſuſcitatum.

Pamph. Naruaez expeditio ad Fl. Palmarum.

Hiſp. mortuos à ſe in India ſuſcitatos venditant

IAM quid dicemus de Ferdinando Corte-
ſio? qui quum nouam Hiſpaniam ſubigeret,

vbi mexicum regis ipsius Montezumę sponte ac voluntate ingressus est: atque inde frangendis Pamphili Naruaez conatibus obuiã ire necesse haberet (qui cum nongentis Hispanis ad Veræ-crucis coloniam appulerat: Didaci Velasquis Cubæ insulæ præfecti missu & mandato, vt eum opprimeret vel expelleret è prouincia, quòd Velasqui rerum à se ipsius auspiciis gestarum & nuper inuentæ oræ rationem non reddidisset, vt legatum par erat à summo Præfecto ad eam ipsam rem suscipiendam missum) quum, inquam, ipsum Cortesium Pamphilo aduentanti occurrere oporteret, Mexico egrediens Petro Aluarado trib. mil. cum ducentis & quinquaginta Hispanis præsidium ciuitatis & collectarum manubiarum custodiam committit.

Fer. Cortesij perfidia in suos, sæuitia in Barbaros.

QVVM fortè incidisset, vt plures Indi & plebeiis permisti nobiles, festo quodam ipsis die, canẽtes carmina cum tripudiis & sollenni saltatu per vrbem irent, accurrunt ad pompæ celebris spectaculum Hispani. Ibi simulac auro & variis monilibus fulgentes ciues conspicati sunt, victi effræni auaritia milites, victus & ipse Aluaradus, pudore omni pessundato, hostili rabie in pompam irruũt & turbam inermem promiscuè cædentes, multis vulneratis, multis interfectis, omnes omnibus illis ornamentis spoliant. Sed mox ab Indis tam indigno facinore ad rebellionem & vltionẽ accẽsis, maxima pars eorum Hispanorũ cęsa est.

Impudentis & effrenis auaritiæ exẽplum.

HIC parũ lætus nuncius ad Cortesiũ allatus, eũ, debellato Pamphilo, Mexicũ properè

reuerti coegit: vnde breui, non ſine maxima Hiſpanorum clade, ab Indis eiectus eſt. Illi poſtquam Montezumam regem ipſi ſuum, qui Corteſii partes fouebat, lapide grauiter ictum interfeciſſent, regẽ alium nomine Qualtimoc creant. Corteſius poſtea multis exhauſtis laboribus, multíſque ſubactis populis, nouo Hiſpanorum ſubſidio auctus, & ingens Indorum agmen ſecum trahens, Mexicum obſidione cingit, & tertio demum menſe vrbe potitur. Eminebat inter cetera, ſumma militum alacritas, pro certo habentium ſe ingentibus theſauris diutinam auri famem abũdè expleturos. Sed hiantes eorum cupiditates Barbari cluſere. Illi enim omne aurum argentúmque ex publico priuatóque collatum, deſperata vrbis tutela, in lacum, in quo vrbs ſita eſt, proiecerant. Itaque Hiſpani ſpe irrita confuſi & frendentes, pleroſque ciuium, ira in rabiem verſa, torquere crudeliter incipiunt, ſubinde quærentes vbinam aurum eſſet. Sed illos, non verbera, non ignes (quamquam multi inter dolores exſpirarent, aut diſſolutis membris mutilarentur) peruicére quin conſtanter ſe ſcire negarent.

Auaritia Hiſp. ab Indis eluſa.

CORTESIVS ipſe, nihil auri argentíve ac ceterarum rerum quas vrbe excedens reliquerat, comparére vehementer miratus: nec ipſam adeò regiam Montezumæ gazam, quã ingentem eſſe fama tulerat, nec quæ ad ornatum templorum & cultum deorum dicata fulſerant: poſtquam ea vbi eſſent, nulla vi exprimi à plebeiis nobilibúſve indigenarũ poſſe comperit

comperit: Regem ipſum & Regium ſcribam corripi ratúſque impares dolori aliquid de theſauris certiùs faſſuros tormentis ſubiici iubet. Sed illi quoque tortorum manus conſtantia fatigauere, nec quidquam ab iis extorqueri potuit: donec ipſe Scriba, quum lēto igni amburcretur, Chriſtianorum ſęuitiam increpans, miſerabili cum gemitu ſex intra horas vitam inter cruciatus finiret.

Indi conſtanter mori malunt quàm Hiſ. auaritiam explere.

CORTESIVS quum regē quoque ipſum obſtinato animo & ſuperante patientia dolores mortem potius oppetiturum quàm quidquam proditurum cerneret, tormēnta remoueri iuſſit. Verùm haud ita multo pòſt, quum catenis onuſtum per varias prouincias aliquādiu velut ad ſpectaculum circumduxiſſet ei laqueo gulam frangi iuſſit. Proditum fama eſt indicio Indi cuiuſdam atque accuſatum, clam ſollicitaſſe regulos quoſdam vt manu facta Corteſium & Hiſpanos omnes necopinantes trucidarent. Tradunt alij Corteſium vt ſe eius cuſtodiendi ſollicitudine liberaret, iuſſiſſe interimi: quúmque is apud Corteſium tanti criminis argueretur, ille reum læſæ regiæ maieſtatis videri eum dixit & iudicauit, quòd ſuos ad cædem ipſius atque Hiſpanorum clanculum conciuiſſet. De tormentis verò ſic apud eum excuſauit, id nimirum à ſe præter morem ac naturam ſuam, Quæſtorum regiorum poſtulatu, factum, quòd intellexiſſet ei cognitum eſſe vbi Montezumæ gaza aſſeruaretur. Et Quæſtor ipſe regius qui aderat, adiecit, Id non à ſe alio conſilio factum quàm vt regia vecti-

Perfidia Corteſii ſæuitia & ludibriis cumulata.

galia augeret.

IAM, vtrum hæc quæ nunc edidi & innumera eiusmodi alia quæ à me proferri possunt sint hominum pro fide Christiana pugnantiũ officia & facinora, an non, nemo adeo hebes est quin facillimè iudicet?

1 FLORIDAM *primus inuenit Ioannes Pontius Legionensis, eámque hoc nomine insignem fecit. De cuius expeditione vide infr. in nostro De Gallorum in Floridam nauigatione libello, cap. 1.*

2 *Pamph. Naruaez, is est quem Didacus Velasquez, Cubæ præfectus, cum nongentis circiter Hispanis in nouam Hispaniam misit, vt inde Cortesium vel viuum vel mortuum expelleret. Anno* M. D. X X. *Sed is vt prouinciam attigit, fallacibus verbis à Cortesio circumuentus, & præter spem in Cempoala vrbe captus: dum resisteret ac se manu defenderet, alterum oculum, & mox exercitum, amisit. Diu in custodia habitus, ac tandem liberatus, anno* M. D. XXVII. *ad Fluuij palmarum prouinciam expeditionem instituit, infelici exitu.*

3 *Fortè in ea ora adeo fœda tempestas & intoleranda vis frigoris inciderat, vt Indi quibus Hispani ad radices eruendas & piscandum vtebãtur cibaria expedire non possent. Itaque Hispani fame ad tantas angustias redigi, vt quinque eorum in Xamo eius ore litore, consumtis omnibus alimentis alij alios manderent. Neque ex ijs vllus, præter vnum superfuit, quum non haberet à quo manderetur. Digni visi scriptoribus quorum nomina proderentur: Sierra, Didacus Lopez, Gonzallus Ruiz, Corral & Palacios: quamquam, vt tam horren-*

horrendum nefas premat Gomara, ſuo more, ab ipſis Indis comeſtos ſcripſerit. Eo quidem adeò conturbatos offensóſque ipſos Barbaros fuiſſe conſtat, vt ſi id maturè cognouiſſent, quotquot ibi erant Hiſpanorum cæde tam execrabile facinus expiaturi fuerint. Relat. Aluar. Nun.

4 *Id ſcribit de ſeipſo Aluarus Nunez in ſua Relatione: Indum videlicet quendam, quem multis ſignis verè mortuum eſſe conſtaret, ab ſe & ſocijs ſuſcitatum. Penes autorem fides eſto.*

5 Didacus *Velaſquez, Cubæ Gubernator, Ferdinandum Corteſium ad nouam Hiſpaniam, à Griſalua nepote ſuo nuper repertam, occupandam miſerat. Corteſius, iam continentis parte ſubacta, muneris ſibi commiſſi Velaſqui rationem reddere neglexit: ſed rectà ad Cæſarem Relationem ſeu Commentarium prouinciæ repertæ & rerum ab ſe geſtarum cum multis & precioſis muneribus miſit. Id vbi renunciatum Velaſqui, Corteſio, perduellionis damnato, magiſtratum abrogat & Naruaen ad eum prouincia expellendum mittit.*

O.ij.

¶Oua Crocodilorum edulia. Iguannæ lacertarum genus. Manati pisces. Surenſium mores. Animal gemino vtero inſigne. Veſpertilionum dirum genus.

CAP. XIIII.

CARTHAGINEM nouã redeo, vnde in hæc oratio diuerterat. Poſtquam ad mare, eo quo ſuprà dixi modo, peruenimus, ibi nos aliquot dies aduerſa tempeſtas & tumidum mare detinuit. Sed dum ibi moramur, parua res ſed iucunda auditu, mihi cum milite quodam interceſsit. Ille canem fortè ad mare relictum, quum Gubernatorem in mediterranea progredientem ſequeremur, inedia ſubactus mactauerat: quúmque eius partem igni torruiſſet, me ad prandium inuitauit, quòd ipſi de quadra caſei (quam ab Alphonſo Piſano trib. mil. emeram) deſectam particulam liberaliter paulo antè elargitus eram. Sed quum accubuiſſem eóque cibo ita iucundè veſcerer, vt nihil vmquam ſuauius ediſſe viderer in vita, ille repentè quæ ante me poſita erant tollere & dicere, Frater mi, tu nimiùm comedis: ego vetulus ſum & infirmus, tu iuuenis & ætate integra. Abi hinc, ſodes: oh nolo te meo cane vlterius veſci. Hîc ego, quamquam non ſatis æquo animo, patienter tamen demiſsis auriculis abii.

Fames pudore caret.

TRANQVILLATO tandẽ mari, ſoluimus & ad emiſſarium Nicaraguenſis lacus vela fecimus

mus, ibi Lusitanũ quendã assequuturi (Franci
sco Calato nomen erat) quem Gubernator
noster, ob acceptos ab eo mutuò ter mille &
quingentos ducatos aureos, legatum suum &
Proprætorem designauerat. Sed per contra-
rios ventos, qui ad Nomen-dei nauiganti-
bus afflabant, ibi vltra bimestre spatium sum-
mis omnium rerum angustiis & fama obsessi
substitimus: ac nisi oua Crocodilorum nobis
summa copia suppeditassent, quæ ad ea litora
in arenis reperiebamus, certè maxima pars no
strûm inedia miserè contabuisset. Ea oua, an-
serum ouis magnitudine paria, si saxis alli-
dantur cõtunduntur quidem, nec tamen fran-
guntur. Itaque cultello ea recludi necesse est.
Sapor eorum qualis muschi semiputridi, &
principiò quum ab eorum esu abhorrerem,
necessitas & penuria me ad aliorum exemplũ
imitandum adegit.

Oua Crocodilorũ.

ANIMALIVM præterea genus quoddam
quadrupes venabamur.[1] *Iguannas* vocant, la-
certulis nostris forma haud absimiles: quibus
palea quędam è mento velut barba dependet,
vertice etiam capitis crista, instar gallinaceæ,
insigni: in dorso eminentes pinnas quasdam,
velut spinas, subrigunt. Feminæ masculis præ
stant: oua earum carnium saporem vincunt: &
ancipiti victu non magis terræ quàm aquæ
assueuerunt.

Iguanna, serpens.

IN Nicaraguensis lacus alueo multi &
grandes pisces sunt: in iis vnum eorum genus
qui ab Hispaniolæ indigenis vulgò [2] *Manati*
appellantur. Neque enim dicere possim quo

Manatî pisces

nomine eum notent eius quondam loci accolæ Indi. omnes enim propter nefandas iniurias quas ab Hiſpanis perpetiebantur, in vicinas ſiluas ſe abdiderunt. Hic piſcis Lutræ propè formam referens, XXXV. pedes longus. XII. craſſus eſt: capite & cauda bouem referens: exiguis oculis, pelle dura & piloſa, coloris veneti, pedes duos elephantinis ſimiles habet: feminæ eius generis, vt vaccæ, catulos pariunt, eóſque gemino vbere alunt. Eorum piſcium aliquot ipſe vidi in perexiguis quibuſdam inſulis, tum etiam in carectis ingentis huius fluuii: in vrbe verò Nominis-dei ſępe eorum carnibus vſus ſum, ſalitis videlicet: earum ſapor vt ſuillæ eſt. Scribunt nonnulli carnẽ eius piſcis guſtu vitulinę quamſimillimã eſſe, vnde è duobus alterum exiſtere neceſſe eſſe colligo, nempe aut Hiſpanum iſtum eam carnẽ tam auidè appetiiſſe vt multò ſuauior quàm eſſe videretur: aut certè vitulinam numquam deguſtaſſe.

Gomara Hiſt. nat. lib. I. cap. 31.

Suerenſitũ mores.

QVOD ad mores Suerenſium Indorum attinet, à ſupradictis parum differunt, niſi quòd humana carne non veſcuntur: eorum lingua diſcentibus facilis: Terrã *Iſcha*: homines *Cici*: morbum *Staſa*: aurum *Chiaruchla*, vocant. In ea prouincia aprorum montanorũ, & ferociſſimorum tigrium ingens copia reperitur: leones etiam, ſed timidi, qui viſo homine fugiũt. Serpẽtibus quoque abũdat inuſitatę magnitudinis, ſed veneno carentibus: & cercopithecis.

Caſcuii animal.

Aliud quoque ibi eſt animal (quod ab indigenis, *Caſcuy* dicitur) nigri porci ſpecie, piloſum, duriſsimo corio, exiguis oculis, auribus

bus patulis, vngulis fiſſis, breui promuſcide munitum, vt elephas: barritu adeo terribili, vt homines obſurdefaciat: ceterum carne ad eſum ſuaui.

PRODIGIOSVM præterea ibi aliud[3] animal viuit, cuius ventri natura alterum ventrem marſupii inſtar affinxit. quoties demigrat, catulos in eum loculum recondit & geſtat. Id animal corpus & roſtrum vulpis: manus ac pedes cercopitheci: aures veſpertilionis habet. Ibi etiam pauones, phaſiani, perdices & alia auium genera varia viſuntur, ſed lõgè à noſtris diſcrepantia.

Animal gemino vtero inſigne.

VESPERTILIONVM quoque dirum genus eam prouinciam infeſtat, qui noctu dormientium corpora morſu appetunt & roſtro pertundunt: neque vſquam alibi per omnem eam oram quàm longè patet vſque ad ſinum Parienſem, infeſtiores ſunt eæ volucres quàm in ea prouincia. Mihi quidem aliquibus eius orę locis, Nomine-dei pręſertim vſuuenit, vt eiuſcemodi ſtriges nocturnę dormientis pedum digitos adeo leniter pungerent vt nihil perſentiſcerem: manè verò culcitram & toralia ſãguine fœdata perinde mirarer vt ſi ingẽs aliquod vulnus accepiſſem: ſed in hac prouincia numquam me roſtris foderunt, quin ſenſu vulneris excitarer, & duabus tribúſue pòſt horis grauiter ex plaga dolerem. Quinetiam alis ſæpe ora euerberantes, ſi pedibus calceatis quieſcerẽ, manus ipſas roſtro feriebant. Itaq; quũ arcẽdę illi peſti nullã cõmodio rẽ opẽ reperirẽ parata ſẽper in cubili ligãmẽta

Veſpertiliones diri

& fascias vulneribus habebam: & simulac rostrum defigi in me senseram, vulneratum locum fascia inuoluebam: is nullo præterea adhibito remedio, triduo aut quatriduo sanabatur. Atque hæc hactenus de Didaci Gottieris gubernatione.

1 IGVANNA *seu Iuanna, commune terræ & aquis animal, non tantum immergit se fluuiis, sed etiam in arbores erepit. Horribile visu, iis qui eius naturam non norunt: sed adeo mite ac tacitum, vt nec stridens, nec ingemiscens, nec vinctum strepitum vllum aut clamorem edens, decem imò viginti dies, sine vllo cibo permaneat. Carne gustu & esu suauissima, ac propterea in deliciis: nisi quòd qui lue Indica laborarunt, si ea vescantur, recrudescentes & rebellantes pristini morbi dolores sentiunt. Serrata ei in dorso pinna inest: cauda prælonga, in tenuitatem desinens, & implicans se viperinis orbibus. Oua quadragena aut quinquagena singulis fœtibus edit, rotunda & nucis crassitudine, luteo albóque intus varia, qualia sunt gallinarum, eáque edulia: sed quæ in sartagine non oleo aut butyro, verùm sola infusa aqua vice olei, frigantur. Lacerti speciem habet hoc animal: itaque serpentibus annumeratur, sed innoxiis. Ouiedus Histor. natur. Indic. libro tertiodecimo, capite tertio.*

2 *Manati piscis, ab Hispanis, sic in Hispaniola nuncupatus, quòd pinnas ad caput & veluti binas manus habet. Animal id gemino in terris & aquis victu, & amicum hominis, vt tali experimento patuit. Caramataxius Cacicus paruulum*

vnum quondam captum XXVI. *annos in Guainabo lacu suis ædibus vicino, velut in viuario, panis fragmentis aluit. His allectus piscis adeo cicur euasit, vt Delphinas veterum scriptis celebratos vinceret. Nam quocumque diei tempore inclamatus ab reguli domesticis*, Matto, Matto, *(ea vox Indis magnificum aut generosum sonat) velut ad familiare signum ex imo aduolabat, pastúsque è manu præbebat ascensuro dorsum: adeò vt egressus in ripam pastum in ædes vētitaret, & cum pueris colluderet. Siqui fortè animi gratia lacum transmittere vellēt, decem nonnunquam dorso exceptos indefessus trāsuehebat. Et ludicro diu oblectati sunt Indi: donec iniuria fugatus, per aliquot dies hominum conspectu caruit. Quum enim Hispanus quidam, experiri volens an corio tam duro esset quàm vulgò fama ferret, seu per lasciuiam, iaculum in eum intorsit. Piscis etsi ab ictu imperfossus mansit, infestam tamen sensit cuspidem: & ex eo simulac barbatos homines aut vestitos more nostro animaduerterat, frustra vocasses: nec vocatus, nec inuocatus veniebat. Tandem quum fortè Attibunicus fluuius in insolitam altitudinem creuisset, & extra ripas effusus Guainabo lacui sese immiscuisset, eius alueum sequutus facetus ille & sociabilis Matto mare & natales aquas repetiit. Martyr Ocean. dec. 3. lib. 8.*

3 *De vtroque hoc animali agit Petr. Mart. Ocean. decad. 1. lib. 9. & 2. lib. 9.*

¶*Franc. Fernandis & Franc. Montegij in Iucatanam expeditiones. Iucatanensium de Hispanorum dominatu querelæ. Fōdurensis prouinciæ desolatio, & indigenarum implacabile aduersus Hispanos odium.*

CAP. XV.

NOS è Nicaraguēsis lacus alueo egressi, duabus præterea comitati celocibus, quæ è Nicaragua onustæ commeatu decurrebant, decimoquinto die ad Nomen-dei appulimus. Ex ea ciuitate in occidētem nauigantibus & eam oram prætergentibus, quæ tota deserta est, mille fermè milliarium spacio, prouincia Fondurensis occurrit: & trecentis millibus vlterius, in eadem illa ipsa ora, Iucatana prouincia apperitur. Eam Hispanorum ducum primus reperit Franciscus Fernandez Cordubensis, qui vixdum in terram egressus, pessimè ab indigenis acceptus est. Ergo vigintiduob. vulneribus perfossus, & multis Hispanis amissis, ad Sā-Iacobū Cubę metropolin spe irrita reuersus est.

Fr. Montegij in Iucatanā expeditio.

NON ita multo pòst, anno videlicet M. D. XXVII. Franciscus Montegius, audito Iucatanam ditissimam & quæstuosissimam esse prouinciam, è noua Hispania soluit, cum titulo Gubernatoris. Is vbi primum suæ prouinciæ litus attigit, cum quingentis amplius Hispanis, multis equis & copioso commeatu: conuenere eò velut ad eum visendum aliquot Reguli. Illi quum amicitiam ipsius appetere simula-

ſimularent, diu apud eum manſerunt: donec occaſione exſequẽdi facinoris oblata, eorum vnus dereptum è latere armigeri Æthiopis acinacem in Gubernatorem ſtrinxit. Interfeciſſétque ni ille rapto properè ferro ſtrenuè vim propuliſſet. illi nullo alio neque accepto neque illato damno ad ſuos ſeſe proripiunt. Ab eo Gubernator inſtructa ſuorũ acie, pluréſq; in manus diſperſa, Indos pluribus ſimul locis aggredi: & quæcũque caperet igni ferróq; vaſtare. Indi quoque & ipſi fortiter pro focis pugnabant. Sed ad extremum, poſtquam continuis nouem annorum cladibus attriti, iam propè omnes regulos & duces amiſerant, fractæque cum animis vires erant, tandem arbitro & poteſtati Hiſpanorum ſemet permittunt. Itaque Montegius prouinciam perdomitam & pacatã, iuxta mandata regia, inter ſuos diſtribuit, & vnicuique eorum quorum ope Indos debellauerat, Indicæ vnius gentis ius ac ditionem aſsignat. Inde ad condendas colonias conuerſus, Hiſpalim, Emeritam, Salmanticam & alias vrbes, exſtruit, quarum maxima vigintiquinque aut triginta fermè domibus habitatur.

His ita compoſitis, partim ſua, partim militum opera, Gubernator quum fortè cum Cacico eius prouinciæ quodam congreſſus (is Alquinotepis erat cẽtũ amplius ac decem annos vitæ egreſſus, qui tametſi baptiſatus eſſet, ſæpe tamen crebris ſuſpiriis & planctu teſtabatur quantũ ex eo dolorem caperet quòd patriam Hiſpanorũ armis ſubactam cerneret)

Is ergo in familiari ſermone cum Gubernato
" re inſtituto: Montegi, inquit, quondam, me
" iuuene, peſtifera quædam lues has terras inua-
ſit adeo ſæua vt vulgò homines incredibilem
vim lumbricorum euomerent. atque eam ca-
lamitatem tanta peſtilentia excepit, vt nèmi-
nem noſtrûm cladi ſuperfuturum credere-
mus. Præterea non multo ante aduentum
tuum tempore, nos cum Mexicanis cruenta
duo prælia commiſimus, quibus amplius CL.
millia hominum cecidere. Sed hæc leuia
fuerunt præ intolerandis ſæuitiæ & auaritiæ
exemplis, quæ tu ac tui milites in nos edi-
diſtis.

Hiſpanorum dominatio Indis quauis alia calamitate grauior.

EA regio aſpera & ferè ſaxoſa eſt, fertilis
tamen, & piſcibus, fructibus Maizióque abun
dans. Humanis victimis litant, earum tamen
carnibus non veſcuntur: apud eos nullæ auri
aut argenti fodinæ repertæ ſunt: vulgò magna
apum examina alunt: bombycis ſeu goſſipii
copiam habent: eo penulas ſindonum aut lin-
teorum inſtar texunt, & ſubuculas ſine mani-
cis. Id præcipuum vectigal patronis & princi-
pibus ſuis pendunt: eiúſque generis merces
Hiſpani in Mexicum, Cubam inſulam, Fon-
durenſem prouinciam, aliáſque Indiæ regio-
nes diſtrahendas diſpertiunt.

PORRO prouincia Fondurenſis (vt pau-
cis eam abſoluam) quum primùm Hiſpano-
rum armis tentata eſt, quadringentis amplius
Indorum millibus habitabatur: quum verò
ibi ego eſſem vix octo mille ſupererant. Nam
ab Hiſpanis partim cæſi in præliis, partim in
ſerui-

Hiſpan. abſumtis, aut exactis incolis terras inanes in India obtinent.

ſeruitutem abducti & venditi, & intolerandis laboribus in fodinis exhauriendis conſumti, & propè in ſolitudinem redacti ſunt. Pauci quoque illi qui hodie ſuperſunt (vt & ab aliis gentibus quæ Hiſpanis ſeruiunt ferè fit) vbicumque locum aliquem aſperum, ad habitandum vtcumque commodum, inuenerunt, tametſi ægre, eò trãſlatis rebus ſuis omnes commigrauere, vt Hiſpanorum declinato conſpectu quamminimum ipſis oculi doleant: tantam illi earum gentium gratiam & beneuolentiam ſibi conciliarunt.

IN ea prouincia quinque coloniæ ab Hiſpanis conditæ ſunt, quæ omnes ſimul vix centum & viginti domus continent, eáſque maximam partem compactas arundinibus, ſtorea & palea contectas, maléque & infrequenter habitatas, iam videlicet propè exinanitis aurifodinis, quæ colonos allicerent. Caput earum Trugilium ſeu Turris-Iulia eſt, epiſcopatus ſedes, colli modico impoſita, vicina mari quâ Septentrionem ſpectat. Centum millibus inferiùs Portus eſt, quem vulgò Porto de Caualli appellant. Ab eo portu diei vnius itinere abeſt San-Petri ciuitas in plano ſita, montibus vicino, nec procul inde flumen Vllua, & lacus, in cuius medio tumuli quidam terrei, inſularum inſtar, herbis & virgultis conſiti, ſpirantium ventorũ arbitrio modò huc modò illuc vagi & inſtabiles feruntur.

OCTOGINTA millia paſſ. vlterius Comaiagá & Gratia-dei occurrunt, duæ coloniæ à ſe inuicem amplius centum mill. interuallo

diſcretæ. Is ager frigore aliquantum temperatus, frumenti mediocriter ferax eſt. Inde pulcherrima & amœniſſima, ſed iam deſolata, vallis Olanchiana ſequitur: in qua Hiſpani San-iacobũ vrbem condiderũt. ea viginti circiter domus eáſq; male habitatas cõplectitur.

HIC vt legentium animis cogitandum ſubiiciam, quàm æquis oculis eæ gentes nos intueantur, hîc rem quæ mihi cum Indis quibuſdam interuenit, lubens referã. Comaiagua fortè comite vno Hiſpano egreſſus, ad modò dictam ciuitatẽ tendebam: iámque quatridui iter cõfeceramus, nullo humanæ habitationis aut cultus reperto veſtigio: quum conſumtis cibariis omnibus quæ ferebamus, ad exiguum quendam Indorum pagum peruenimus. Ibi quamamiciſſimè fieri poteſt eos rogamus vt cõmeatu aliquo nos iuuarent: ſed neque precibus, neque gratia, neque pecunia ab illis impetrari potuit, vt hoſpitaliter quidquã nobis facerẽt aut darent: ſed diras imprecãtes nobis, quum etiam velut conſpectum noſtrum abominati in terram deſpuerent, vt abiremus denunciabant. Ita excepti, diſceſſimus, & eadem die ſub veſperam in vrbem peruenimus. Vbi quum nullum diuerſorium eſſet, in ipſius coloniæ ingreſſu caſam deſertam nacti eò ſuccedimus, & incœnati ſubſtratis pro cubili arundinibus ad capeſſendam quietem vertimur.

Indi Chriſtianos vt inteſtabiles, abominantur.

MOS habebatur in illis regionibus (quo tempore Hiſpani pro arbitrio, vel potius ſine arbitrio & ratione, viuerent, priuſquam Indis ſua reddita Edicto eſſet libertas) Hiſpanos co-

lonos

lonos triumphantes atque exultantes gaudio quum videlicet perpetuam eam temporum ac rerum felicitatem ſibi deſponderent, obuiam vltro egreſſos viatorum aduẽtum opperiri: ſimúlque vt peregrinum aliquem aduentãtem proſpexerant, concurrere omnes ad eum certatim, & de eo excipiendo pugnare. Nemo erat quin eum comiter ſalutatum, ſexcentis beneuolentiæ ſignis editis, in domum ſuam deducere & hoſpitio accipere cuperet. Nunc verò, longè alia rerũ & hominum facies, quoniam non is eſt Indiæ ſtatus qui eſſe conſueuerat. Vbi aliquem peregrè venientem conſpexerint, abdunt ſe in propinquas ſiluas: aut certè iubent dici, Se domi non eſſe.

Hiſp. primò de alieno liberales, mores cum fortuna mutãt.

ENIMVERO Hiſpanos quidem etiam reperias, non tantùm in ea vrbe, ſed & in pleriſque aliis, qui quamquam clientes & vaſſallos ſibi habeant ſubiectos, ad eas tamen anguſtias redacti ſunt vt vix vel panem ad veſcendum habeant. Quum enim Indi nullum vectigal pendant patronis & ſenioribus ſuis, niſi ex earum rerum genere quas poſſident: ſiquis fortè Hiſpanus populum ſuum cogere vellet, vt aliud aliquid præter ea pendat, aut ſubditos duriter haberet, ilico à Gubernatoribus, ſubditis illis ſuis & omni in eos iure priuaretur.

1 IDEM *ſcribit Gomara Hiſtor. gen. lib.1. cap.54. niſi quòd pro Alquinotep Alquimpechum vocat, & quidem eius pagi Antiſtitem, in quem poſtea ab Hiſpanis Emerita colonia deducta eſt. Porro peſtiferam eam luem, octoginta ante aduentum Hiſpanorum annis, per eas terras in homines*

grassatam, tanta vi exundantibus lumbricis vt viscera ventrémque ad exitum rumperent. Bella autem hæc quadraginta antè annis accidisse: atque ob id maximè leues illis eas calamitates visas præ Hispanorum imperio, quòd eos è suis finibus aliquando excessuros minimè sperarent.

¶ Indus quidam mores Hispanorum depingit. Cur Hispanicum iugum Indi acceperint. Nicaraguensis prouinciæ descriptio. Eius incolarum potus. Saltandi ratio, Mons flammiuomus.

CAP. XVI.

EGRESSIS è prouincia Fondurensi, & ea via peragratis Chiuluteccæ fodinis, subit prouincia Nicaraguæ, ad Australis Oceani oram versa. Eam regionem quum primum peregrinabundus obii, apud vnum è primoribus eius oræ regulis in hospitio fui. Gõzallus is vocabatur, annos iam septuaginta natus, & Hispanicam linguam apprimè callens. Is matutino quodam, quum ipsi fortè assiderem, defixis in meum os oculis, his me verbis affatus est: CHRISTIANE, quidnã rei sunt Christiani? Flagitãt Maizium, mel, bombycem, penulam, Indicam mulierem ad concubitum: aurum, argentũ petunt. Christiani operari nolunt, ludificatores sunt, aleatores, praui & blasphemi. Quum ad Missam audiendam templũ ineunt, de absentibus detrahunt: & alii aliis plagas & vulnera

Indorum de Hispanis sententia.

vulnera imponunt. Ad extremum eò euasit, vt concluderet Christianos minimè esse bonos. Quúmque excepissem, malos, non autem bonos, ea facere: tum ille, Vbinam sunt illi boni? inquit. quippe ipse quidem nondum vllos, nisi malos, cognoui.

Indi ex Hisp. malis exemplis, de omnib. Christianis iudicant.

TANDEM finito ea de re sermone, sciscitari cœpi ex eo quomodo & quamobrẽ Christianos in suos fines ingredi passi essent. is mihi in hanc sententiam respondit: VIR bone (inquit) de eo sic habeto: Quum sparsa de Christianorum sæuitia, per has prouincias fama, qui quæcunque adissent loca cædibus, incendiis & latrociniis infesta facerent, ad nos quoque peruenisset, & eos in fines nostros irrumpere velle audiuissemus: conuocato omnium amicorum nostrorum & sociorum concilio, sociatísque consiliis omnes vna voce decreuimus, potius mortem strenuè pugnando oppetere, quàm pati nos à Christianis sub iugum mitti. Eo constituto, hastas, lapides, sagittas & quęcumque alia possumus, cõparamus. Quúmque iam Christiani finium nostrorum limites pulsarent, vltro illis armati obuiam imus, & bonam diei partem fortiter pugnamus. Ad extremum tamen plerique nostrûm impetu equorum perterriti, in fugam vertuntur. Itaque legatos duos ad Christianorum ducem mittimus veniam & pacem orãtes: neque id tamen alio consilio, nisi vt instaurandis viribus quies & otium suppeteret. Ille nos in amicitiã accipit: nostrum inde cõplures, dissimulato vero animo, cũ cantu & tripudiis, pro

„ iure amicitiæ Christianis familiariter assuescere, inuisere, & multa auri aliarúmque rerum munera illis ferre incipimus. Inde, iis ita inescatis, domos nostras regressi, intra triduum manu facta in Christianos de improuiso irruimus. Sed breui, vt primò, nostri terga vertere.

„ ITA deintegro, eadem mente & consilio quo prius, pacem denuò petimus. Qua impetrata, gentium omnium nostrarum indicto conuentu, communi consilio decernimus, Prius occumbendum esse omnibus quàm vt Christianos dominos acciperemus: eiúsque sine vlla veniæ aut gratiæ spe caput morti deuouemus, qui ex acie fugeret. In huius consilij effectum rursum arma & tela aduersus Christianos comparamus & acuimus. Verùm coniuges nostræ, hoc nostro proposito audito, lachrymis perfusæ ad nos veniunt, supplicésque rogāt vt Christianis seruire mallemus, quàm ita fœdè occumbere. Sin nobis sententia staret, consilia nostra in rem vertere, vt ipsas primùm cum paruulis suis liberis interficeremus, ne orbatæ viris in barbatorum istorum & crudelium hominum potestatem inciderent. Hæ vxorum nostrarum mixtæ lachrymis preces fregere omnium animos. Itaque victi vltrò arma ponimus, & rapacissimis Christianorum manibus nos nostráque permittimus.

Cur Indi Hispanicū iugū subierint.

„ MOX tamen propter iniurias & indigna exempla quæ in nos quotidie edebant, aliquot populi in eos rebellionem moliri ausi sunt: sed

"sed tam graues eius pœnas Christiani ab ipsis
"expetiuerunt, vt ne infantium quidem ætati
"parcerent. Neque eo contenti, alios etiam,
quamquam insontes, captiuos factos, prætexentes nimirum illos quoque aduersus se re-
"bellionem cœptare, cruciabant & pro man-
"cipiis sub hasta vendebant. Nos per ea tem-
"pora neque coniugũ nostrarum, neque libe-
"rorum, neque vllius rei nostrę domini ac pos-
"sessores eramus. Itaque multi rerum tædio,
"filios ipsi necare, alii laqueis semet suffocare,
"alii abstinentia cibi vltro vitam fugere. Do-
"nec Edictum à rege Castellæ factum, quo nos
"in libertatem restituti sumus, tot ac tam in-
"tolerandis miseriis ærumnísque finem tan-
"dem imponeret. Hîc Cacicus ille institu-
"tum sermonem clausit.

Hisp. acerbus in Indos dominatus.

NICARAGVAE regio non ita ampla, sed fertilis & amœna est: ceterũ intolerabili æstu adeo flagrans, vt æstate, feruido & sabuloso exurente vestigia solo, nemo nisi noctu iter facere possit. Sex ibi continui menses pluuii, à Maio pluuiarum initio facto: reliqui sex menses planè sicci sunt, diésque æquales noctibus. Mellis, ceræ, [1] balsami, gossipii, satis ferax tellus, & suorum fructuum: in quibus pomi quoddam genus ei regioni peculiare est, neque Hispaniolæ, neque vlli alteri Indiæ parti concessum. Pyri nostri specie fermè est: ligno interiore rotundo, nucis crassitudine, & dimidio amplius: optimi & iucũdissimi saporis. Arbor ei⁹ generis procera, exiguis foliis

Nicarág. prouinciæ dotes.

veſtitur. Paucæ vaccæ & ſuum copia eſt, ex iis quæ ex Hiſpania propagandæ ſtirpi trāſuectæ ſunt. Multi ibi Indorum pagi ſed exigui, caſas arundineas ſtipula opertas, modicæ amplitudinis habēt. Nullius illic metalli fodinæ ſunt: quamquam ſub primum aduentum Hiſpanorum indigenæ auro, ſed eo ignobilioris notæ & aliis è prouinciis allato, abundarent. Incredibilis ibi multitudo Pſittacorum, ſeminibus infeſta: ac ni Priapeia quædam terricula quæ Indi ex arundinibus fabricātur, & excuſſi fundis lapides abſterrerent eas aues, multo plus detrimenti adferrent.

Pſittaci ſatis infeſti.

HISPANI quum primùm eam prouinciam ſubegerūt, propter vberrimam omnium rerum ibi repertam copiam, eam Paradiſum Mahumetis nuncuparunt. Duo inter cetera fert hæc tellus, nulli præterea Indiæ regioni conceſſa, exceptis Guattimalæ, Fondurenſis prouinciæ & Mexici finibus totóque Nouæ Hiſpaniæ tractu. Vnum, Pauonum quoddam genus eſt, qui in Europam tranſlati, vulgò Gallinæ Indicæ vocantur. Alterum, id quod *Cacauate* vulgò vocant, quòd monetæ vſum illis præbet. Id fert arbor modicæ magnitudinis, nec niſi calido loco & opaco viuit. Simulac ſole tactum eſt, contabeſcit. itaque ferè in ſiluis vmbroſo & humido loco ſeritur: neque id ſatis, ſed iuxta eius generis arborem, aliam editiorem plantant: quæ ſimulac adoleſcere cœpit, eius cacumen ita concinnāt aptántque vt adulta ea arbor Cacauatam inumbret defendátque ita ab æſtu vt ſolis radiis lædi non poſsit.

Cacauate fructus, moneta Nicaraguenſium.

posſit. Fructus amygdalorũ ſpeciem referens, ſiliquis quibuſdã, velut cucurbitis, includitur, craſſitudine & latitudine cucumeris: annuo ſpatio matureſcit. Maturas eas vbi legêre, excuſſum folliculis fructum ſuper ſtoreis expaſſum ad Solem exponunt, donec humorem exſudauerit.

Potio Nicaraguenſium.

POTVM ex eo confecturi, in teſta fictili ad focum exſiccant: mox lapidibus quibus pinſitur panis cõtuſum & cõmolitum, fuſúmque in pateras (quæ cucurbitæ ſpecie è certis arboribus per omnem Indiam enaſcuntur) paulatim aqua temperant, atque interdũ paululo pipere, quali vulgò vtuntur, condiunt, eóque in potu vtũtur. Porcorum ea veriùs colluuies quàm hominum potio. Quum eam prouinciã peragrarem, pluſquàm integrum annum ab tali lora abhorrui: & quum pagum aliquem pretereũtem Indus me fortè aliquis ad bibendum inuitaret, ego verò aſpernarer, multùm mirans, ridénſque abibat. Sed quum mihi vini copia non eſſet, ne ſemper aquam bibere cogerer, alios imitari didici. Ea cælia ſapore aliquantũ amaro, ſatiat & refrigerat corpus, minimè tamen inebriat. Hæc præcipua & cariſſima merx earum regionum eſt: neque quidquam aliud Indi maiore in pretio habent, vbi quidem in vſu eſt.

Nicaraguenſium mores.

HARVM gentium mores à Mexicanis nihil propemodum differunt: humana carne veſcuntur: penulis & ſubuculis ſine manicis veſtiuntur: duorum lignorum mutuo attritu ignem accendunt, & hic mos per vniuerſam

Indiam inoleuit. Etsi illis ceræ copia esset, nullius tamen ad rei ministerium ea vti nouerant: & ad nocturnum lumẽ tedas è pinu agresti recisas vrebant. Quatuor earum prouinciarum sunt idiomata: sed Mexicanum in primis elegans, cuius vsus amplius mille & quingentorum mill. spatio patet, & facillimè omnium discitur. Regulos & principes *Tutruane* appellant, Panem *Tascal*: Gallinas *Totoli*: & *Occomaia*; valet, Exspecta paulisper: Morbum, *Mococoua*: Saltare, *Mitote*.

Saltandi ritus apud Nicaraguenses.

SALTANDI porro hic illis ritus & ratio est. Confluunt in vnum ducenti, trecenti: nonnunquam etiam ter & quater mille homines, pro modo & amplitudine prouinciæ, & pro indigenarum vel modico vel magno numero: tum vt conuenere, campum in quo saltaturi sunt, verrunt & quammundissimè perpurgant. Mox vnus eorum progreditur & chorum ductare incipit, plerumq; retrorsum corpus inflectens: interdum circumagens: ceteri omnes, inconditos illos motus imitantes, præsultorem ordine terni & quaterni sequuntur. Choraulæ qui tympanorum sonitu interim ludum incendunt, carmina quædam & cantus patrios ordiuntur: choragus primus respondet, mox exceptum ab aliis carmen per omnes in orbem decurrit. Alium, flabellum manu gestantem, alium cucurbitam lapillis plenam, alium caput cristis & pennis decorũ, alium brachia cruráque concharum lineis & corollis redimita cerneres. Illi hoc, alii alio modo corpus variè circumagũt: nõnulli crura attollunt,

attollunt, aliqui brachia: alius cæcum, alius surdum effingit: rident alii, alii plangunt. Cum his aliisque variis gestibus & motibus corporis, interea sese illo suo Cacauate largè irrigãtes, totum diem & sæpe noctis partem tripudiantes, solennes illos choros exercent.

NAVES quæ per mare Australe Nicaraguam petunt, angustum fluminis cuiusdam alueum inuectæ spatio xxv. mill. pass. ad quendam pagũ appellunt (Realegio ei nomen est.) Ibi duodecim circiter mapalia sunt, ex cannis contexta, & Hispanis habitata: eò autem diuertũt naues, propter opportunam stationem & lignationem commodissimam. Ab eo loco in Orientem diei vnius itinere abest ciuitas Legionẽsis, Episcopatus sedes, ad lacus ripam posita.[2] Franciscus Fernandes eam condidit, sicuti & Granatam, quæ L. vlterius millia ad eiusdem lacus ripam sita est, non procul ab illius emissario seu alueo, quo se lacus in Septẽtrionalem oceanum exonerat. Hæ duæ vrbes simul vix octoginta domibus constant, quæ partim materia, partim laterculo coctili extructæ sunt.

Legio, & Granata, coloniæ.

De hoc alueo, pag. 189.

TRIGINTA quinque mill. interuallo abest Legione, mons flammiuomus, qui per ingentem craterem tantos sæpe flammarũ globos eructat, vt noctu latissimè vltra centũ millia pass. incendia reluceant. Nonnullis fuit opinio intus liquefactum aurũ esse, perpetuã ignibus materiem. Itaque Dominicanus quidam monachus, quum eius rei periculũ facere vellet, aenum & catenam ferream fabricari curat:

Mons flãmiuomus.

Empedocles Dominicanus.

móxque in montis iugum cum quatuor aliis Hiſpanis aſcendens, catenam cum aeno in caminum demittit. ibi ignis feruore aenum cum parte catenæ liquefactum eſt. Monachus non leuiter iratus Legionem recurrit, fabrum vehemẽter incuſans, qui catenam tenuiorem multò quàm iuſſiſſet ipſe, eſſet fabricatus. Faber aliam multò craſſiorem excudit: Monachus montem repetit: catenam & lebetem demittit, res priori incepto ſimilem exitum habuit: nec tantùm reſolutus lebes euanuit, verùm etiam flammæ globus repente è profundo exiliẽs, propemodum & Fratrem & ſocios abſumſit. Omnes quidem adeo perculſi, in vrbem reuerſi ſunt, vt de eo incepto exſequendo numquam deinceps cogitarent.

Sacerdos metallarius.

In ea ipſa ciuitate cognoui ſacerdotem, qui Quæſtoris regij interuentu à rege Hiſpaniæ per literas petiit vt ſibi ducentos ſeruos dari iuberet: pollicitus perfoſſo illorum opera aureo illo monte ingentes ſe inde diuitias eruturum. Iſti Rex reſcripſit, mõtem, ſi vellet, ſuo ſumtu aperiret. ſibi enim non eſſe mancipia quæ ad eas fodinas mitteret. Ita inceptum illud omiſſum eſt.

1 Balsamvm (*vt inquit Plinius lib.*12. *cap.*25.) *vni terræ Iudææ conceſſum, pridem periiſſe creditur. Nunc verò, quod ex India Occid. adfertur, primùm in Hiſpaniola inuentum eſt, Indicæ mulieris indicio. Arbor vnde hic liquor elicitur,* Goaconax *ab indigenis vocatur. Ouie. Hiſt. nat.*

nat. Ind. lib. 10. *cap.* 3. *Elicitur quoque hodie in Noua Hispania ex arbore Punica malo maiore, cuius folia vrticæ similia serrata & tenuia sunt. Indi* Xilo *vocant. Elicitur autem duobus modis. Primùm multis incisuris vulnerato arboris cortice. Altero ramis & truncis eius arboris assulatim & minutim concisis, & in lebete amplissimo feruefactis: mox oleo supernatante collecto. Id priore ignobilius est. Monar. de simpl. medic. Indic.*

2 *Is est qui Iucatanam primus aperuit. Suprà huius lib. cap.* 10. *Quem postea Petrus Arias Abulensis, post Castellæ aureæ imperium abrogatum ob Valboæ mortem, Nicaraguæ Gubernator, capitali supplicio affecit, quòd clandestino fœdere cum Fer. Cortesio inito, occupatam, sponte ipsius, prouinciam armis retinere vellet, Sed oblato falso crimine insontem oppressisse visus est, sicuti & generum suum antea, vt sublato æmulo, vacua prouincia solus potiretur.*

3 *Montis illius flammiuomi nomen Gomara Masaiam, Dominicani F. Blasium de Ynnesta, edit: scribítque nouum istum Empedoclem & præterea duos Hispanos sciendæ eius rei causæ auidos semetipsos tribus corbibus in Vulcanium illũ craterem demisisse, quoad eius fieri potuit: atque inde lebetẽ catena ferrea reuinctum, ad* CXL. *vlnas deiectum, tandem vbi ad flammam peruenit liquefactum esse cum aliquot catenæ annulis. Illos stupefactos tali naturæ miraculo, irrito labore inde prosiliisse. Ceterum anno* M.D.LI. *Ioanni Aluarez Doctori & Decano à Rege concessum esse vt recluso eo monte metallum erueret. Gom.* Histor. *gen. libro* 5. *capite* 203.

¶*Petri Aluaradi in Peruanum regnum expeditio. Eius mors, & conscientiæ in morte dolor. Vxor eius Deum ipsum increpans, miro eius iudicio absumitur.*

CAP. XVII.

E Nicaragua in occasum tendentibus, tercentum mill. à Legione, numquã longius ab ora maritima abscedendo quàm vt ipsum mare cõspici possit, peruenitur ad Guattimalam. Eam vrbem Petrus Aluaradus, postquam eam prouinciam subegerat, inter duos montes condidit, è quibus semper fumus euoluitur: ac duas preterea, San-michaelem videlicet & San-saluatorem, quæ centum mill. pass. inter se distant. Iámque hic Aluaradus, perdomita & diuisa ea prouincia, eáque vrbe condita, cum magna pace ac tranquillitate in constituta à se ditione partis opibus fruebatur, quum nunciũ accipit, Franciscum Pizarrum & Didacum Almagrum, in Peruanum regnum transgressos, incredibiles ibi diuitias reperisse. His permotus, per amicos literas à Cæsare & potestatem transmittendi in illud Regnum, ac cuiuscumque vellet eius partis, quam modò alij Hispani non insedissent, in ditionem redigendæ coloniísque occupandæ, impetrat.

Pet. Aluarado, iam partis opibus, per auaritiam & ambitionẽ frui non licet.

De his lib. 3. cap. 1.

INDE anno M. D. XXXIIII. septem nauium armata classe è prouincia sua soluens, septuagesimo quarto die ad oram Peruanam appellit. Mox in litus Mantæ egressus, ad eam oram quæ ab Hispanis pòst Portus-vetus dicta est, ducibus Indis regionis peritis assumtis, vlterius

riùs in mediterranea progreditur. Tandem ſuperatis montium quorumdam frigidiſsimis iugis & perpetua niue obrutis (vbi multi Hiſpani frigore diriguerunt, alii penuria victus cæſis equis famem tolerauere) in prouinciam Quiton peruenit.

ID vbi Franciſco Pizarro allatum, extẽplo Didacum Almagrum cũ CL. Hiſpanis aduerſus eum mittit: qui ſi poſſet, vel eum aditu prohiberet, vel exercitũ quem ille adduceret, precio ab eo licitaretur. Almagrus Tombeſium peruenerat: ibi audito Aluaradũ numero militum multò ſe eſſe ſuperiorem, hoſtiliter eum inuadere nõ auſus eſt. Ambo ad Liribambam flumen conueniunt: ibi licentiatus Caldera pacem inter eos & amicitiã concilians, iubet Aluaradum tradere quas adduxiſſet copias Pizarro & Almagro: illos verò viciſſim dare Aluarado centũ millia aureorum ducatorum, ea lege ac conditione vt ipſe ex eo regno excedens, numquam deinceps eò regrederetur. Hæc pactus Aluaradus cum quatuor famulis Peruo decedit, & ſucceſſu lætus Guattimalã reuertitur. Paulo pòſt perluſtrandæ eius oræ in Occidentem, & nouas terras quærendi conſilium capit: & eò decem liburnicas, myoparones quatuor, inſtruit.

EODEM ipſo tempore quo Aluaradus claſſem adornabat, venere Mexicũ Dominicani quidem monachi, peragratis ad Occidẽtem terris mille amplius milliarium ſpatio: qui vt ex longinquo reuenerant, de illis regionibus mira narrabant. Vulgarunt inter alia, Sibollam prouinciam aliáſque terras

Fr. Marcus de Niza cum aliis, anno 1539. eam peregrinationem obiit.

fertiles,diuites,auro,cyanis, vulgò Turquinis, goſsipio,aliiſque dotibus, abundare. Ea rela tione moti Antonius Mendozza Nouæ Hiſpa niæ prorex, & Ferdinandus Corteſius eodem in regno ſummus Præfectus-militiæ,ſuſcipiendæ per ſe aut per legatos eius expeditionis conſilia inter ſe agitant:ſed diſcordibus inuicem animis, quum neuter alteri ſatis fideret, diuerſi alius aliò abiere. Corteſius Hiſpaniam petiit:Prorex Petrum Aluaradum è Gattimala arceſſens, quamcelerrimè poſſet, cum ſuis copiis venire ad ſe iubet. Is breui ſoluens ad Trinitatis portum appellit: & terreſtri itinere Mexicum profectus, de ſuſcipienda in Si bollam expeditione cum Prorege trãſigit. Inde,ſeptingentis militibus conſcriptis, armíſque,equis,& aliis ad iter neceſſariis rebus pro uiſis,Mexico ad naues tendit.

In itinere nuncius ei affertur, Indos Xaliſci prouinciæ incolas aduerſus Hiſpanos rebellaſſe: itaque inde cum maxima copiarum parte ad ferendam ſuis opem feſtinat. Vt venit "Petrum Zunicam Hiſpanorum complurium cæde recenti confuſum & triſtem ibi nactus, ambo ad collem editum,quem Indi munitum manu inſederant,obſidendum properant. Munimentum id erat eiuſmodi: totas arbores ramis inuicem implicatis & coeuntibus cum ingentib' ſaxis colligatas, quodam veluti nexu continenti opere iuncto, perpetuam ſepem hoſti obiecerant. Sumúlque vt Hiſpani erigere agmen in collem & ferociter diſcurrere cœperunt, Indi horribili clamore ſublato, cæſis arborum

"Didacũ Lopez de Zunigua, vocat Gomara.

arborũ ramis,compagẽ operis ſoluunt. Tum verò prorutis arborũ & lapidũ cumulis, omnia ingẽti cũ fragore in præceps deferri, & ingẽtis magnitudinis ſaxa per montis prona deuolui tanto impetu vt maximam ſubeuntium Hiſpanorum partẽ obtererẽt. Aluaradus prouoluto in eum equo præceps datus,duos intra dies vita conceſsit.Petentib. à decũbẽte quid ei maximè doleret,Anima, inquit, vehemẽter mihi dolet. Mediocri homo ſtatura fuit,loquax,perfidus,ſæuus aduerſum Indos,beneficiorum immemor atque ingratus vſqueadeo vt vulgò etiam de eo ſui dicant, Eum nulli amicorum fidem vnquam præſtitiſſe. Poſtremò inceſtis nuptiis infamis, quum duas ſimul ſorores in matrimonio habuerit. [1]

Ambitioſę & auaræ animæ cruciatus.

Gomara Hiſt gene lib.5.

ALVARADO mortuo, breui, Proregis miſſu, Mexico ad eam expeditionem abiit Franciſcus Velaſquez Coronatus cum octingentis militibus, iiſque equitibus pleriſque quum nauibus ad eam prouinciam ſubigendã & habitandam ire abnueret. Vt eò peruenit, pro omnibus diuitiis niuis copiam & commeatus penuriam reperit. Itaque multi equi, & Indicorum ſeruitiorum plerique fame abſumti ſunt. Dux ipſe, quum ſe maiores opes inuenturum ſperaret,progredi vlterius ſtatuit Iámque CL. milia paſſ.emenſus,animalium genus quoddam mediocris magnitudinis, vaccæ forma reperit. Hiſpani in eorum animalium armenta irruentes, multa mactant & famem expellunt.Inde Velaſquez multo fruſtra eius oræ peragrato ſpatio, poſtquam leuibus ali-

Velaſquez in Sibollẽſi expeditione pro theſauro carbones reperit.

quot prælíis indigenas expertus eſſet, libertatem ſuam acriter propugnantes, eorũ aliquot incenſis ac direptis pagis: tandem ſpe irrita fatigatus, probráque ac diras in monachos illos iaciens, qui de eius prouinciæ opulẽtia tã lætam famã vulgaſſent, multis amiſsis Hiſpanis, pauper & nudus Mexicum regreſſus eſt.

Diuini iudicii in ſuperbam & blaſphemam viduam exemplum.

NVNC, vt ad Aluaradum redeam, poſtquam eius mortis nuncius Guattimalam allatus eſt, Beatrix de Cueua vxor eius, femina equidem animi impotens, vana & ſuperba, quũ Dei opt. max. omnipotentiam cum gratiarum actione agnoſcere, & immenſam eius bonitatem laudare deberet, in blaſphemas voces erupit, dicens, Nihil peius grauiúſque à Deo mali inferri ſibi potuiſſe, quàm quod viro orbata eſſet. Simul atrari ædes & nigro pingi iubens, non cibum, non ſomnũ capere, non ſolatia vlla admittere, ſuſtinuit. Adhæc laceratis crinibus humi corpus abiicere, multáque alia dicere & facere quæ mentis compotem non decerent. Inter hæc tamen magnificas & pompę plenas exſequias viro duxit: neque luctu aut funebribus lamentis impedita eſt quominus primorum ciuitatis cœtu conuocato, ſe eorum ſuffragiis Gubernatricem prouinciæ deſignari curaret, omnéſque ſacramento in verba ſua adigeret.

Ambitione luctu quidẽ minuitur.

SED paulo pòſt quàm ea geſta erant, ecce die VIII. Septembris, qui Virgini vulgò ſacer eſt, anno M.D.XLI. imber ingentibus procellis effundi incipit: adeo vt circiter ſecundam noctis horam quæ alterum ab eo diem ſequuta

eſt,

est,Indi quidam Episcopum prouinciæ adeun tes (Franciscus Maroquin is vocabatur) ei significarent, se ad radicem eius montis qui vrbi proximè immineret, terribilem quẽdam sonum & insolitum fragorem auribus accepisse. Episcopus obiurgat eos, Non vos sæpe " (inquit)monui, ne eiuscemodi rebus aures " præberetis? Iam paulo vltra mediũ nox processerat, quum repentè magna vis aquarum ex eo monte tanto impetu & violentia, torrentiũ instar erupit, vt saxa ingentis magnitudinis deuolueret,quæ mox incussa subiacentibus petris, maiore vi quidquid obuium esset proterebant. Simul audiebantur per aerem lugubres vlulatus & stridores horrendi:& fur uam quandam vaccam multa inferentem damna, & ea loca peruagantem, supersunt qui viderunt.

Inter multas ædificiorum strages, quas ea eluuio aquarum dedit,primam Gubernatoris domum rapuit : & ea clade periit Beatrix ipsa gubernatrix cum iis omnibus quæ cum illa orandi causa (vt fertur) in abditum conclaue seu sacrarium aliquod penetrale, concesserãt. Ad eum modum breui submersa & concussa repentina vi tota propè illa ciuitas, prostrata est. Cẽtum circiter ac viginti Hispani vtriusque sexus eo casu periere : nonnulli qui sub initium ruentis tempestatis vrbe cesserant, perniciem effugerunt. Luce orta,postquam procella conquieuerat, vicinis vrbi campis Hispani nonnulli debilitati, plerique obtriti, alij brachiis, alij cruribus fractis,

iacentes reperti ſunt: inter ceteros puellula quædam illæſa & ſine vlla noxa, ſublata eſt, quã ex Indica muliere Aluaradus ſuſceperat. Neque ex ea ſtirpe quiſquam, præter iſtam, remanſit. Poſt eã ruinã Gattimala in modica planicie, vbi nũc ſita eſt, inſtauratur, triũ mill. ſpatio à veteri diſsita, ad Ortũ: conſtátque ſeptuaginta quinque aut octoginta domibus laterculo coctili extructis, quæ magnam partem tegulis contectæ ſunt.

Gattimala inſtauratur.

In ea prouincia frequentes exiſtere terræmotus experientia ipſa didici. Quum enim fortè aliquando eſſem in cœnobio, veteri Guattimalæ vicino (locus is vulgò Almolonga di Baſſo appellatur) & cum monacho colloquerer, ſuper exiguo quodam tumulo, terra adeo contremuit, vt campanæ ſua ſponte ſonitum dederint: maceriæ quibus circumſeptus erat cœnobii hortus magna ex parte corruerint: ſubterranei tubi, per quos aqua ad fontẽ deducebatur effracti: ſacellũ maius duobus locis ſiſſum hiaret, & aliquot tegulæ in terram deciderent: terrámque ipſam omnes hiatu profundo diſceſſuram crederent. Durauit hic terror quantum recitando Symbolo Apoſt. temporis ſatis eſt.

Ceterum ea prouincia, quia cælo miti ac temperato ſubeſt, frumenti ſatis patiens eſt: ſed omnium arborum quæ eò ex Hiſpania tranſlatæ ſunt, nulla coaluit præter ficos & Armeniacas malós: verùm & ipſarum quoque fructus quum matureſcere incipiunt, ſub initium videlicet hiemis, tum inſipidi exiſtũt.

Duorum

Duorum à Gattimala dierum itineris ſpatio, loco maritimo quem vulgò Izalchi appellant, magna vis Cacauatarum colligitur. Et hæ hodie ferè ſunt Hiſpanorum qui eam prouinciã incolunt, opes: earúmque maximam partem per Nouæ Hiſpaniæ prouincias diſtribuunt, in quibus, quòd id regnum frigidioris quàm calidioris temperamenti ſit, id genus fructus non ſufficienti copia colligitur.

Guattimalenſium mores.

PORRO iſti Guattimalenſes Nicaraguenſibus & Mexicanis moribus ex æquo ferè participãt. Itaque negotiantur mercatúſque & contractus inuicem exercent. Ac plerique eorum artes etiam mechanicas didicere. ſunt enim inter eos fabri materiarii, carpentarii, pictores, aurifices, aliarúmque opifices artium: & hos Hiſpani quondam in ſeruitiis habebãt, eóſque ære emtos varia opificia docuerant: ſed quum heri ipſi aliquod laboris ſui præmium & fructum ex eorum opera decerpere vellent, tum in libertatem reſtituti ſunt. Quotidie venalitia ſua fora & mercatus exercere conſueuerunt. merces, ferè ſunt eſculenta & poculenta, qualia ſal, piſces, fructus, cucurbitæ, battatæ, incocti cũ ramis ficus indigenæ, & ex iis facta potio ita ſcitè & honeſtè miſta, vt ſolus eius conſpectus nauſeam mihi cieret. Præterea goſſipio, penulis, interulis, criſtis pennaceis aliíſque eiuſcemodi, commercia inter ſe agitant.

1 PETRVS *Aluaradus, vt* Franciſci *de los-Conos, qui à ſecretis & intimus conſiliorum*

Cæsari erat, gratiam & fauorem quæreret, duarum simul sororum incesto matrimonio sese pollutt, idque permissu & indulgentia Papæ. Gomara Hist. gen. lib. 5. cap. 109.

Indicarum gentium color: Vinum & Ferrum in precio habent. Legendi & scribendi in nostris peritiam mirantur. Hispanicum iugum excutere cupiunt.

CAP. XVII.

QVOD ad colorem Indicarum gentiũ attinet, in vniuersum ferè cereo aut buxeo, & fusco seu rauo quàm cuiquam alteri propior est: omniúmque quoscumque in amplissimis illis prouinciis videre mihi licuit, pulcherrimi sunt Pariensis sinus acolæ & Valentiolæ prouinciæ indigenæ: ij nempe qui in mediterraneis opaca montium incolunt. Cuius rei causam eam esse arbitror quòd ea loca minus solis vapore torreantur quàm plana: siquidem maritimæ oræ accolæ subfusco, & velut carnis sole flagranti ambustæ, colore sunt.

Vinum & Ferrum apud Indos rara & cara.

CETERVM omnium rerum quas Hispani in Indiam transtulerunt, nulla Indis gratior acceptiórque extitit quàm vinum: & quamquam ipsi è Maizio atque aliis rebus factitia vina & potus moliantur, vti suprà diximus

ximus, vulgò tamen dicunt non ita iis quæ ipsi faciunt, villis ali vires vigorémque animi, recreati spiritus, ventrem excalefieri, nec somnos ita dulces suauésque conciliari, vt illo Castellæ. Ferrum præterea ad ipsos inlatum carum habuerunt: quum nihil ferè olim fabricarentur præter æneas secures, & cultellos è silice. Sed super omnia [1] noster legendi & scribendi vsus, Indis miraculo fuit. Itaque quum Hispani literas Indis ad aliquem perferendas dabant, nusquam cogitando assequi poterant qua ratione charta alba nigro distincta eloqui posset.

Indi legẽdi & scribẽdi vsum mirantur.

CETERVM omnium gentium ac prouinciarum in quas Hispani subactas hodie imperium obtinent, frequentissimæ & hominum multitudine abundantissimæ, hæ sunt, Noua Hispania, & ab ea Iucatan, Guattimala, Nicaragua, & nonnulli Peruani regni tractus.

PORRO quum nouum illum orbem quatuordecim annorum spatio, vt suprà dixi, perlustrauerim, ac legerim Historias quas Hispani de rebus à se in illis regionibus gestis & suis aduersus Indos victoriis scripserunt: plerisque in rebus illos laudibus suis enarrandis modum egressos fuisse exploratum ac compertum habeo. Atque in eo maximè, quum iactant se summa laude esse dignos, quòd omnes à se subiectos in India populos conuerterint, & Christianos fecerint. quod quum dicunt, illos nẽpe populos à se factos esse Christianos, perinde esse videtur ac siquis, exempli

Hispani laudũ suarũ immodici prædicatores.

Gom. lib. 5 Hist. gen. cap. vlt.

gratia, dicat, Panem à pistore bene esse coctũ. Attamen quum Christi Domini nostri & seruatoris doctrinam attentè considero: equidẽ comperio plurimùm interesse inter nudum nomen, & rem ipsam: id est, Christiani tantùm nomen gerere, & Christanum reipsa esse, latè inter se differre.

Peruani Hispanos pro Christianis & filiis Dei agnoscere nolunt.

QVO magis id credamus, vel Barbaros ipsos ea de re sententiam ferentes audire operæpretium est. Nã in Peruano regno aliisque multis locis, quantumuis Hispani passim vulgarint se Christianos esse, Dei ipsius & parentis cælestis filios: tamen ob intolerãda sæuitiæ exempla quæ aduersus Indos ediderũt, nulla ratione vmquam effici aut extorqueri potuit vt id nomen Hispanis tribuere & agnoscere vellent. Ea nimirum gens multò acriore ac sollertiore iudicio quàm quælibet aliæ Hispanis subiectæ dotata est. Mexicani quidem & finitimi alii populi, ex quo Hispani primùm in eas terras transgressi Christianos se esse dixerunt, eos quoque & ipsi semper ex eo hoc nomine numcuparunt. Id verò vt faterentur & dicerent, numquam adduci potuere Peruani, sicuti antè dictum, & suo loco fusius exponetur.

Indi Hispanicum iugum excutere cupiunt.

QVARE, quum extra controuersiam sit quamlibet nationem peregrinæ gentis imperio subiectam, si semet in libertatem vindicare possit, id verò cupidissimè & sine vlla dubitatione facturam: ita Indi hauddubiè, Mexicani præsertim, assiduè dissimulantes excubant

cubant

cubant, ſedulò ſemper aſpectantes an ſolitæ naues ex Hiſpania veniant. Ac ſiquid caſu Hiſpaniæ infortunii accideret, ſicuti fieri poteſt (quippe Imperia omnia quantumuis magna & potentia, omnes gentes, populi, ciuitates & regna, humanorum caſuum varietati atque inconſtantiæ, quam vulgò Fortunam vocant, obnoxia eſſe in perſpicuo eſt) ſi clades inquam aliqua memorabilis Hiſpaniam affligeret, nec naues commeare in Indiã poſſent, vt ſolent: vniuerſa quàm latè patet India, iugo excuſſo, rebellaret, atque omnibus Hiſpanis mactatis ſollenne agitaret epulum: atque, vt à quibuſdam monachis accepi, illi ipſi Fratres primi omnium funebre iſtud conuiuium ſuo ſanguine imbuerent, quòd peruerſis indigenarum moribus perpetuò aduerſentur.

ID verum eſſe vnius rei exemplo probaſſe ſufficiet. Anno M. D. LIII. quum Guattimalæ eſſem, eo ipſo tempore quo Galli cum Hiſpanis bellum gerebant: nec, ob metum piratarum, per omnem eam oram ſpatio quatuordecim menſium appuliſſent vllæ naues, præter phaſelos duos (Galeones vulgò vocitant) Aluari Bazani, quorum alter ad Nomen-dei, alter ad Villam-riccam, Nouæ Hiſpaniæ portum, applicuerat: iam Hiſpanorum animos vehemens formido inceſſerat, ne Indi ad res nouandas ſpectarent, quòd iam ex Mauris audiuiſſent Gallos cum Hiſpanis bellum gerere, multáque iam illis damna intuliſſe. Ipſe quidem per eoſdem hoſce dies, quum in eo loco quem Almolongam vocant, paulo

infra Guattimalam, vbi quondam sita erat vetus Guattimala, cum quibusdam Indis colloquerer: sciscitari ex me vnus cœpit, An Galli haberent equos, & ea quæ faciunt Tau Tau, quũ vellet quærere an Gallis essent bõbardæ, nec posset. Tum ego excipiens, Habent verò, inquam. Ibi ille suspirium ex imo pectore petitum ducere: & Deo notum est quid tum haberet in votis. Certè, tametsi monachorum assiduis vocibus illorum aures circumsonent, monentium nequid nouare aut mouere aggrediantur, quia videlicet Cæsar è Castella innumeram vim Christianorum aduersus ipsos emissurus esset, à quibus multo inclemẽtius, quàm antea vnquam, haberentur: attamen ne his quidem toties iteratis & inculcatis minis impediantur, si idonea & opportuna occasio sese obtulerit, quominus omnes Hispanos è suis finibus si possint, exterminent.

Indi Gallorum in Indiam expeditionẽ peroptãt, vt ab Hispanis liberentur.

1 INDIS *principiò persuasio erat, epistolas quas Hispani mutuò ad amicos mitterent, animatas esse & loqui. Cuius rei lepidam historiam narrat Gomara. Mittebat Hispanus quidam ad amicum duodecim Hutias (id est, cuniculos Indiæ Occid. peculiares) assos, ne æstu corrumperentur. Indum qui deferebat, quum vel obdormiisset fessus de via, vel interquiesset, diutius morantem in itinere fames corripit: tres Hutias absumit. Reuertitur, litteras ab amico illo ad herum referens, quibus ille de nouem Hutijs ad se missis gratias amico agebat. Hispanus perlectis literis irascitur seruo: ille duodecim reddidisse se affirmat. Sed*

quum

quum epistolæ indicio proderetur, rubore perfusus verum aperit: & suos ea de re populares commonefacit, vt sibi à foliis & chartis eiuscemodi loquacibus cauerent.

NEC *dispar est quod de Brasiliensibus scribit Lerius: Quum primò (inquit) in eas terras venissem, verba & sententias aliquas, vt sermoni eorum assuescerem scribebam, eásque mox coram ipsis legebam. Illi, præstigias id esse rati, inuicem his verbis alij alios alloquebantur: Non mirum! istum qui heri ne vnum quidem verbũ idiomatis nostri callebat, nunc vi & ope huius chartæ, quæ illum nostra eloqui docet, ita peritè ea sonare vt à nobis intelligantur? Nauig. Brasil. cap. 16.*

Ceterum apud aliquos Indorum Occid. populos literarum vsum esse, allati inde libri prodidere. Iurisperitus quidam, Corales, Darienensium prætor vrbanus, ad Regem Catholicum scribens, inter alia retulit, Ad se adductum Indum quendam, qui ab hero fugerat ex interioribus Continentis terris versus Occidentem. Is legentẽ aliquando litteras Prætorem conspicatus, mirabundus accurrit vt videret: dixítque Patronũ suum & populares etiam libros habere, sed è foliis arborũ simul consutis cõpactos. cuiusmodi a Cortesio è Colluacana in Hispaniam missi sunt. Petr. Mart. Mediol. Ocean. dec. 3. li. 10.

¶ Indi Christianorum iudices. Sacerdotes & monachi in India Occid. auaritiæ dediti Indi Hispanorum consuetudine deteriores fiunt, & Christ. religionem ludibrio habent.

CAP. XVIII.

OMNIVM eius gentis rerũ, quas maximè in India laboraui vt ſcirem, id imprimis intelligere conatus ſum, quid nimirum de Fide noſtra illi ſentiant. Itaque quæcumque ea de re tum ex publicis Monachorum & ſacerdotum quorumdam ſermonibus didici, tum ex iis quæ ipſe vidi & ab ipſiſmet Indis audiui, ea nunc exponere operæprecium duco: vt Lectores inde ſibi ſubiiciant, quantum mala noſtra opera exempláque ſcandalorum apud illos pariant. Prudentes verò ac ſobrios Lectores ante omnia rogo vt æquum huc & attentum animum afferant, ſciántque ſe verè aurea dicta ſentẽtiáſque in primis memorabiles ſummáque admiratione dignas hîc audituros.

INDORVM plerique ac potiſſimum Regulorum & principum filij, qui legere & ſcribere didicerunt, atque adeò Præcepta ipſa Dei, quæ bona eſſe fatentur, idcirco plurimùm mirantur nos ipſos à quibus hæc habent, ea non obſeruare, & vulgò ita loquuntur: HEVS tu Christiane, Vetat Deus ne quis per nomen ſuum in vanum iuret: at tu omni & quidem „ leuiſſima de cauſa, aſſiduè iuras & peieras. Iu- „ bet Deus ne falſum teſtimonium dicamus: vos „ verò Chriſtiani nihil ferè aliud facitis, & alij „ aliis detrahitis & maledicitis. Iubet Deus vt „ proximum tuum tanquam teipſum diligas: eí- „ que ſua debita remittas, vt tua tibimetipſi con „ donari vis: vos verò planè contra facitis. nam „ & à vobis malè tractantur qui minus opi- „ bus valent, & ſiquis quid debeat vobis, vos

Barbari ſurgent in Iudicio aduerſus Chriſtianos multos, & cõdemnabũt eos.

eum in vincula trahendum & coniiciendum "
curatis: ac quanquam facultatibus careat, ta- "
men, vt persoluat vrgetis, & rigidè æs vestrum "
exigitis. Si inter vos sit pauper aliquis Chri- "
stianus, ne de vestris facultatibus illi erogetis, "
remittitis eum ad casas nostras, vt ei eleemo- "
synam largiamur. "

SVNT præterea etiam Indi, qui immodicam auaritiam nostram & furiosam cupiditatem pertęsi, aureum numisma aut bracteam in manus capiant & dicant: EN Deum Christianorum: propter hoc è Castella in terras nostras venere: propter hoc nos subegerunt, vexarunt, pro mancipiis vendiderunt, & multa in nos nefanda ediderunt: propter hoc bella & prælia inter se agitant, & alij alios mutuò interimunt: propter hoc perpetuò inquieti, alea ludunt, blasphemant, diris se deuouent, litigant, furantur, alij aliorum vxores rapiunt. denique huius gratia nullum sceleris aut libidinis genus prætermittunt.

Barbari auaritiam Christianorum grauissimè notant.

IPSE sacerdotem cognoui, Guattimalensi episcopo in primis acceptum, qui per illos Indiæ pagos venale vinum circumferens (quanquam id Præsidum & Gubernatorum edictis prohibitum esset) breuiore quàm sex mēsium spatio vigintiquinque millia Regalium lucratus esset. Sunt præterea monachi qui palam & interdiu ea flagitia committunt, quæ alios vel noctu perpetrare puduerit. De vitiosis, non de probis hîc loquor: quamquam etiam Franciscanus quidam publicè clamaret, nec sacerdotem, nec monachum, neque episcopum in

Monachorū nefandæ libidines in India.

tota India vllum exiſtere viri boni nomine dignum. Quippe omnes ſe dedere auaritiæ, atque vbi Indos diuitiis abundare intelligerent, eò omnes confluere certatim: vbi verò inopes eſſent, ea loca omnes fugere. Monachus ille, quum San petri eſſet, Capitis Fonduren-ſis vrbe, proximum nauium traiectum exſpectans, vt in Hiſpaniam tranſmitteret: propter hæc verba, Superioris ſui mandato, captus & Guattimalam abductus eſt. Ipſe quoque ſacerdotes inter ſe confabulantes & profitentes audiuiſſe me memini, Sed ad quæſtum faciendum, non aliam ob cauſam, ex Hiſpania in Indiam traieciſſe.

Veritas odiū parit.

NVNC quod ex Monacho quodam, quum Comaiaguæ eſſem, auditum habeo, referam. Is mihi retulit cognitum à ſe Indum reguli cuiuſdam filium, acutiſſimi ingenij hominem, qui quum adoleſcens in ludum itaret, ibíque legere ac ſcribere diſceret, nemo erat qui non exiſtimaret eum ita virtute ac doctrina præſtantem inde euaſurum, vt ceteris vitæ exemplo præiret. Sed vt trigeſimum ætatis annum attigit, contra quàm omnes exſpectarent, inde impurus, nequam & ſceleratus, rediit. Interrogatus cur è bono improbus euaſiſſet: Ex quo (inquit) Chriſtianus ſum factus, per „ Dei nomen iurare, & per Crucem, & per ver- „ ba ſancti Euangelij: ac per Dei vitam blaſphe- „ mare didici: eúmque abnego, nec credo. Alea- „ ri prærerea didici, & verum numquam elo- „ qui: enſem inſuper mihi comparaui ad ciẽdas rixas:

Indi Hiſpanorum conſuetudine corrumpūtur.

rixas: denique, vt planè ritu Christianorum viuam, nihil iam mihi præter concubinam deest, quam breui me domum ducturum spero.

QVOD mihi ipsi vsuuenit, commemorabo. Reprehenderam fortè Indum aleæ & blasphemiis deditum. Ille mihi confestim: Nos, inquit, ex vobis ipsis hæc exempla didicimus. Ac certè qui ita flagitiosè viuunt Indi, ex iis ferè sunt, qui apud nonnullos Hispanos educati, quibus nullum studium est, præterquam alea ludere, blasphemare, & eiuscemodi alia facere, domestica consuetudine eorum moribus facillimè assueuerunt. Atque hæc ferè sunt miracula & prodigia, quæ Hispani apud Indos édidere.

MVLTI præterea Indi alii reperiuntur, quos si interroges, An Christiani sint: Respondent, se esse: quippe Episcopum signaculo Crucis eorum faciem signasse, & benedictionem suā ipsis impertiuisse: se templum ædificasse, atque intus B. Mariæ imaginem collocasse, postremò campanam comparasse. Fortè aliquando ipse quum ab Indo sciscitatus essem, An Christianus esset: tum ille, Num tu vis me, inquit, per decem aut duodecim annos seruum esse Episcopi, & curare suam mulam?

Christianismum in frigidis ceremoniis situm etiam Barbari ipsi rident.

ALII eadem de re interrogati dicunt, Sibi quater aut quinquies caput aqua à sacerdote conspersum. Isti tales, simul vt sacerdotem aliquem aut monachum venientem conspiciunt, tum confestim obuiam accurrentes,

" Pater, inquiunt, irrorate mihi caput aqua,
" quia volo esse Christianus, etiamsi iam aliàs
" baptizatus fuero. Ita initio ab vno facto, cetera plebs quò pergat ignara, vniuersa concurrit. Id ferè vsuuenit iis locis vbi Indi pauci & pauperes sunt, & inter quos nulli nec sacerdotes nec Fratres resident. Ceterum inter monachos nonnulli etiam reperti sunt, qui istos baptisare nollent, quum dicerent, Perinde esse Indum baptisare, vt brutum aliquod animal. Alij è Castella in Indiam transgressi, ibíque moribus & exemplis tum Hispanorum tum Indorum inspectis, vtrosque pariter miserantes, retro in Hispaniam ad sua cœnobia reuersi sunt.

1 QVOD *facilè inter omnes constat, omniũ propè Indorum Occid. maximè ab humanitate alieni sunt Brasilienses barbari. Quæ tamen sit eorũ de Deo notio, quæ laudum & præceptorum Dei admiratio, ex Lerio nostro cognoscere operæpretium est. Is ergo de Tououpinamboultiis Americæ gente agens, ita scribit:* INTER *cetera,* (inquit) *dicebamus illis nos credere in vnum Deum, creatorem cæli & terræ, qui vt orbem & quæcumque in eo sunt, condidit, ita omnia pro arbitrio gubernat. Illi vbi hæc audierant, alij alios intuentes, & in hanc vocem (quæ admirationis nota ipsis familiaris est) erumpentes,* Teh! *defixi & stupefacti hærebant.* Et paulo pòst: *Quum fortè aliquando* inquit, *cum aliis Gallis aliquot in quodam barbarorum pago essem,* (Okarentin *ipsi appellant) & in aperto ac propatulo cœnaremus: confluentes Barbari eius vici*

Nauig. Brasil. ca. 61.

vici incolæ, maiores natu præsertim, cum multis "
beneuolentiæ signis, circumfusi, neque vel mini- "
mo verbo dicentes interfati, nos attentè & tacitè "
intuebantur. Donec peracto conuiuio, magno na- "
tu quidam, quum obseruasset nos ab hymno cibum "
auspicatos, hymno quoque cœnam clausisse, acce- "
dens, ita infit: Quid sibi vult hic ritus quo vos mo- "
dò vsi estis, quum sublatis pileis omnes, præter vnũ "
qui loqueretur, silentium tenuistis? Ad quem per- "
tinebat ea oratio quam ille habuit? Vestrúmne præ "
sentium ad aliquem: an ad absentium? IBI ego op "
portunè oblatam eam occasionem arripiens, vt apud "
eos de vero Dei cultu loquerer: quum præter eius "
pagi amplitudinem & frequentiam, Barbaros etiã "
solito attentiores animaduerterem: rogare Interpre- "
tem nostrum vt suis verbis, meum illis sermonem, "
quoad capere ipsi possent, explicaret. Tum à quæ- "
stione senis exorsus, Preces nostras ad Deum di- "
rigi respondi: eúmque, etsi sub ipsius conspectum "
non caderet, non tantùm liquidè audiuisse nos, sed "
etiam quidquid pectore occultum haberemus, id "
perspicuè cognoscere. Inde ad Creationem mundi "
delapsus, in primis laboraui vt docerem, hominem "
nobilissimum inter creaturas à Deo esse conditum, "
vt eo magis celebrandæ opificis sui gloriæ studeat. "
Ac nos quidem, quòd ipsum coleremus, eius manu "
infinitis periculis longissimæ nauigationis in tam "
vasto mari eripi: eiusdémque ope fretos, ab omni "
prorsus Aignan metu (Dæmonem ita appellant, à "
quo subinde vexantur) tum in hac tum in ventura "
vita esse liberos. Quare si Caraibum suorum impo- "
sturas, & barbarum mandendæ humanæ carnis "
morem, abiicere vellent, eadem prorsus Dei dona "

consequuturos, quæ nos habere cernerent. Multa præterea de humani generis labe ac ruina, vt eorũ animos ad Christũ præparemus subiecimus: quoad eius fieri potuit accommodatis ad eorum captum rationibus & exemplis, quæ in præsens fusius exsequi supersedeo. Illi quum nos ingenti cum admiratione duas amplius horas perattentè auscultassent: tũ vnus ex ijs autoritate & ætate grauis, in hunc modum disseruit: MIRA, *equidem, optima & nobis non antè audita, hîc dixistis. Ac vestra quidem oratio mihi in memoriam redigit, quæ nobis sæpe auos nostros narrantes audiuimus: Nempe iam inde à priscis temporibus & tam multis abhinc Lunis quot iam meminisse non possumus (quippe illi Lunarum numero aut vicibus, non mensibus atque annis, temporum spatia definiunt) venisse in has terras quemdam* Mair *(id est Gallum, seu qualibet alia è gente aduenam) vestro more vestitum & barbatum. Atque eum, vt ipsos sub Dei vestri obsequium duceret, eadem oratione apud eos esse vsum, qua nos hodie affamini. Sed, vt nobis quoque à Patribus per manus traditum est, eos illius verbis fidẽ adhibere noluisse. Itaque mox successisse alium, qui Ensem, symbolum maledictionis, illis traderet. Inde sequuta inter nos bella, neque ex eo mutuis cædibus alij in alios sæuire destitimus. Nunc verò, postquam diuturno vsu his assueuimus, si nunc repentè auitum morem exueremus, apud vicinas gentes ludibrio & derisui essemus.*

HIC *nos summa contentione ac vehementia testari, tantum abesse, vt finitimorum ludibriis moueri eos oporteret, vt contrà, si summum illum cæli & terræ opificem seriò colerent, de omnibus, qui ob id*

vltro

vltro molesti essent, victoriam referrent. Postremò eam verbis nostris efficaciam addidit Dominus, vt non multi tantùm Barbarorum, ad eam quam ex nobis didicissent legem, deinceps vitam composituros, nec cæsorum hostium carnes vltrà esturos, se promitterent: sed secundùm hoc Colloquium, positis humi genibus, nobiscum Deo gratias agerent. Ea oratio, quæ ab vno è nostris clara voce in medio eorum cœtu ad Deum concepta fuerat, mox illis per interpretem exposita est: nos ab illis in pensilia è bombyce cubilia, dormitum deducimur. Sed nondum nos somnus corripuerat, quum ecce istos cantātes & conclamantes audimus, Sumendam de hostibus vltionē, & plures quàm antea esse mandendos. En inconstantiam miseri huius populi, & humanæ naturæ triste exemplar. Mihi tamen equidem persuadeo, si Villagagno numquam à vera Religione desciuisset, & nos diutius in illis terris morati essemus, fore vt aliqui tandem Christo lucrifierent.

Hactenus ille.

Vnde perspicuè apparet, semen aliquod Religionis inesse illis gentibus, sed eas à Principijs illis naturalibus ad absurdissima commenta & fœdos mores partim insita vanitate, partim malis Christianorum exemplis, facillimè deficere,

¶Indorum pertinax Idololatria. Didaci Lopez epiſtola, Eccleſiaſticorum & Iuridicorum Hiſpanorum in India Occid. mores ac vitia graphicè depingens.

CAPVT XIX.

QVVM Guattimalæ eſſem, ac ſæpe in S. Franciſci monaſterium commearem, amicitiam cum quodam monacho contraxi (Franciſcus Betanzus is vocabatur, experiens homo, & multo omnium earum prouinciarum vſu, tum Guattimalæ tum Nouæ Hiſpaniæ, peritiſſimus, qui etiam duo Indica idiomata apprimè calleret & loqueretur.) Quum ab eo aliquando ſuam ea de gente opinionem percontarer, præſertim in iis quæ ad fidem noſtram ſpectarēt: mihi reſpondit, Eorum ferè tum natu grandes, veteri ſuę Idololatriæ pertinaciſſimè eſſe affixos, tum maximè Sacerdotes: ac ſæpenumero ſe ſuóſque collegas ſuperueniſſe illis victimas & ſacrificia diis ſuis facientibus. Itaque neceſſariò eorū filios, vt temporis ſpatio Religionem noſtram imbiberent, à parentibus atque auis ſuis ſegregandos eſſe, & ab eorum cõſuetudine quamdiutiſſimè remouendos: ne illos poſtquam ex ephebis exceſſerint, præpoſteris moribus ſuis imbuant. Poſtremò addidit, eos quoque qui baptizati eſſent, nihil ferè habere Chriſtiani præter nudum nomen.

Indorum pertinax Idololatria malis Hiſpanorum exemplis alitur.

Ex-

Exinde quum inter commentandũ (vt fit) in penitiores de ſpecialibus rebus ſermones paulatim delapſi eſſemus, & ex eo multa tum de moribus Hiſpanorum, tum de earum prouinciarum regimine percontarer: atque ille me in rebus Indicis inueſtigandis curioſum animaduerteret: epiſtolæ cuiuſdam exemplar, legendum mihi tradidit. Eam Baccalaureus quidem ipſius familiaris, Didacus Lopez de Zunega, ad Epiſcopum, Præſidem & Aſſeſſores Guattimalæ cõſcripſerat, durius nimirum ab iſtis coercitus & malè habitus, quòd eorum vitia & flagitioſos mores verbis liberiùs perſtrinxiſſet. Quum verò eam apertam miſiſſet, deſcripſerat ex autographo monachus, à quo & exemplum infrà ſcriptum deſumpſi. Eius autem ſententia hæc erat:

Ex quo me fortuna per orbem terrarum agitare cœpit, Regna aliquot & prouincias peragrando emenſus ſum, & nuſquam non noui aliquid & inuſitati conſpexi. Verùm ex quo ſors mea permiſit vt in has Indię regiones, quę Aureæ appellantur, & virtutis omnis expertes ſunt, traiicerem: tot tantáque nequitiæ exem-" pla vidi, vt neque eis enarrandis lingua mea, " neccogitatione complectendis animus meus, " par eſſe poſſit. In iis ferè peſſimũ hoc animad-" uerti, quòd inter vos nulla iuſtitia, nulla vir-" tus, nulla bonitas, nulla caſtitas, супereſt: quin " omne æuum veſtrum ſtudiis partium, ſimulta-" tibus, perfidia, vanitate, rapinis, diſſidiis, inui-" dẽtia, odiis, aleis, luſtris, blaſphemiis, inteſtinis "

Hiſpanus, Hiſpanorum præſertim Eccleſiaſticorum, in India mores depingit

„ bellis, luxu, auaritia aliísque pessimis libidini-
„ bus, miserè consumitis. denique qui vestrûm
„ optimus habetur, quanto se is ceteris præstare
„ putat, tanto est omnium deterrimus. Summa
„ quidem cura notaui ac comperi maximã par-
„ tem vestrum, quotcumque in Indiam venistis,
„ tales esse vt, non dico cælum atque Angeli,
„ sed terra & dæmones ipsi vos exosos inuisós-
„ que habeant. Ac pro certo habete, quemadmo
„ dum tyrannica multa facta per vim perpetra-
„ stis, ita Christum permissurũ vt serui omnium
„ per ius euadatis.

„ EIVS rei exempla & clara documenta si
„ quæritis, historias Græcas Latináśque euolui-
„ te, Romam caput & decus orbis considerate
„ Athenas & Spartam, bonarum omniũ legum
„ ac morum lumina, intuemini, multásque alias
„ ciuitates & regna, quorum vix hodie vesti-
„ gium vllum, ac ne memoria quidem ipsa su-
„ perest. Si tantæ ciuitates periere, tot opibus
„ dotibúsque florentes, ac tantorum Princi-
„ pum mentibus viribúsque administratæ, vo-
„ bis scilicet talibus, velut eximiis, Deus peper-
„ cerit? An putatis Dei bonitatem ac patien-
„ tiam passuram vt per omne æui tempus tantis
„ induti vitiis, & tot sceleribus demersi perma-
„ neatis? Nonne iudiciis admodum obtusis &
„ occæcati estis? Scilicet creditis Indos Chri-
„ stianos futuros, si vos ipsi non estis, nisi fortè
nomine ac titulo tenus? Frustra id quidem.
Nam multo efficacior (mihi credite Domini
mei) ad brutas illas gentes fuerit vel vnius diei
honesta vita & bonum exemplum, quàm
conti-

Barbari bonis exẽplis quàm cõmodis verbis, magis mouentur.

continuæ integri anni lectiones & doctrinæ. "
quid enim refert odoriferas rosas ad plebem "
ore & lingua spargere, si mox spinosis ma- "
lorum operum aculeis illam pungitis & ve- "
xatis? "

NONNVLLI dicunt quod vestra Sancti- "
tas domine Episcope, satis boni facit: sed vi- "
dete vt bene etiam illud faciatis. quippe repe- "
riuntur qui & quod alioqui bonum est malè "
faciant: & vestra Sanctitas ex eo grege est. "
Nam quos vestire debebatis, eos spoliatis: "
quod amarum est dulce, quod dulce est, ama- "
rum dicitis: mendaces & falsos diligitis: eos "
qui vera loquuntur, odio habetis. aspernamini "
bonos, & turpes probrosósque honore affi- "
citis: vitiosis fauetis, & vexatis honestos. "
Denique de alieno valdè liberales estis, de "
vestro parcissimi. Quid dicam amplius? "
Nempe hoc, vos multò ad remigandum in "
triremi aliqua, quàm ad id munus gerendum, "
aptiores esse: ídque affirmare ausim, vestræ "
Sanctitati plus esse virium ad tractandum re- "
mum quàm virtutis ad gubernandum Epi- "
scopatum. "

ALII dicunt, quòd vestra Dominatio "
multo honore decorata atque honestata est. "
Sed mementote Senecam dicere, Stultorum "
laudem, à sapientibus haberi pro argumento "
infamiæ: quia quidquid stulti cogitant, va- "
num est: quidquid loquuntur, falsum: quid- "
quid damnant, laudabile: quidquid appro- "
bant, malum: & quidquid laudant, infame. "

" denique quidquid agunt & moliuntur, nihil
" nisi amentia est. Sed laudari & honestari ab iis
" qui ipsi honore digni sunt, is demum verus
" honos est : summum verò & præcipuum de-
" cus, placere Iesu Christo.

" CETERVM accepi à nonnullis patientiã
" quam in tolerandis ærumnis meis adhibui,
" vestræ Dominationi plurimùm admirabilem
" fuisse: sed, vt ingenuè dicam vestra admiratio
" mihi plurimùm admirationi fuit. Nam rerum
" perperam gestarum pœnitentia & dolor è sa-
" pientia oritur: sed benè & honestè factorum
" immodica admiratio, non aliunde manat,
" quàm ab exiguo iudicio & minore vsu. Quip-
" pe vos id fugit, Nos cum Christo crucifigi oportere, quantum ad hunc mundum attinet, si velimus in futuro vnâ cum eo ęterna gloria perfrui. Vos ignoratis luculentam illam Pauli Apostoli sententiam in posteriore ad Timotheum epistola, Omnes qui piè viuere volunt in Christo Iesu, in hoc seculo persequutionem passuros. Nescitis, quod corpori damno-
" sum est, id animæ esse vtile: nescitis, regnum
" cælorum non acquiri cursu taurorũ, non lusu
" arundinũ, non arca inclusorum nummûm &
" auri copia, non seruorum fodinas exercen-
" tium ingentibus familiis (quales vestra do-
" minatio multos adhuc habet) non dolis, non
" astu, non mẽdaciis: verùm persequutione, in-
" firmitate, carcere, vinculis, paupertate, fame,
" siti, infamia, ingratiis, exiliis, tormẽtis, variísq.
" ærumnis, quæ assiduè vitam mortalium obsi-
" dent & exercent, eò perueniri. Eas verò res si vestra

Episcopi hodie in Papatu quiduis aliud sciũt & agunt quã quod sui muneris est.

2. Tim. 3. 12

vestra Dominatio ignorat, quod facilè equi- "
dem credo, annumerare vosmet potiùs bestiis "
quàm hominibus potestis. "

MVLTA præterea sunt quæ à me dici pos- "
sent, tum de vestra Dominatione, tum de ipsis "
etiam Præsidibus. Sed eiuscemodi rerum tãta "
est copia, vt verear, ne me de iis scribere ag- "
gressum tempus ipsum & charta deficerent. "
Quare verbum non amplius addam. Data "
Trugillii, xx. die Maii. Anno M.D.LII. "

Didacus Lopez de Zunegua.

¶ *Ceratum, integrum Iudicem. Hispanorum flagitiis obuiam ire studentem, mors intercipit. Iudicum onerosum munus.*

CAP. XX.

CVM primò iui Guattimalam, ibi tum Præses erat licẽtiatus Ceratus. Is ille erat Ceratus qui in Dominicã Edictum regium de libertate Indorum tulerat, vti superiùs diximus. Eum tunc Cæsar amotum Insula regendæ illi prouinciæ imposuerat: de quo verè hoc possum testificari, numquam in vniuersa India eo meliorem nec sanctiorẽ fuisse Iudicẽ: nec qui iusta edicta mandatáque regia rectius obseruaret, semper procurãdo ne Indi ab quoquam Hispano iniuria vlla violarentur, aut haberentur duriùs.

Ceratum Hispanũ iudicem Hispanorum contumaciæ tædet.

SAEPENVMERO suorum contumaciam arrogantiámque expertus quòd indigenarum salutem procuraret, pertæsúsque, optare solebat vt Deus eum à tam peruerso hominũ genere liberaret. Dicebátq; si Deus traiicere in Hispaniam ipsi concederet, se Regem monere velle, ne deinceps sacerdotem vllum transmittere in Indiam pateretur, propter flagitia eorum & intemperantissimas libidines. Sed morte preuentus, quod in animo habebat præstare non potuit.

ITAQVE successor ei alter Mexico missus est, Doctor Chesada: qui duobus pòst mensibus, quàm Guattimalam venerat, vita concessit. Qúumque ægrotantem monachi aliquot » consolarētur, dicendo, Domine Præsidens esto bono & hilari animo: aliáque eiuscemodi pro tempore subiicerent: ille excipiens, Ah quî fieri potest, inquit, vt is hilari animo sit, cui tot rerum ratio ipsi Deo reddenda est?

Iudicibus muneris administrati ratio Deo reddenda.

HOC dictum memorabile, huic loco inserere operæpretiũ visum est, vt inde sibi exemplum sumant Iudices & Magistratus: id est, vt perinde iudicent de aliis, qualiter à Deo de se iudiciũ ferri volent: atque ita bene subductis sui muneris rationibus ex hac vita exeant, 1 vt in futura æternùm non plangant.

1 INSIGNE *Ludouici, cognomento Diui, Galliæ Regis, exemplum in eam sententiam exstat. Is enim quum fortè aliquãdo ex Psalmis Dauidis preces ad Deum conciperet, interuenit aliquis, qui pro reo quodam capitalis criminis gratiam peteret. Rex, quasi aliud agens, annuit. Mox verò quum*

incidisset

incidisset in versic. *Psal.* 106. *ibi*, Beati qui faciunt iustitiam in omni tempore: *tum protinus reuocari iussit eum cui gratiam concesserat, eámque irritam fecit: memorabili edita sententia, Principem qui punire potest crimen, nec punit, non minus coram Deo reum esse quàm si id ipse perpetrasset. Pietatis esse opus, non sæuitiæ, iustitiam facere. Annal. Gall. Sed in primis memorabilis Oliuarij Galliæ Cancellarij casus & exitus, Iudicibus documẽto esse debet. Is quum tristem in pios viros, qui Cabreriis & Merindolij Prouinciæ oppidis puram religionem exercerent, sententiam latã suffragio suo contra conscientiæ iudicium, approbasset: ac postea veritatis cognitione imbutus sæpenumero fassus esset cum lacrymis se meritò ob id à Deo reiectum: tamen in tumultu Ambosiano præcipuus inter eos Iudices sedit, qui multos pios ac strenuos viros, tyrannico peregrinorum iugo & Regem ipsum & populum Galliæ liberare fortius quam felicius molitos: velut perduelles, reluctãte conscientia, dãnarunt. In iis quum Petrus Campagnacus, litteratus adolescẽs, ad causam dicendam productus esset: Cancellarius, eo neque audito neque interrogato, Suspendite, inquit, suspẽdite hunc hominem. Quid? suspendite, ait Campagnacus. Facile tibi quidem id dictu est. At si tu, ex quo id factis es promeritus, suspensus esses, iam ante triginta annos pauisses coruos, nec tot scelerum minister fuisses. Recordare mecum, quid admiseris quum Pictauij Iuri ciuili operam dares. Nũ te eo tempore vnum è contubernalibus tuis scelerate interfecisse meministi? atque inde in tantum patris odium venisse, vt ex eo te in conspectum suũ venire vetuerit? Ac re ipsa quidem*

Arquinuillerius quidam, Oliuarij tum socius, perditus nebulo, propter hoc facinus Lutetiæ suspensus fuerat. Ad hæc verba adeo perculsum memoria facinoris Oliuarium fuisse constat, vt obruto mœrore & insania animo, & inde graui morbo implicitus, horribiliter aduersus Deum ipsum fremeret. Tanta interea ægritudinis & horroris vehementia, vt quamquam defecto corpore & assiduis morbis debilitato: phrenetici tamẽ instar aut robusti alicuius adolescentis, totum cubile concuteret. Ita ægrotantem inuisit Cardinalis Lotharingus: sed Oliuarius, quum suos eius aduentu cruciatus augeri sentiret, facessere properè cubiculo iubens, ne ipsius quidem conspectum pati potuit. Vt verò paulò longius semotum animaduertit, tum altiùs ingemiscẽs in has voces erupit, AH, Ah, Cardinalis, tu nos omnes in æternum exitium trahis. Tum accedere ad ægrum Cardinalis, & consolando vltrò spiritus eius mitigare: Eum videlicet tentari, inquiens, ab immundo spiritu, sed in fide perstandum esse. Egregiè, inquit, Cancellarius, egregiè, scilicet quasi hæc tu credas. Inde aspectum eius auersatus, & nihil eloquutus vltrà, paulo pòst vita concessit. Inter lentos cruciatus, Annæ Burgij senatoris integerrimi (cuius iudicio, Cardinalis præcipiti iussu rogatúque victus, subscripserat) mortem præcipuè deflebat. Hæc est merces Iudicum, quibus Aulicæ gratiæ fumus, sua conscientia potior est.

TER-

TERTII LIBRI SVMMA ET ARGVMENTVM.

HISPANI, *subactis, aut certè tentatis, Indicæ continentis oris aliquot, Castella Aurea, Noua Hispania, Nicaragua, Iucatana, aliísque quæ Septentrionem spectant: nunc quoque versas in austros prouincias affectantes, Peruanum in primis regnum ditissimũ, Pizarro & Almagro ducibus, occupant, & legitimo rege præter fas interemto, in prouinciæ formam redigunt, Mox inter eos, vbi hostis defuit, fœda de principatu coorta dissidia, bella ciuilia accendunt: ne sublatis quidem partium ducibus exstincta.*

INTEREA *graui cum tyrannide seruitus gliscit aduersus Indos: cui tollendæ, & simul componendis prouinciæ motibus, mittitur à Cæsare vnus & alter. Mota in vtrumque contumaciter arma: sed in vltimum, Proregem videlicet, præcipuè, ab omnibus ferè colonis sæuitia Edictorum offensis, Gonzallo Pizarro duce, publicum bellum suscipitur. Prorex prælio victus interficitur. Cæsar quando vi aperta non processerat, astu rem aggrediendam ratus, vulpem mittit in Indiam, Petrum Gascam. Is, precio & præmiorum spe pellectis in se hostium ducibus ac copiis, Pizarrum viribus exutum & facilè victum morte adficit: atque ægrè compositis Peruanis rebus in Hispaniam reuertitur.*

HIS *exactis, Benzo in describendam Peruanorum religionem, mores & instituta excurrit: docétque quam Hispani non tantùm de se, sed de omnibus quoque Christianis, opinionem apud eas gentes conciuerint: Nimirum non esse homines ex hominum stirpe genitos, sed immanes quasdam beluas ex barbari elementi spuma concretas ad humani generis perniciem. Vsque adeo barbariem inter Barbaros ipsos exercuimus. Postremò librum suo ex India in patriam reditu claudit.*

NOVÆ

NOVÆ NOVI ORBIS HISTORIÆ

LIBER TERTIVS.

¶ *Fr. Pizarrus, Did. Almagrus & Fern. Luques, inita societate, expeditionem in Peruanas regiones suscipiunt. Indi Pizarrum & Almagrum malè accipiunt. Illi tandem multos post labores in speratas opes incidunt.*

CAPVT I.

IAM [1] Franciscus Pizarrus, Didacus Almagrus, Fernandus Luques sacerdos, Panamæ, certis partísque opibus fruebantur, quum pro certo accipiunt omnem illam oram Meridiem versus auro, argento, cranis, & smaragdis abũdare. Itaque tres isti simul societatem ineunt, quúmque inter eos re communi consilio deliberata, sententia stetisset, nouas terras ire vestigatum, fide inuicem accepta & data promittũt pro se quisque fidelem ad id operam collaturos: partásque opes, terras & gentes subactas, ex æquo inter se fraternè diuisuros.

Auaritia inquies & medias inter opes inops.

HIS vbi conditionibus res inter eos transacta est, naues, arma, commeatus, omnia classi ornandæ necessaria, comparant. Mox ducentis & viginti contractis militibus atque in naues impositis, Pizarrus & Almagrus anno

M.D.XXVI. paucis alius post aliũ dieb. Panama soluunt: sacerdote ibi relicto, vt quæ ad expeditionem necesse essent, curaret. Pizarrus ea ora tercentum millium spatio pernauigata, tandem litus tenens in terram egreditur. Ibi obuiam Indi progressi ad litus, terræ aditu Hispanos prohibent, multísque interemtis, Pizarrum ipsum cum aliis aliquot saucium prælio excedere cogunt. Ipse tam inauspicato principio deterritus, Panamã reuertitur, iam suscepti consilij pœnitens. Diuersa in parto Almagrus flumine aduerso subiens, quod ipse S. Ioannis numcupauit, benignè ab indigenis exceptus est, & ab iis tria amplius aureorum ducatorum millia dono data retulit. Inde ad mare secundo amne defluens, & oræ aliquantum præteruectus, in eundem fortè incurrit locum vbi socium eius malè acceptum fuisse diximus. Ergo Almagrum quoque ibi egressum Indi ferociter adorti, alterum eius oculum lapide grauiter feriunt, quem paulo pòst amisit: maximámque militum eius partem fœdè trucidant. Itaque multis amissis Panamam quoque & ipse regredi cogitur.

POSTQVAM eò peruenit, Pizarrum ibi nactus, ei significat terram ab se detectam ditissimam auri esse. itaque sibi videri de integro instaurandam classem, & denuò ad eam subigendam eundum. Quare percuratis vulneribus, cum ducentis militibus & multis Indicis mancipiis, duabus nauibus, & lintribus aliquot patriis quibus Indi singulis arboribus cauatis nauigant, portu soluunt: quúmque maximis

maximis laboribus per altum eandem illam quàm priùs oram tenerent: non tamen eodē quo primùm loco, in litus egrediuntur. Indigenæ, quum gentem illam barbatam haud satis probam esse iudicarent, strenuè in Hispanos impressionem faciunt, multísque corū cęsis, ceteros ad naues fundunt fugántque. Hispani appulsu litoris prohibiti in Gorgonem secedunt, perexiguam & desertam insulam, quæ sex tantùm mill. freto à continenti discreta est.

Mira in Barbaris iudicii sagacitas, qui ignotos tā bene nossēt.

IBI quum ea prouincia potiri cuperent, propter ingens auri oblatum specimen, nec ad id perficiendum satis militum haberent, Almagrum ad supplementum arcessendum ire placuit. Ipse eius rei causa Panamam regressus, quamquā paulo tardius ibi moratus, cum octoginta quinq; Hispanis reuersus est, & Pizarrum cum omnibus suis propè exanimatum fame reperit. Mox tamen vino, pane biscocto aliísque cibariis quæ Panama subuecta erant, refectis corporibus, inde soluentes, viginti millia pass. longius appulsi, ingenti diuitiarum spe in litus desiliunt. Sed vix egressis Indi lanceis saxísque armati superueniunt, & in Hispanos animosè gradum inferentes, interemtis aliquot, ceteros è finibus suis arcent. Hispani rem haud satis obuiam & paratam experti, in insulam desertā concedunt, quam quòd galli gallinacei effigie promontorium haberet, insulam Galli numcuparunt.

PIZARRVS ira & dolore in eam gentem incensus, ob tot interfectos ab ea milites, vlcisci suorum cædem cupiens, socium Panamā

remittit, eique negotium dat vt quammaximè multos milites contrahat & adducat. Parantem abire Almagrum plerique Hispani sequi volebant, suæ cupidini infensi, terrámque ipsam & speratas eius diuitias exsecrantes: sed quum illis duces ipsi potestatem abeundi, imò etiam scribẽdi ad suos, dare abnuerent, ne fortè aduersam de ea ora spargerent famam, & nouum subsidium impedirent, remãsere. Sed ne ita quidem fama cohiberi potuit, quominus Hispanorum clades & miserias vulgaret: scripsere nonnulli Hispani clanculum ad amicos de morte suorum, de laboribus intolerandis ærumnísque in quas incidissent: quàm misero statu res essent, postremò de asperitate ipsius regionis: plurimùm de Almagro & Pizarro querentes, quòd plerique ipsorum morbis impliciti, quum Panamam ad curanda corpora regredi vellent, liberum commeatũ ab iis impeterare non potuissent.

Hispani milites vota sua exsecrantur.

FORTE paulo antè quàm Almagrus Panamam appelleret, ei prouinciæ Petrus Flumineus (vulgò *de-los Rios*) impositus fuerat. Is tali de Hispanis nuncio accepto, subitò domesticum quendam suum ad insulam Galli ex peditè ire iubet, ac Pizarro edicere, graui constituta pœna, ne quemquam Hispanum inuitum ibi detineret. Pizarrus ex eo Gubernatoris mandato ingentem cepit dolorem: quum maxima pars Hispanorum qui cum eo erant, insula excederet. Ceteris qui remanserunt, (quatuordecim erant, omnes ferè sodales nautici) plurimas gratias agit, ac spe ingenti

splendi-

ſplendidíſque promiſsis onuſtos rogat vt patienter durare aliquot dies vellent, donec Almagrus cum nouo ſubſidio rediret. Ergo dies aliquot in inſula tolerant, oſtreis, cancris & piſcibus veſcentes, donec tandem ab Almagro nauis commeatus ſubuehẽs venit: ſed ſine militum ſupplemento, propter improſperam famam quæ de ea ora Panamæ increbuerat.

Dura militia, niſi quod inter omnia auri fames duriſſima eſt.

IN ea inſula Pizarrus aliquamdiu moratus & cum eo pauci illi, in ſumma rerum omniũ anguſtia, ſine vlla auxilii ſpe, poſtquam diu multúmque inter ſe conſultaſſent quid facto eſſet opus, tandem communi conſilio oram eam præterlegendam eſſe ſtatuunt, ſiquæ fortè ipſis diues & proſpera regio occurreret. Quingentûm millium ſpatium emenſi, quum Chiræ Peruani regni prouinciæ litus tenerent: ibi exſcenſu in terram facto, pauca indigenarum pecora & Indos adoleſcentes aliquot excipiunt, qui linguam Hiſpanicam diſcerent.

INDE Tumbeſiam regreſsi, de magnis videlicet eius populi opibus ab Indis edocti, quum ad tentandum terræ aditum non ſatis animi Hiſpano cuiquam eſſet, propter ingentem Indorum multitudinem, qui per omne ſpatium litoris effuſi conſpiciebantur: Petrus quidam, Creta inſula ortus, periculum vltrò ipſe facere ſtatuit. Itaque machæra oblonga, ex iis quæ ambabus manibus tractantur, armatus, in litus egreditur, Non parum admirationis incuſsit indigenis barbati

hominis tunc primùm à se visi species: ille intrepidè per medios progressus, ab eius oræ Præfecto comiter & honorificè excipitur. Mox ab eo in turrim præsidiariam introductus, in qua templum Soli dicatum inerat, postquam id tantis opibus, quantas vix animo caperet, excultum ornatúmque conspexit, in admirationem adeo defixus stupefactúsque hæsit, vt ea per somnium intueri se duntaxat crederet. Ad portam animalia quædam specie leonum & duos tigres, sed innoxios, reperit. Quúmque abeũtem aliquot aureis emblematis & monilibus Præfectus donare vellet, Cretensis, velut talia aspernaretur, abnuit, dissimulans se ea quærentem in eas terras venisse. Regressus ad nauim, quæ & quanta viderit refert.

Auarus callidè vitia sua dissimulans.

1 FRANC. *Pizarrus, is est quem Hoieda Vraba decedẽs, legatum suis militibus præfecerat. supr. lib. 1. cap. 19. Tum verò, quum fortunam sibi ipse laboribus, aut, vt maxima pars Hispanorum militum qui tum in India erant, rapinis, fecisset, Panamæ in re ampla & lauta erat. Fernandus Luques, scholæ cantorum primicerius (vt vocant) diues, ibi etiam manebat. Is postea exhaustis in quæsitu Peruani regni pecuniis, & eo inuento ab sociis exclusus,* Pazzo *vulgò vocatus est, id est, stultus, quòd fortuna bene vti & certis iam opibus frui nesciuisset. Gom. Hist. gen. lib. 4. cap. 1.*

¶ *Pizar-*

Pizarus, missu sociorum, in Hispaniam ad impetrandam repertæ prouinciæ subigendæ potestatem, nauigat. Sibi soli impetrat. Almagrum ab se alienat. Mox reconciliati, tertium socium extrudunt.

CAP. II.

INCREDIBILI gaudio Pizarrus perfusus, quòd in tam diuitem oram incurrisset, extemplò signo abeundi pronuntiato, in Panamam vela dat. Ibi sociis Chiræ felicitatem & Tumbesiæ oræ diuitias, aperit. Illi quum superfundenti se se lætitiæ, quantam vix animo caperent, temperare non possent: ambo, Almagrus videlicet & Fernandus Luquez, Franciscum Pizarrum mittere in Hispaniam statuunt, qui à Cęsare Tumbesiæ subigendæ potestatem peteret. Verùm à pecunia imparati, consumtis videlicet in earum terrarum quæsitu fortunis omnibus, mille quingentos ducatos aureos ab amicis mutuos sumunt, & ad sumtus illi erogant. Pizarrus in Hispaniam appellit, Senatum Indicum adit: & oræ à se nuper repertæ indicem & relationem exhibet: simul sumtus à se in ea factos & labores exhaustos referens, atque ingentes diuitias regiæ Castellæ coronæ pollicitus, Tumbesiæ potiūdæ facultatem regiménque sibi tantùm postulat, nulla sociorum mentione addita. Quæcumque petierat obtinet. itaque diplomate in eam rem à senatu scripto, à Cęsare confirmato, instructus cōtractis aliquot militibus, è portu San-lucari

Pizarrus societatē fraudat.

de Barrameda cum quatuor fratribus, Ferdinando, Gonzallo, Ioanne Pizarro, & Martino de Alcantara, vela in altum facit.

QVVM breui ſecundo vento vſus ad Nomen-dei, atque inde Panamam perueniſſet, magnificè à ſociis exceptus eſt: ſed mox vt illi reſciuere ſibi tãtùm Pizarrum in Hiſpania negotiatum, ſuis priuatim rebus, non communiter ſocietati, proſpexiſſe, æquis oculis eum deinceps intueri non potuere: Almagrus præſertim, qui tot ſumtus à ſe & maiores quàm à Pizarro factos reputãs, & exhauſtas facultates, & tres totos annos in ea expeditione conſumtos, & amiſſum oculum: & ſuper hæc etiam vt pecunia ab ſemet mutuò accepta, Pizarro ad impenſam præbita eſſet: vt is ad vniuerſæ ſocietatis vtilitatem, non ſuam vnius, procurandam in Hiſpaniam miſſus fuiſſet, memori animo reuoluens, impatientiſſimè id factum & implacabiliter ferebat. Pizarrus mitigare vltrò eius ſpiritus conabatur. Se nihil videlicet à Cæſare impetrare potuiſſe cauſatus, præter Tumbeſiæ ſubigendæ poteſtatem: bono tamen interea Almagrus animo eſſet. quippe fidem ſuam ipſi obſtringere, daturum ſe operam vt & ipſe aliud aliquod imperium in eadem prouincia obtineret. Adhæc quum eſſet inter eos ſocietas: poſſe ipſum, tanquam ſummum Gubernatorem, de rebus omnibus pro arbitrio & pari ſecum iure ſtatuere. Sed parua eius verbis apud Almagrum fides: imò etiam iſte ob hæc nugarum ludibria multò aduerſus eum indignatior, palàm dicere, Pizarrum falſum & perfidum eſſe.

Diſſidiorum Pizarri & Almagri initia.

DENIQVE quum aliquot dies in his simultatibus & iurgiis consumsissent, Pizarrus tādem necessitate magis quàm voluntate adductus: quum se videlicet sumtibus exhaustū & pecuniis ac commeatu vacuū (quibus contrà abundare Almagrum, nec quidquam erogaturum ob discordias intelligebat) quum se, inquam, nisi cum Almagro in concordiam rediret & ab eo nummis iuuaretur, prouinciam suam tardiùs initurum cogitaret: doctorem Gamam rogat vt inter ipsos concordiam reconciliet. Quid multa? istius interuentu in gratiam inuicem redeunt: iubet doctor Almagrum Francisco Pizarro arma, equos, & quidquid commeatuū prouisum haberet, & pecuniæ insuper certam summam, tradere. Pizarrum verò vicissim quoscumque honores & dignitatum ornamenta à Cæsare acceperat, ea cum Almagro participare. Ita conditionibus & pactis redintegratis, tertio socio Fernando Luque excluso, pacem & concordiam denuo inter se ineunt: ac sanciendis arctius promissis cōsecratam Hostiam, sumentes, iureiurando firmant se integra fide mutuā amicitiam ad mortem vsque inuiolatam conseruaturos.

Pizarrus & Almagrus iureiurādo amicitiam, cōfirmāt sed quod mox violent.

HIS ita transactis, Franciscus Pizarrus cū cētum quinquaginta militibus & equis multis, Panama moliens, Almagrum cum quanto posset maximo subsidio quamocyssimè subsequi iubet. Inde Colonchiam appellit prouinciæ Guancauilichiæ portum, vnde in Punam insulam trāsgressus à Præfecto perami-

cè exceptus eſt. Verùm vt ille fœda nefandáque Chriſtianorum facinora expertus eſt, per ſingulas domos aurum & argentum quærentium, feminas ad ſtuprum rapientium, ceteráque perpetrantium quæ à militibus fieri amant: cum valida Indorum manu Hiſpanos ex tota inſula expellere nititur. Sed quum impreſſionem ab hoſtibus ex aduerſo factam ferre non poſſet, cum multa ſuorum iactura, ſiluas fuga petiit. Pizarrus crudeliſſimè victoria vſus, cum multis Hiſpanis in Tumbeſiæ continentis oram L. mill. interuallo ab inſula diſtantem traiicit.

Hiſpani præclaris factis Punenſium animos ab ſe alienant.

SIMVLAC continentem attigit, indigenę auditis, quæ Hiſpani in Puna perpetrarant, in arcem aliquantum à mari diſtantem confugiunt. Pizarrus prouinciæ Gubernatorem per nuncios arceſſit, eius amicitiam multùm ſe appetere teſtatus: is verò non tantùm ire abnuit, ſed etiam hoſtiliter omnibus viribus inſultans ei quãta maxima damna potuit intulit. Itaque Pizarrus noctu flumen tranſgreſſus cũ parte copiarum, præeuntibus peritis itinerum ducibus, ſpinas, ſaltus & aſperrima quæque locorum penetrans, hoſtes incautos & ſomno ſolutos opprimit. Mox ingenti eorum cæde facta, Tumbeſiam reuertitur, vrbémque captam totam diripit, & omnibus ornamentis delubrum Solis ſpoliat.

1 *Tumbez, ſeu Tumbeſia Peruani regni oræ maritimæ prouincia, non procul ab Æquinoctiali linea, Meridiem verſus, & Indorum vrbs eiuſdẽ nominis, mox Hiſpanorum colonia,* XII. *leucis à*

Puna

Puna insula distans: unde Pizzarrus Peruanarū opum primum specimen præcepit.

2 *Id ab illis, secundò rupta concordia, & denuò reconciliata, factum scribit Gomara: atque horribili iureiurando sancitum ab Almagro nouum illud fœdus, nempe: Vter prius fœdus rupisset, tum vt Deus illius corpus animámque ad inferos detruderet. Sed ambitio auaritiáque omnia sacra iuxtà ac profana proculcant.*

3 *Puna insula ex aduerso Tumbesiæ prouinciæ sita, duarum leucarum freto à Continenti discreta, XLVIII. mill. pass. in circuitu amplectitur. Hodie San-iacobi insula ab Hispanis vocatur.*

¶ *Attabaliba Peruanus Rex, finibus suis Hispanos excedere iubet Pontificem Rom. non agnoscit. Velut neglecti Euangelij reus, vi ab Hispanis capitur.*

CAP. III.

PER eos dies Attabaliba, 1 Peruanæ prouinciæ rex Casſiamalcæ erat. Is audito peregrinā gentē barbatam in suos fines ingressā cū terribilibus quibusdā ac prodigiosis animalibus omnia loca percurrere, & cædibus ac latrociniis infesta facere: legatum ad Franciscum Pizarrum mittit, minitans nisi subditos suos tranquilla pace frui sineret, patriámque repeteret, breui infortuniū inuenturum. Ad hæc Pizarrus respondit, Se non eò venisse cuiusquam offendendi animo, sed vt ope atq; opera eos iuuaret qui suā amicitiam expeterent: id sibi disertè ab Imperato-

Pizarrus subdolum animum specie amicitię & pietatis tegit.

re principe suo mandatum: neque se posse sine magno dedecore ad eum reuerti, nisi prius Regiam ipsius personam vidisset, eique res ad felicitatem tum corporis tum animi pertinẽtes exponeret. Sub hæc Pizarrus Casiamalcam versus contendit: & per Chiræ prouinciã iter faciens, à Regulis vltro de iungenda secũ amicitia interpellatur, qui ob occupatas ab Attabaliba suas terras cum eo capitales inimicitias gerebant. Ac quia eo fortè loco nauigabile flumen erat, quà tutò subire naues poterãt, condendæ ibi coloniæ sedem eligit, cui Sanmichaelis nomen fecit: & quò quisque suum diligentius asseruaret, manubias & prædam omnem inter socios partitur.

Attabal. Hispanos nondum expertus contẽnit.

INTER hæc Attabaliba Christianos aduẽtare atque vlterius tendere audiens: sed eos paucos, defatigatos & molles vsqueadeo vt non nisi ingentibus Pachis (sic illi equos nominãt) iter ingredi possẽt, de barbatis illis ridere ipse, & remissis ad eos legatis denunciare si sua illis vita cara esset, ne longius progredi auderent. At Pizarrus, Enimuero sibi necesse esse respondet, Maiestatem ipsius coram cum debito honore visere: simul exercitũ procedere iubet: quúmq; Casiamalcã peruenisset præmittit legatos & magistos equitũ qui regis animũ statúmque explorarent, eique indicarent, venisse Hispanum ducẽ adeundi eius cognoscendíque auidũ. Ille sub aduentũ Hispanorum duo fermè mill. interiùs secesserat. Legati, vt in conspectũ regii agminis venere, agitare equos & glomerato gressu solo insultantes huc atque illuc circũflectere incipiunt.

Indi verò ad noui huius monstri conspectum obstupescere. At ipse rex nihil eo spectaculo moueri, non mirari: interea tamē irasci, quòd parum reuerentiæ atque honoris sibi exhibitum à barbatis illis crederet.

FERDINANDVS Pizarrus per interpretem se imperatoris fratrē esse significat, qui Papæ ac Cæsaris, amicitiam eius vltro appetentium missu è Castella venerit. Itaque veniendi ad se & coram colloquendi ei potestatem faceret. Quippe habere ad Regem ipsum summis de rebus mādata, eáque coram expromere velle: quibus editis mox in patriam reuersurum. Attabaliba adhæc, Ea se cuncta facturum inquit, dum ante omnia suis finibus excederent.

EA lata conditione, reuersus ad suos Ferdinandus, magnificum regis paratum & stupendam opulentiā prædicat: ceterum eum in suo regno aduenis sedes cōcedere nolle. Quę eum diem sequuta est nox, quàm longa fuit, tota ab Hispanis ducibus instruēdis ordinibus & animandis militibus cōsumta est: Victoriā videlicet esse in manibus & cum stolidis ignauísq; rem fore, quos vel solo equorū hinnitu ac fremitu perterritos, pecorum ritu, ad satietatem trucident. Inde Pizarrus, instructis ordinibus & dispositis circa palatiū & in ipsis portarum limitibus aliquot maioribus tormētis, suos hostile quidquam cœptare, nisi signo edito, vetat.

Indorum diuitię Hispanorum auaritiam & sæuitiā irritant.

SIMVLATQVE illuxit, ecce Rex amplius xxv. millibus Indorum stipatus, velut in sollēni triumpho, hominum humeris portabatur, circúpendentibus vndique aureis monilibus,

Regius Attabalibæ apparatus.

versicoloribus auium pennis præ fulgens, interula sine manicis vestitus, & pudenda bombycina fascia velatus. Sinistrum regiæ frontis latus purpureus è lana tenuissima floccus honestabat, supercilia eius & genas inumbrans: pedes, breuissimo obstragulo calceoli ornabant. Tali cultu & paratu triumphali ciuitatem & palatium iniit, ibi barbatorum aduenarum legationem per otium auditurus.

INTER hæc viam sibi ad regem faciẽs frater Vincentius de Valle-viridi ordinis Dominicani monachus, altera manu Crucem, altera Breuiarium gestans, ratus fortasse Attabalibam repentè in magnum aliquem theologum euasisse: per interpretem ei significat, Se Sacræ maiestatis Cæsareæ mandatu eius excellentiã adiisse, ídque cum autoritate Romani Pontificis, cælestis Seruatoris vicarij, qui Cæsari terras antè incognitas, & nunc primùm inuentas dederit, vt eò doctos piósque homines mittat, qui sanctissimum eius nomẽ publicè apud eas gentes prædicent, eásque fœdis ac diabolicis erroribus liberent. Inter hæc verba monachus Regi * Legem Dei exhibet, & ab eo omnia ex nihilo creata prædicat. Inde ab Adamo & Eua exorsus ordine exsequitur, vt Christus è cœlo descenderit, vt assumta humana carne in vtero virginis, in cruce mortem obierit: atque inde resurgens à mortuis, ad plenam generis humani redemtionem, in cælos ascenderit. Mox ad resurrectionem mortuorum & vitam æternam delapsus, vtramque affirmat: & à Christo Petrum primum eius vicariũ, Ecclesię gubernandæ

Euangelij Barbaris annũciandi noua & monacho digna ratio.

* Sic ille Breuiariũ suum vocabat.

nandæ impositum testatus, simul autoritatem Pontificũ ipsius successorũ adstruẽs exponẽsque postremò Cęsaris & regis Hispaniarũ, totius orbis Monarchæ, opes ac potentiam exaggerat. Itaque pro officio facturũ Regẽ si illius amicitiã accipiat, si vectigalem clientémque eius se ferat: deniq; si abdicatis falsis diis, diuinæ Legis & Christianæ religionis fidẽ & obsequium induat. Id nisi sponte fecerit, pro certo habeat se eò vi atque armis coactum iri.

His auditis Rex, Se haud grauatè summi orbis Monarchæ amicitiã accepturum ait: sed se & liberũ & regem ei quem numquam viderit tributa pendere, id verò sibi parum æquum & honestum videri, Pontificem autem insigniter fatuum & impudentem esse eo facilè prodi, quòd aliena tam liberaliter largiatur. De Religione verò, se suam abiecturum planè negauit: ac si ipsi in Christum crederent, qui in cruce mortuus esset, se in Solem credere qui numquam moreretur. Inde à monacho percõtatur, vnde sciret Christianorum Deum ex nihilo creasse omnia, & in cruce mortuum esse. Monachus ab eo quem haberet libro ea doceri respondet. Simul librum Attabalibæ porrigit: ille acceptũ inspectúmque aspernatus & renidens, Hic liber, inquit, nil mihi dicit: mox ad terrã afflixit. Monachus illico librum recolligere, & quantum niti poterat clamitans, Hispanos ad cædem accendere: Agite Christiani (aiebat) agite & tam fœdi facinoris pœnas expetite: Euangelia ludibrio habita & proiecta sunt. Trucidate istos canes, qui legẽ Dei

Pontifex de alieno liberalis.

Crudelis concionator.

ita contumaciter aſpernantur.

HAEC & talia quum magna voce dixiſſet, Franciſcus Pizarrus explicatis vexillis ſignum pugnæ, vti propoſuerat, edit. Inde fulminantia tormenta primum Indis terrorem inferũt: mox iam inſueto ſtrepitu attonitis ſuperueniunt equi, æneis tintinnabulis & crotalis latè tinnitum cientibus colla & crura circumdati: poſtremò circumſtrepentibus vndique tympanis admiſto clangore tubarum extra ſe raptos barbaros & ancipiti circumuentos malo, Hiſpani inuadunt. Indi quos non tantùm inſolitus machinarum fragor perculerat, ſed equi quoque, ferociſſimum animal, & tam acutis enſibus fœda illata vulnera turbauerant, abrumpunt ordines, & quæ cuique patebat ad fugam via velut lymphati erumpunt. Tum verò Hiſpani equites ferociter in hoſtem velut profligatum incurrunt, & fugientes proculcant : qui quum ob nimiam multitudinem alij ſuper alios cumularentur, ruinæ ſimilem ſtragem dedere. Hîc horribili cæde Hiſpani lanceis & gladiis in cadentes barbaros debacchari.

Hiſpanorum zelus, pro Euangelio ſcilicet.

Hiſpanorum equitum facilis de Indis victoria.

PIZARRVS peditum agmen ducens, rectà ad Attabalibam tendere, quem Indi multi circumſtipabant: quúmque pugnæ immemores corpora tantùm ante ipſum regem obiicerent, Hiſpani cædẽdo gradum promouebant, donec ad Attabalibam viam ſibi per hoſtium ſtragem facerent. Vt verò tandem ad eum peruenere, tum quiſque capti regis opimum decus expetens, Indos lecticarios cædere. Et iam

clade

clade ferentium è sublimi illa sella delabebatur, quum Fransciscus Pizarrus amiculo illum corripiens ad terram detraxit. Ad eum modum proiectus è sella ac prouolutus Attabaliba, nullo resistente, capitur, & Pizarri fidei ac potestati sese permittens, custodiæ traditur. Ea res bello finem imposuit, sine vllius Hispani cæde ac vulnere, præterquam Pizarri, cuius manus, quum Regem capere vellet, à milite Indum appetente, ferro icta est. Ferdinandus Pizarrus cum equitatu totum eum diem fugientibus instans, omnes vias Indorum cędibus repleuit, quum nulli neque ætati neque sexui victorum crudelitas parceret.

Monach⁹ ex concionatore lanista.

PER omne prælij tempus ipse quoque monachus milites clamore incendere non destitit, monens vt Indos punctim magis quàm cæsim ferirent, ne videlicet ensium laminas perfringerent. Hispani quum sanguinolentam eam victoriam de infelici illa gente retulissent, totam noctem quæ eum diem excepit, tripudiis & festo luxu ouantes transegere.

1 PERV *propriè prouincia exigua & inops est, quam Franciscus Pizarrus Panama soluens, impetrato à Petro Aria Gubernatore commeatu, primam aperuit, quinquaginta leucis Panama distantem: à qua postea impropriè totum illud ingẽs Attabalibæ regnũ & vniuersæ prouinciæ, quæ per omnem eius ora longitudinem, mille & ducentarũ leucarum amplius spatio, repertæ sunt,* PERV *ab Hispanis dictæ sunt. Aug. Zarat. Hist. Peru lib. 1. cap. 1.*

2 *Alexandri* VI. *Pontificis, exstat bulla, qua has terras Ferdinando & Isabellæ eorúmque successoribus donat. Eius verba quæ huc pertinent,*
" *hæc sunt: Ut tanti negotij prouinciam Apostolicæ*
" *gratiæ largitate donati, liberius & audacius assu-*
" *matis: motu proprio, non ad vestram vel alterius*
" *pro vobis super hoc nobis oblatæ petitionis instan-*
" *tiam, sed de nostra mera liberalitate & ex certa*
" *scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine o-*
" *mnes insulas & terras firmas inuentas & inuenien*
" *das, detectas & detegendas versus Occidentem*
" *& Meridiem (fabricando & construendo vnam*
" *lineam à polo Arctico, scilicet Septentrione, ad*
" *polum Antarcticum, scilicet Meridiem: quæ linea*
" *distet à qualibet insularum, quæ vulgariter num-*
" *cupantur de los Açores & Cabo-verde, centum*
" *leucis versus Occidentem & Meridiem) Aucto-*
" *ritate omnipotentis Dei nobis in beato Petro con-*
" *cessa ac vicariatus Iesu Christi qua fungimur in*
" *terris, cum omnibus illarũ dominiis, ciuitatibus, ca-*
" *stris, locis & villis, iuribúsque & iurisdictionibus*
" *ac pertinentiis vniuersis, vobis heredibúsque &*
" *successoribus vestris (Castellæ & Legionis regibus)*
" *in perpetuum tenore præsentium donamus, conce-*
" *dimus & assignamus: vósque & heredes ac succes-*
" *sores præfatos, illarum Dominos cum plena, libera*
" *& omnimoda potestate, autoritate & iurisdictione,*
facimus, constituimus, & deputamus, &c. Quo iure hæc dare potuit Papa, in quæ nullum ius vmquam habuit? Nisi fortè quia Christus cœli ac terræ hæres est, cuius bonus iste Pater vicarius est, scilicet.

3 *Eo facto facilè prodidit hic Pseudopropheta*

quo

quo ſpiritu ageretur. Quippe non ſic Chriſtus: qui arundinem quaſſatam non confringit & linum fumigans non extinguit, Matt.12.20. Itaque talem mox frugem Epiſcopus meſſuit, qualem monachus ſeuerat: nimirum á Barbaris in Puna inſula fuſte poſtea eliſus.

¶ *Attabaliba libertatem ab Hiſpanis ingenti precio paciſcitur. Hiſpanorum de ſua nece conſilia ſubolfacit, & de ſe commotas ſuſpiciones purgat. Hiſpani eius ſpoliis diteſcunt.*

CAP. IIII.

Attabaliba de Hiſpanorum ſæuitia ſecurus, auaritiam eorum explere nititur, ſed fruſtrà.

POSTERA die Pizarrus Attabalibā inuiſit, cōſolatur, & vetat metuere ne interficeretur. Rex iniquiſſimā ſuā fortunā incuſans, iniectas ſibi catenas conqueri: dein gnarus quid Hiſpani concupiſcerent, Pizarro ſpondere, ſe ſi libertas ipſi promitteretur, tantum aureorum & argenteorum vaſorum daturum, quantum implendo cœnaculo in quo erat, ſufficeret, ad id altitudinis quò ſublimè elata manu pertingi poſſet: ea tamen lege ne vaſa frangerentur quoad pactam ſummam tradidiſſet. Promittit Pizarrus libertatem, & conditionem accipit:

ATTABALIBA libertatis cupidus, & Pizarri promiſſis innixus Præfectos quoſdam ſuos per omnes regni prouincias, Cuſcon maximè, dimittit (ea vrbs ſexcenta millia Caſſiamalca diſtat) diſertis additis mandatis, vt

quamocyſſimè fieri poſſet redemtionis ſuæ pretium properarent. Itaque breui ex omnibus Regni partibus affluunt Indi aurum & argentum vehentes: ſed quum iam menſtruum ſpatium exiiſſet, & vixdum dimidia pretii pars aut paulo amplior eſſet contracta, propter immanem pecuniȩ impetratæ ſummam: Hiſpani fremere incipiunt, Attabalibam nempe ſpecie contrahendæ pecuniæ, ingentem conflare exercitum, & in ſua omnium capita conducere. Itaque maior pars Franciſcum Pizarrum hortantur, vt de eo capitale ſupplicium ſumat: feciſſétque iam tum hauddubie, ni nobiles aliquot viri illum de ea ſententia demouiſſent.

Hiſpani Attabalibæ crimina & necẽ ſtruunt.

ATTABALIBA exitii ſui conſilia coqui ſubolfaciens, multùm de Pizarro conqueri, ac dicere, Nihil cauſæ eſſe quamobrem priſtinum in ſe animum exueret: neque vſquam in ſuo Regno vlla hominum conuenticula aut cœtus fieri, niſi ad curandum & conuehendum corporis ſui pretium. quod quidem quia longinquis è regionibus comportaretur, ad tam breuem quàm vellet diem præſto eſſe nõ poſſe. Quòd ſi verbis ſuis parum fidei ineſſe ſuſpicaretur, aliquos ipſe è ſuis Cuſcon mitteret, vnde maxima pars pecuniæ imperatæ ventura eſſet. Itaque Pizarrus eò Sottum trib. mil. & duos præterea Hiſpanos mittit. Illi quũ in ipſo itinere obuios ſubinde Indos aureis & argenteis vaſis onuſtos haberẽt, rem ita eſſe vti Rex dixerat facillimè compeіriunt: quum tamen Cuſci opulẽtiſsimæ vrbis diuitias

Attabaliba aduerſas de ſe ſuſpiciones rebus ipſis reuincit, ſed fruſtra.

diuitias ipsi capessere oculis concupiscerent, regredi è via noluerunt.

FERDINANDVS Pizarrus, fratris iussu, cum equitibus aliquot diuersa loca peruagatus, in multos & ipse Indos incurrit, qui aurum Cassiamalcam conueherent. Inde in interiora progressus in Pacamam peruenit, vnde quoque ingens auri & argenti summa deportabatur. Summa pretij pro redemtione Attabalibæ persoluti, cum eo quod præda contractum erat, duos auri milliones, id est vicies centies aureorum castellanorum millia, superauit. Ea pecunia in vnum collata, postquam quinta Regio fisco seposita est:[1] vt singuli quod suum erat seruarent, inter omnes pro meritis & dignitate cuiusque diuisa est.

Hispani Attabalibæ adhuc viuentis, videntísque spolia inter se diuidunt.

QVVM inter hæc fortè aduenisset Didacus Almagrus, ei quoque, nequem tumultum moueret, debitam pecuniæ partem, eiúsque militibus, nonnullis quingentos, quibusdam etiã mille ducatos Pizarrus dedit. Secundum hæc Ferdin. Pizarrum & vectigal quintæ ad regem Hispaniæ mittit, eúmque de rebus à se gestis edocet: cum Ferdinando multi Hispani, triginta & quadraginta millium ducatorum precium referentes, in patriam reuersi sunt.

1 *Ex ea præda Regi in quintæ vectigal quadringẽta aureorum castellanorum millia obuenere. Hispano equiti cuique octo mille & nongenti castellani, seu pesi aurei, vt vocant: & trecenta sexaginta argenti pondo. Pediti mille, quadringenti & quinquaginta aurei pesi: & centum octoginta põdo argenti. Nulli vnquam milites adeò diuites,*

nec tam breui, nec tam paruo labore ac periculo, euaserunt. Sed plerique qua facilitate tantas opes quæsiuerant, eadem amisere: ganeis alij, alij alea. Intentis quidem interim adeo rerum precijs, in tanta auri argentique vilitate, vt caligæ è panno triginta castellanis æstimarentur: ocreæ tantundem: penula nigra centum: scapus chartæ, decem: amphora vini, viginti: equus tribus, quatuor, immò etiam quinque, millibus ducatorum veniret: quo pretio etiam postea aliquandiu stetere. Ita ex eo quæstu plus sumtus quàm lucri, & in summis diuitiis summa inopia. Gom. Hist. gen. lib 4. cap. 11. 7.

¶ *Attabaliba morte adficitur à Pizarro. Quisquiz eius legatus prælio ab Hispanis vincitur. Franciscus Pizarrus Cuscon, Peruani regni caput, captam diripit.*

CAP. V.

HIs ita, vti diximus, confectis, Franciscus Pizarrus, Didac⁹ Almagrus, ceteríque duces communi cõsilio deliberãt quid de Attabaliba statui par esset. Nonnulli necandum esse: alii soluendum censebant: erant etiam qui in Hispaniam mittendum ad Cæsarem dicerent. Tandem quum omnes sententiam rogati dixissent, vicit ea pars quæ necandum censebat.

TRADITVM est à nonnullis, Indi cuiusdam Philippilli [1] indicio proditum ac necatum Attabalibam, quum videlicet ille Francisco Pizarro occulta Attabalibæ consilia

enun-

enunciasset, clanculum Indos ad Hispanorum cædem sollicitantis. Verùm ipse audiui ac comperi Pizarrum ex quo Attabalibã captum in potestate habuerit, iam tum statuisse eum è medio tollere, quò facili' eas prouin cias subigeret: quippe sublato capite, membra haud difficulter in perpetuam seruitutem concessura. Atque id verum esse, perspicuè ex eo apparet, quòd Pizarrus, nisi Attabalibæ necem suffragio suo comprobasset, poterat eum honorificè in Hispaniam ad Cæsarem mittere: quod vt faceret multis precibus ab eo Attabaliba contendit. Ergo non sine omine ac Dei nutu contigit, vt omnes qui de necando Attabaliba consenserunt, postmodum infelicem vitæ exitum inuenirent. [2]

Attabal. ab Hispanis necatur, vt facilìùs eius subditos sub iugum mittant.

AT tum Attabaliba, accepto mortis suæ nuncio, lugubriter in suspiria & lacrymas effusus, Barbatorum aduenarum sceleratam perfidiam incusare exorsus est. Mox quum Pizarrus sententiam in eum latam ipsi edidisset, totus in preces abiectas versus, eo prorsus ritu, quo Solem præcipuum suorũ numinum Indi adorant, tali ad eum oratione vsus est: "PLVRIMVM te miror, inquit, Imperator, "quòd quum fidem tuam iureiurando obstrinxeris, te, si pecuniæ promissæ summam darẽ, "non tantùm mihi, exemtis vinculis, libertatem redditurum, sed etiam cessurum finibus "meis: mihi tamen, postquam pactum pretium "accepisti, libertatis loco extremum & infame "supplicium indices. Si Philippillus me apud "te criminatus est, de subditis clanculum ad

Attabal. verbis Pizarrũ frustra flectere conatur quem auro nequiuerat.

„ vestram cędem sollicitatis, ficto crimine ab eo
„ circumuentus sum: neque id mihi vmquam in
„ mentem venit. Itaque vitæ vsuram mihi vt cō-
„ cedas te rogo, quādo aduersum te nihil morte
„ dignum nec admisi nec cogitaui. Ac si mihi
„ parua apud te fides est, mitte me in Hispaniam
„ ad Cæsarem, cui ingens auri argentíque pon-
„ dus muneris loco deferam. Quod si vitam mi-
„ hi eripis, pro certo habeto, subditos meos non
„ prius conquieturos quàm alio creato rege, ve
„ stra omnium Barbatorū internecione necem
„ meam expiauerint. si verò vita conceditur, Re
„ gnum quietum ac tranquillum continebo: ne-
„ que erit quisquam qui commouere se audeat.
Vt finem orationi Attabal ba imposuit, ma-
nantibus vbertim lacrymis, Pizarrus excipiēs,
iam reuocari posse sententiam negauit. Ita-
que eum Numidis, quos talibus ministeriis
assuetos habebat, ad supplicium tradit. illi la-
queum ceruicibus innexum cuneo ligneo in-
torquent (id Hispani vulgò Garottum vocāt)
& fauces regi elidunt.[3]

Hvnc vitæ finem Rex Attabaliba ha-
buit: vir mediocri statura, prudens, animosus,
& imperij cupidus. Quo tempore primùm
Pizarrus eius regnum ingressus est, cum Guas
care fratre natu maiore, qui in Regnum pa-
ternum successerat, bellum gerebat: eúmque
mox captum necari iussit. Vxores multas ha-
buit, quarum præcipua & legitima, soror erat,
Pagha nomine: & ex iis aliquos liberos sustu-
lit. Ceterum omnium rerum nostratium
quas Hispani ei ostentarunt, nullam libentius
inspe-

inſpexit quàm vitrum, dixítque Pizarro, Se plurimùm mirari quòd quum in Caſtella rei tam pulcræ copiam haberent, perueſtigandis metallis adeò vilibus auro & argento, peregrinas terras & maria obeundo, ſemetipſos fatigarent.

Attabal. vitrum auro antepo-nit.

EIVS parens Guaiuacaua dictus eſt, popularibus dum viueret adeo carus & venerabilis, vt eum etiam hodie lugeant, ac vulgò perſuaſum habeant illum ad vitam propediem reuocatum, regni gubernacula ſuſcepturum. Iacet in Quitenſis vrbis finibus, maiorum ſuorum tumulis illatus, cum immenſa auri & argenti elaborati copia, hominum, feminarum, animaliúmque omnis generis ac piſciũ effigie. Hiſpani ſedulò ſepulcrum eius à compluribus Indis etiam tormentis vehementiſſimis, quæſiuere: ſed fruſtra. Neque illi vnquam eum locum indicio ſuo prodiderint, etiamſi omnes ad vnum interficiantur.

INTERFECTO rege, Franciſcus Pizarrus Caſsiamalca mouens, Cuſcon regni Peruani caput, occupare properat. Obuiam fit ei cum exercitu Quiſquiz Attabalibæ legatus, & præcipuus ducum, qui cum magna multitudine in aciem progreſſus Barbatos perſequi & Regis ſui necem vlciſci magno animo ſtatuerat. Eum tumultuariis aliquot præliis expertus Pizarrus, tandem cum ingenti Barbarorum ſtrage in fugam verſum, Almagro cum parte copiarum perſequendum & reliquias belli exſtinguendas, relinquit. Ipſe, quinque

Quiſquiz Attabal. principis ſui necem vlciſci ſtudet.

tantùm Hiſpanorum iactura facta, vlterius progreſſus, quum iam Cuſco in conſpectu eſſet, & multi paſſim ignes apparerent: ratus fugiſſe ciues & ignem ſubieciſſe vrbi, equites ad rem explorandam præmittit. Illi ignes eſſe è ſpeculis accenſos deprehendunt, qui Barbatæ gentis aduentum Præfecto ſignificarent: procedunt tamen animi alacres, & iam fermè in collem vrbi propinquum euaſerant, quum repentè ſeſe oſtendentes Barbari, ſubeuntes Hiſpanos propellunt & ſaxis obruunt.

INTER hæc ſuperueniens Pizarrus, fugientes ſuos colligit, & cũ omni equitatu in Barbarorum cuneos effuſis habenis inuectus, vertit pugnæ fortunam, & feriendo ac cædendo obuios Indos in fugam auertit. Illi furioſo equorum impetu & acri gladiorum acie perterriti, arma etiam paſſim abiecere quò expeditius fugerent. Interueniente nocte Pizarrus inſidias metuens, eo ipſo loco in quo eum nox deprehenderat ſuos conſidere iubet & caſtris locum capere. Itaque Indis fugiendi ſpatium datum eſt, quorum plerique cum pecoribus, veſtimentis, & ſale, deuios montes petiuere. Poſtera die Pizarrus Cuſcon ingreſſus præſidium obtruncat, ceteros capit, vrbem diripit, & ditiſſimum Solis templum ſpoliat. Itaque magis prædæ è Cuſco quàm ex Attabaliba Caſſiamalcæ contractum eſt. Sed ne ita quidẽ expleta hiãte militum auaritia, omnes inſatiabili auri cupidine ardentes, captiuos omni genere

crucia

cruciatus torquere, vt defossas pecunias & sepultos thesauros proderent: vt verè quidem hîc exclamare nobis liceat, O quot Nerones, quot Domitiani, quot Commodi, quot Bassiani, quot immites Dionysij, eas terras peragrauere! Ibi reperti sunt Hispani qui truncidatos ad ludicrum oblectamentum Indos vorandos canibus obiicerent 4.

Hispanorum militum crudelis auaritia.

DIREPTA Cusco, & diuisa inter Hispanos prouincia, Marchio in maritimam oram regressus, Didacum Almagrum ibi repertum nuper victæ prouinciæ Gubernatorem designat, & eò cum imperio mittit. Ipse ciuitatem-Regum nouam coloniam ad fluminis Limæ ripam condere incipit: inde Trigillium proficiscitur, vt captiuos Indos inter Hispanos colonos diuideret, quorum opera in subigenda prouincia vsus erat.

Lima, seu Regum-ciuitas, colonia.

1 PHILIPPILLVS *hic, vnus erat ex ijs adolescentibus Indis, quos Hispani principiò in Tumbesiæ ora exceperant, vt Hispanicam linguam discerent: de quibus huius lib. cap. 1. Hic quũ vnius ex Attabalibæ concubinis amore deperiret, pactúsque ducturum eam in coniugem, si fortè moreretur Attabaliba: explendæ cupidinis auidus, Regi insidias struit, & conciri ac sollicitari ab eo clanculum populares aduersus Hispanos Pizarro defert. Gomar. Hist. gen. libro 4. cap. 118. Attamen, si Benzoni credimus, totus hic mimus ab Hispanis fictus & compositus videtur, vt Attabalibæ necis inuidiam ab se in alium deriuarent.*

2 *Franciscus Pizarrus & eius fratres Didaco*

Almagro gulam laqueo frangi curarunt. Didaci Almagri filius Didacus Fr. Pizarrum domi suæ interfici iussit: quem mox Vacca de Castro capitali supplicio adfecit. Ioannes Pizarrus ab Indis in Cusco vrbe mactatus est, Vincentius de Valleviridi monachus ille, qui primus Hispanos ad cædem Indorum accenderat, in Puna insula fustibus elisus à Barbaris. Ferdin. Pizarrus in Hispania in vinculis consenuit. Gonzallus Pizarrus vltimus fratrum Pizarrorũ, quum aduersus Regem Hisp. bellum in Peru mouisset, captus à Petro Gasca & vltima pœna affectus est. Ita iniusta Attabalibæ cædes omnium propè eius autorum tristi exitu tandem pensata & expiata est.

3 *Prodigia nõnulla mortem eius, & quæ inde sequuta sunt mala, portendere. Nam* XX. *diebus antequam hæc acciderent, ingens cometes, Cuscon versus, maximam noctis partem effulsit. Terrificum id sidus repentè conspicatus Attabaliba sub vesperam, eo die fortè solito lætior, verso ad Hispanos sermone: Breui, inquit, in his regionib. magnus aliquis Princeps occidet. Ita nimirum imprudens mortem sibi imminentem prædixit. Ceterum (vt Hispani scriptores tradunt) Pizarrus eum proditionis damnatum, nisi baptisaretur, viuum comburi iussit. Quum ad supplicium duceretur, Christianum fieri cupere se dixit. Itaque Pizarri iussu baptizatus: mox remissa pœnæ acerbitate, alligatus ad palum, medio Cassiamalcæ foro strangulatus est. Adeò non puduit istum subulcum cnm Indiæ rege tam fœdo more agere.*

4 *Tantæ huius sæuitiæ, cuius non pauca exempla exstant, adeo nonnumquam canes ipsos puduit,*

vt

vt crudelitatis alienæ ministerio fungi non sustinerent. Memorabile vnũ referam. Didaco Salazari, (cuius inter San-ioannis insulæ primos occupatores celebre adhuc nomen est) canis erat molossus, acer & Barbaris inprimis infestus, Bezerrillum vocabant. Nocte quæ diem, quo Cacicum Mabodomacam prælio Hispani vicerunt, sequuta est, Salazar canem aduersus Indicam anum, quæ inter captiuos erat, emittere constituit. Id vt commodiùs faceret, epistolam tradit vetulæ perferendam ad Gubernatorem, qui duobus inde fortè milliaribus aberat: sed eo consilio vt simulatque à suorum conspectu ablata esset, canem in eam solueret. Ea quum læta abiret, sperans se huius epistolæ beneficio libertatem consequuturam, víxque inde lapidis iactu abesset: Salazar canem emittit: is vetulam facilè assequitur. Misera anus, vbi molossum furibundum ad se rectà tendere videt, humi residens, his eum idiomatis sui verbis mulcere incipit: "Domine canis, domine canis, ego fero istas litteras ad Gubernatorem: obsignatam epistolam ei ostendens: & addens, Ne sæuias in me, domine canis." Hîc canis, velut supplices illas & abiectas preces sensisset, protinus mitigato impetu substitit, & sublato altero crure, vt canes ad parietem solent, eam perminxit. Ea res Hispanis, qui ferociam & sæuitiam animalis nouerant, miraculo fuit: puduítque ipsos fœminam interficere cui canis pepercisset. Ouied. Hist. Ind. lib. 16. cap. 11.

¶ *Almagrus Peruani regni Mareschallus designatur. Chilensem prouinciam petit. Mangus Attabalibæ frater rebellat. Cuscon vrbem capit. Pizarrus vndique in eum auxilia contrahit.*

CAP. VI.

Almagrus Mareschallus Peru.

PER eos fortè dies Almagrus litteras à Cæsare accipit, quibus, se ab eo Mareschallum Peruani regni designatũ intelligit: & vltra fines prouinciæ à Pizarro deuictæ trecenta millia passſ. suo imperio attribui. Hoc tam læto nuncio auctus, quum Cuscon vrbem extra terminos prouinciæ Pizarri, & sui imperij esse sibi persuaderet, repentè priuato consilio Indica mancipia & agros de integro partiri pro sua libidine instituit.

ID vbi cognitum Pizarro, extemplò Ioannem fratrem suũ eò cum Hispanis aliquot & imperio mittit, qui Almagri conatibus obuiã iret: ne videlicet absque suo permissu quidquam ab eo in prouincia nouaretur. Ioannes re inchoata, nec dum perfecta, reuertitur. Itaque Pizarrus ipse per dispositos equos Cuscõ petit, Almagrum conuenit. ille primò Cæsareis literis fretus, Pizarro obsequi negat: ad extremum tamen, vbi viribus se imparem cognoscit, se ad omnia paratum quæ ille vellet, esse simulat.

Indorum strategema.

CETERVM Indi quum terras suas desolari quotidie, haud satis æquo animo ferrẽt, & noua subinde auxilia Hispanis summitti, priusquã amplius crescerent, libertatis recuperãdæ cupi-

cupidine, Christianorum vires dispergere statuunt. Itaque disseminant Chilen prouinciam Cusco mile pass. millia distantem, versus [1] Magellanicum fretum, auri & argenti ditissimam esse aliísque rebus omnibus abundare quæ ad tuendam vitam sufficerent. Hanc tam speciosam occasionem extrudēdi Almagri oblatam amplexus Pizarrus, non prius stimulare hominem destitit quàm illum ad eam expeditionē suscipiendam impulit. Conuenit inter eos, vt si felicem eam ac commodam prouinciam iudicasset Almagrus, eius administrationē propriè sibi à Cæsare peteret: sin minus, reuersus prouinciæ iam paratæ & communibus armis partæ æquam portionem acciperet, ex pactis & conditionibus quę inter eos Panamæ conuenissent. Ita nouis de integro sacramētis mutuam amicitiam sanciunt & inuiolatam ad extremum conseruaturos confirmant.

Almagrus in Chilen prouinciā sterilē, per speciē honoris ablegatur.

INDE Almagrus destinata exsequi pergit, & equis, armis, rebúsque aliis ad expeditionē necessariis comparatis, cum quingentis militibus multísque Indicis seruitiis mouit: ac quāquam immensis laboribus & intolerabili propè tempestate vexatus per montes perpetuis obsitos niuibus iter faciens, vbi maxima pars Indorum, & aliquot Hispani equíque frigore obriguere: procedere tamen quò intenderat perseuerauit, ac vix tandem in Chilen prouinciam peruenit.

HAVD multò post Almagri discessum, Ferdinandus Pizarrus Limam appellit à Cæsare diplomata & priuilegia afferens: Vnum

videlicet fratri ſuo, quo is Marchionis titulo augebatur: alterum Didaco Almagro, eodem exemplo quo literæ quas iam ille à Cæſare de honore ſibi delato acceperat. Atque hic fons fuit, vnde mox atrocia inter eos orta bella tādiu durauere, quoad altero in vinculis ſtrangulato, altero domi ſuæ interfecto, vtriuſque exitio finirentur. Sed hæc, quum ad inteſtina bella ventum erit, ſuo loco dicentur: neque de his alia ferè trademus quàm quæ vulgò nota & omnibus manifeſta ſunt. Quum enim hiſce de rebus multa à multis audierim, alios aliter ea narrare atque in multis diſcrepare inter ſe comperi, ſtudiis videlicet partium aut fauore cuiuſque in ſuum ducem propenſo præoccupatis animis. Addo etiam amplius, in illis terris veri perpaucis curam eſſe.

Peruani, duce Māgo, aduerſus Hiſpanos rebellant.

INTER has rerum vices Mangus Inga Atabalibæ frater, cuius capiti Franciſcus Pizarrus diadema regium impoſuerat, quum tumultum & nouas res moliretur, à Ferdinando Pizarro oppreſſus eſt. Is regulum ferreis compedibus onuſtum Cuſcenſis arcis cuſtodia incluſit. Sed breui ab eius fratre Ioanne, vinculis leuatus eſt, quum præter magnum auri pondus ei datum, etiam ſe fidum atque amicum fore promitteret. Mox tamen vt emiſſus eſt, Hiſpanos animaduertens diſperſis agminibus, cædibus incendiiſque latrocinij veriùs quàm iuſti more belli, omnem prouinciam peruagari: clanculum contractis militiæ ducibus & rebus omnibus ad bellum neceſſariis com-

comparatis rebellionem cœptat. Ac repentino impetu loca aliquot circumuolitans, multos Hiſpanos aurifodinis intentos opprimit, & cum Indis quoque ipſis, quorum illi opera in auro effodiendo vtebantur, interficit. Mox vnum è legatis ſuis, cum Indorum non ſpernēda manu ad occupandā Cuſcon mittit. Ille necopinanti ciuitati ſuperueniēs, arcem quoque eodem impetu capit, & Ioannem Pizarrū cum aliquot Hiſpanis interimit. Eam quum breui recuperaſſent Hiſpani, paulo pòſt Mangus Inga centum amplius millibus Indorum circumſeſſam denuo expugnat, incēdit, & maximam Hiſpanorum partem trucidat.

MARCHIO audita rebellione Mangi, nec tantam armatorum multitudinem quanta erat, ab eo excitam ratus, Didacum Pizarrum in eum cum ſeptuaginta quinque Hiſpanis mittit: ſed iſtorum cladis ne nuncius quidem ſuperfuit. Nec diſpari euentu cum Barbaris pugnauit Morgouius trib. mil. qui Guamāga profectus vt opem Cuſco ferret, ab Indis cum multis Hiſpanis oppreſſus eſt. Itaque Marchio Gonzallum Tapiam cum octoginta equitum turma eò properare iubet: ſed & iſte cum maxima ſuorum parte non procul Guamanga occubuit: Gaeta quoque alius trib. mil. & quinquaginta ſimul Hiſpani, parem exitum habuere.

Hiſpanorū ab Indis acceptæ clades.

INTEREA Marchio anxius animi, quum multo elapſo tempore neque à fratribus, neque ab aliis ducibus & legatis ſuis nuncium vllum acciperet, & nonnihil mali ſuſpectans:

præter ſuperiores duces Franciſcum Godoiũ cum quadraginta equitibus eò dimiſſum, quæ compererit renunciare iubet. Ille in anguſto ſaltu deprehenſus, quum vndique irruentibus barbaris fœdam ſuorum cædem ante oculos cerneret, vitæ magis quàm decoris memor, quum fortè præualenti equo veheretur, eum in fugam vertit, & in ipſo itinere de rerum omnium euentu à quibuſdam Hiſpanis certior fit. Vt Limam regreſſus eſt, Marchioni clades ſuorum, obſidiones vrbium & exſcidia renunciat: inſuper etiam addens, aduentare ingentem hoſtium exercitum & rectà Limam tendere.

MARCHIO extemplò Petrum Lermam cum quinquaginta equitum turma & multis Indis amicis obuiam ire hoſti iubet: ac poſtridie ipſe quoque vrbe egreſſus, hoſtibus pugnandi copiam facit. Acerrimè vtrinque & æquo propè marte res geritur: tandem Indi, quum impetum Chriſtianorum ferre non poſſent, terga vertunt & collem non procul Lima editum ac munitum occupant. Multi eo prælio Indorum cecidere: ex Hiſpanis duo tantùm: multò tamen plures ſaucij, & Petro Lermæ dentes lapidis ictu excuſſi ſunt.

Pizarrus auxilia vndique corrogat.

INTEREA Marchio, tanta rerum anguſtia conſtrictus, quadringentis Hiſpanis amiſſis, & ducentis amplius equis: quum neque à fratribus nuncium vllum acciperet, & Almagrum in Chilenſi prouincia mortuum eſſe crederet, & in tanta militum penuria tot repentè hoſtibus circumuallaretur: primùm

Alphonſum

Alphonſum Aluaradum, qui Chiachiapoios ſubigebat, quamocyſsimè arceſsit, & cum ſuo exercitu accurrere in ſubſidium iubet. Simul literas & nuncios diuerſa in loca dimiſit, Trugillium, Panamam, in Nicaraguam, in Nouã Hiſpaniam ad Ferdinandum Corteſium & alias Hiſpanorum colonias: atque ex omnibus auxilia exciuit. Primus omnium ducum Hiſpanorum Alphonſus Aluaradus Limam peruenit: quem mox Marchio legatum ſuum & totius exercitus ſummum imperatorem deſignat.

Is cum trecentis Hiſpanis, maximam partem equitibus, obuiam ire hoſti properat, non prius conquieturus quàm deletis funditus Indorum copiis Cuſcon obſidione ſoluiſſet. Primùm igitur deiectis Indis è montibus Limæ propinquis quos inſederant, longiùs progreſſus Tizoiam præcipuum Mangi Ingę legatum quinquaginta amplius millia Indorum in acie habentem, prælio fuſum terga vertere coegit. Ipſe quum in Sauſam vrbem ad ſaucios curãdos conceſsiſſet, ibi Gomezium Tordoiam & ducentos Hiſpanos ſibi à Marchione miſſos in ſubſidium reperit. Mox inde degreſſus Tizoiam denuo obuium habet. is nouis ſupplementis inſtaurato & aucto exercitu, ſolutos recenti victoria Barbatos oppreſſurum ſe ſperauerat. Vbi in conſpectu fuere acies, neutris certamen detrectantibus, ſtrenuè pugnatur: donec ingenti edita ſtrage, Indi in fugam verſi ſunt.

Peruani reges ſuos olim Ingas vocabant.

1 MAGELLANICVM *fretum, quod à Ferdinando Magellane Lusitano repertum est, anno* M. D. XX. *quum ad Austrum vltra Æquinoctialem plagam tres & quinquaginta gradus confecisset. Ex ea classe, vna nauis, Victoriæ nomine insignis, anno* M. D. XXII. *toto circumuecto orbe, Hispalim rediit. Itaque eius nauclerus, Ioannes Sebastianus de Cano, scutum suum insigni orbis effigie, & his circum inscriptis verbis, nobilitauit,* PRIMVS CIRCVMDEDISTI ME.

¶ *Almagrus è Chilensi prouincia redit. Mangus fuga montes petit. Almagrus Cusci ingressu à Ferd. Pizarro prohibitus clam vrbem intrat. Per speciem colloquij structas à Fran. Pizarro insidias declinat. Mox prælio victus à Ferd. Pizarro capitur, & in custodia necatur.*

CAPVT VII.

DVM hi motus agitãtur, diuersa parte Almagrus Chilensem regionem inopem & sterilem, non vt fama erat, diuitem nactus, ex ea prouincia excesserat. Iámque appropinquabat Cusco, quum Mangus Inga, audito eius aduentu, metuens ne ipsius simul & Marchionis copiis circũfusus atque inculusus vndique exitum nõ haberet, abiecta recuperãdi sui status spe, cum viginti amplius Indorum millibus, soluta Cusci obsidione, montes quosdam Guamangę imminentes insedit. Sed quum locus incultus & asper tantæ multitudini alendæ non sufficeret, paulatim dilapsi ferè omnes in diuersa abiere. Ipse Mangus tribus tantùm aut quatuor millibus Indorum

rum comitantibus amicitiā Hiſpanorū in totum aſpernatus, inter illos montes conſedit.

Qvvm aliquanto pòſt præſes Gaſca, regno huic componendo quæſitus, poſtquam Gonzallum Pizarrum capitali ſupplicio affecerat (vt inferiùs dicetur) miſſis ad Mangum Indis eum ad ſe arceſſeret, iuberétque ſub imperium ſuum ſine vllo metu concedere (quippe ſe eò veniſſe vt pœnis noxios & præmiis bonos afficeret: ſe componendis prouinciæ motibus & reſtituēdæ omnium libertati miſſum eſſe: quum, inquam, Gaſcæ miſſu, Indici legati hæc Mango expoſuiſſent: Tum ille, Ecquid putatis, inquit, vos mihi facturum hunc Apum (ſic illi Principes vocant) poſtquam me ipſius fidei ac poteſtati permiſero? Hîc Indi, Idem de te ſtatuet, inquiunt, quod Franciſcus Pizarrus de tuo fratre. Petet abs te plenam auri & argenti domum: mox te ſtrangulandum carnifici tradet. Ita irrita legatione Indi domum reuerſi ſunt.

Mangus eorum verbis ſibi os ſublini nō ſinit, quorū mores nouerat.

Qvvm, vti diximus, Mangus Inga deuios montes fuga petiiſſet, Didacus Almagrus breui Cuſcon perueniens, ciuitatem velut ſuæ prouinciæ, Gubernatoris iure, ingredi voluit. Sed Ferdinandus Pizarrus introire parantem repulit, cauſatus, Sibi non licere eum in vrbē accipere abſque Marchionis fratris ſui permiſſu, cuius nomine atque auſpiciis ei prouinciæ ipſe præeſſet. Ceterum ſi tanquam priuatus intrare vellet, eum verò multò libentiſſimè cum militibus ſuis excepturum, tantiſper dum de fratris volūtate certior eſſet

Bellorum ciuiliū inter Almagrum & Pizarrum tēcamēta.

factus. Hîc Almagrus dicere, Vt domum ſuã iniret, nihil ſibi eſſe opus facultatem à quoquam petere. Tandem multis vltro citróque inter altercantes commutatis verbis, poſtquã Almagrus Pizarrum perſtare in incepto nec ſe admitere velle comperit: noctu amicorum quorumdam ciuium ope vrbem intrat, & Ferdinandũ ac Gonzallum Pizarros incautos opprimens, vtrumque ſeparata cuſtodia attineri iubet. Ac Ferdinandus quidem, vt totius mali cauſa, ab eo mori iuſſus eſſet, ni amicorum interuentu & accuratis precibus protectus veniam obtinuiſſet. Luce orta Almagrus ex Regij diplomatis præſcripto, approbantibus ciuibus, publicè præconis voce Gubernator pronunciatus eſt.

Almagri in hoſtem clemẽtia, ipſi poſtea exitioſa.

INTER hæc nuncius adfertur Almagro, Alphonſum Aluaradum, Franciſci Pizarri legatum, cum valido Hiſpanorum exercitu caſtra habere ad Abancaiam flumen. Ergo metuens ne ille copias aduerſum ſe duceret, Hiſpanos ad eum aliquot mittit, qui denunciarent, vt aut Cuſcon in fidem & imperium ſuũ concederet, aut exiret è prouinciæ ſuæ finibus. Sed vbi legati non reuertebantur, nempe ab Aluarado retenti, copias inſtruit, & fidiſsimis ſuorum tum ciuitatis tum captiuorum cuſtodiam committens, Cuſco cum non ſpernenda manu mouet. Quum ſub noctem ad Abancaiam perueniſſet, nuntiatúmque eſſet eius pontem magno Hiſpanorum præſidio obtineri: tranſmiſſo raptim vado, de improuiſo Aluaradi caſtra ingreditur, cúmque ſine cuiuſ-

cuiusquam cæde cum multis Hispanis capit.

ALMAGRVS eius victoriæ successu infla tus, Cuscon reuertitur, & iureiurando affirmat se non priùs quieturum quàm omnes Pizarristas ex Peruano regno eiecisset. Aluaradum in eandem custodiam qua Gonzallus Pizarrus attinebatur, condit: illi præmiorum ingentium spe corruptis custodibus, nocte quadam ambo vinculis elapsi, in vrbem Regum perueniũt, & Marchioni hęc omnia exponũt. Ille quingentorum militum manu facta, rectà in Almagrum ducere constituerat: ni Ioannes Gusmannus, Didacus Mercatus procurator eius, & monachi aliquot ordinis D. Mariæ Mercedis, eius destinatis obuiam issent. Illi enim ex apparatu Marchionis in Almagrum ingens aliquod malum oriturum pręsagientes, reducere eos in mutuam gratiam conati sunt. Itaque tota controuersiæ decisio istis concordiæ sequestribus committitur. Illi ita pronunciãt Placere vt vtrique arma ponerent: Almagrus Ferdinandum Pizarrum è custodia emitteret: ambo in Hispaniam ad Cæsarem scriberent, qui de integro eorum prouincias atque imperia definiret: postremò ambo Malam locum colloquio destinatum conuenirent ad sanciẽdam concordiam, decem tantùm equitibus stipati.

HIS conditionibus latis, Marchio Lima Malam contendit, & Gonzallo fratri suo negotium dat vt cum omni exercitu sequatur: ceterum in transitu, quâ Almagrus iter facturus erat, aliquot tormentularios in insidiis cõ-

Pizarrus specie recõciliationis Almagrum insidiis captat.

dat, qui hominem incautum interimant. Eius conſpirationis monachos quoque conſcios fuiſſe fama eſt: cuius tamen non is ſucceſſus fuit quem exſpectauerant. Simul enim vt Almagrus Malam peruenit, cum Marchione congreſſurus, Pizarri miles quidam propiùs succedens ei in aurem dicit, Si cara illi ſua vita eſſet, ſtatim nulla interpoſita mora abiret. Ille extemplò in equum aſcendens cum comitibus abiit: quúmque inſeſſum à tormentulariis locum fortè animaduertiſſet, diuerſo itinere Cuſcon trepidè repetit. Multùm interea de Pizarriſtis & monachis conquerens, dicénſq;, Inde à Pilati temporibus non iniuſtiorē vmquam editam fuiſſe ſententiam fraudémque quàm quam iſti moliti eſſent.

MARCHIO res patefactas & infenſum Almagri diſceſſum cogitans, ac veritus ne de fratre Ferdinando, quem adhuc in poteſtate habebat, grauius aliquid conſuleret: Didacum Aluaradum Cuſcon ad placandum eum mittit, rogátque vt quacumque ratione pacem concordiámque inter eos conciliet: iureiurando affirmans ſe inſidiarum quas frater paraſſet planè ignarum eſſe, eáque omnia haud volenti ſibi accidiſſe. Aluaradus vera ea eſſe perſuaſus, ad Almagrum properat: ei quæ audiuerat aperit: rogans vt vel in communis inter ipſos amicitiæ gratiam pateretur ſibi perſuaderi, vt pacem quàm bellum mallet. Quippe non eſſe conſcium Marchionem ſtructi aduerſus eum doli: denique illum fidem ſuam iureiurando obſtrinxiſſe, imperij ſui finibus cōtentum

tum nihil aduersus Almagrum moturũ, donec à Cæsare noua constitutio afferretur.

ALMAGRVS, etsi à nonnullis amicorum moneretur ne Marchionis promissis fidem adderet: precibus tamen Aluaradi permotus conditiones accipit & conciliata de integro amicitia Ferdinandum Pizarrum liberat. Marchio vbi fratrem solutum habuit, eo stimulante, fidem datam & toties tam sanctis iuramentis confirmatam abrumpens, breui Almagrũ dolo aggreditur, missis Chincam qui ei significarent: Recentissimè à Cæsare allatas esse literas, quibus iuberet vt ipse in prouinciã à se repertam & domitam actutũ concederet. Ad hæc Almagrus respondet, Se quidem, si mandati Cæsaris inspiciendi sibi copia fieret, protinus obsequuturum: sin minus, certum esse sibi Prouincia sua non decedere. Marchio rescribit, Nisi protinus sponte Cusco excederet, se illum inde vi eiecturum: ídque non fœdera inter ipsos pacta violantem, sed nouo illo Cæsaris mandato fretum, quæ sua essent pro suo iure repetentem facturum. Almagrus perstare in proposito, & negare se prius decessurum quàm visis Cæsaris literis.

Almagrº incolumẽ emittit hostem, quẽ ignominia irritauerat.

Pizarrus belli Almagro inferendi occasiones rimatur.

HOC accepto responso, Marchio, valida Hispanorum manu contracta & multis Indis, Lima mouet: palàm ferens se ad expellendos Chinca inimicos, prouinciæ suæ haud ambiguè oppido, contendere. Almagrus vt hostem adesse cognouit, viribus haud satis fidens, in Gaitaram montem editum & saxo-

ſum conceſsit: ſed inde quoque vrgentibus inimicis deiectus, Cuſcon raptim aufugit, atque ibi ſuis ex trepidatione collectis, ab Indis galeas & alia munimenta corporis ex auro & argento fabricanda curat: omnes Hiſpanos qui aduerſariis paulum modò ſtudere viderentur, cuſtodiæ tradit: primores etiam nonnullos maximè ſuſpectos ſtrangulari iubet.

Prælium inter Almagriſtas & Pizarriſtas.

MARCHIO itineris labore fatigatus, Ferdinando fratre ſuo ſummo Iuris Prætore deſignato, alteri fratri Gõzallo legato ſuo & Præfecto militiæ cura belli permiſſa, vtrunque copiis omnibus in Almagrum Cuſcon tendere iubet: ipſe ad vrbem Regum reuertitur. Almagrus hoſtium aduentu cognito, obuiã egreſſus, duobus millib. paſſ. procul ciuitate, munito loco caſtra poſuit: diſtributiſque vt potuit, copiis Hordonio trib. mil. primam aciem ducendam tradit: ea expeditis velitibus, cetero peditatu & Indorum quorundam ſociorũ auxiliis conſtabat. Ille militari via ducens, inter montem & ciuitatem ad ripam exigui lacus conſtitit. Equitibus Franciſcum Chlauẽſem & Ioannem Tellum præficit: Alphonſum Pereſium alia Hiſpanorum turma & multis Indis anguſtos calles ad montem ſpectantes inſidere iubet: vnde ſi opus eſſet, in hoſtium latera incurreret.

FERDINANDVS Pizarrus è monte in planum degreſſus, poſtquam hoſtes quietos animaduertit, Mercadillium trib. mil. cum magna parte equitatus & Indorũ ſubſidio numquid inſidiarum aut latentis doli ſubeſſet, exploratum

ploratum mittit. Ille quum in Alphonsi Peresii cohortē incurrisset, Indos socios in aduersarios Indos irruere iubet. Ita contractis pugnæ initiis, Pizarrus tormentularios in equitatum hostium emittit: illi pilularum grandine multos deiiciunt. Franciscus Chlauensis quum suos malè haberi cerneret, aliquot machinas displodi iubet. Icti globis nonnulli hostium ceciderant: ceteri perculsi terga vertebāt: ni superuenientes Pizarri fratres castigassent territos, & confirmatis suorum animis prælium instaurassent. Acrior inde coorta pugna: summa vi vtrimque res geritur: tandem fundūtur Almagri milites: Pizarrus crudelissimè victoria vsus est. Almagrus æger pugnæ interesse non potuit: sed è collis vertice prælii euentum contemplatus, vbi suos fusos conspexit, fugam & ipse capessit. Ferdinandus Pizarrus fugientium tergis inhærens Almagrū assequitur, captúmque in custodiam tradit. Inde quæstione de eo habita, reum peragit & capite damnat: arguens, quòd è Chilensi prouincia reuersus vi Cuscon irrupisset, quòd se & fratrem nullius flagitii compertos in vincula coniecisset: quòd prouinciæ agros pro libidine, nullo imperio aut mandato Cæsaris fretus, iterum diuisisset: ad hæc multis Hispanis necis causa fuisset: postremò ruptis induciis & iureiurando aduersus regium magistratum pugnasset.

Almagrus à Ferd. Pizarro capite damnatur.

ALMAGRVS postquam capitalem in se latam sententiam indicta morte cognouit, ingenti animi dolore ictus, ad Cæsarem prouo-

cat. Pizarrus prouocationem admittere nolle. Itaque Almagrus totus in preces versus, illum per Dei gratiam ac misericordiam orare vt sententiam reuocare vellet: Se iam prouectæ ætatis, debilem, podagræ etiam doloribus infestari: ni soluere se vellet, at custodia clauso paucos illos qui superessent vitæ dies ad meditandã peccatorum pænitentiã concederet. Adhæc meminisset sua maximè opera Marchionem carissimum eius fratrem in tantum honoris & diuitiarum fastigium euectum esse. Ipsum quoque Ferdinandũ aliquando apud se fuisse in custodia: in quem etsi pro suo iure animaduertere potuisset, vim tamẽ ab eo abstinuisse.

Pizarrus in Almagrum inexorabilis, cui vitam debebat.

SVPPLICAVERE præterea pro eo apud Ferdinandum multi nobiles, in primis Didacus Aluaradus, qui quum eos in pristinã concordiam redigeret, vitæ suæ sponsione, Ni datam fidem seruarent, pro quouis eorum pacisci se paratum affirmauerat. Ipse quidem tum, ac ceteri, manantibus effusè lacrymis, & verbis eiuscemodi quæ ferocissimi leonis animum frangere, & cor adamante durius emollire, poterant, Pizarrum flectere conati, frustra operam cõsumsere: neque iste, obstinatus & clausus ne quo affectu perrumperetur, peruinci vllis precibus potuit vt miserationis signum vllum ederet. Ergo Didacus animo aduersum suprema firmato, confessione defungitur & testamentum facit. Pizarrus laqueo ei gulam frangi in carcere: mox exanimis ceruices amputari medio vrbis foro iubet. [1]Hunc

Almagro gula laqueo frangitur.

vitæ finem habuit Didacus Almagrus.

MVLTIS ea sæuitia displicuit: maximè omnium Didaco Aluarado. is ergo paulo pòst in Hispaniam transgressus est, vt meditatas in Franciscum & eius fratres querelas ad regem deferret. Sed quum in id vnum strenuè incumberet, breui Vallæoleti moritur, veneno, vt fertur, sublatus. Ceterum Almagrus obscuræ & vltimæ sortis homo, quando & eius adhuc ignoratur pater, literas nesciit: ceteroquin diligens, honoris auidus, si quem præmio donaret id ab omnibus volebat intelligi: sæuitia aduersum Indos insignis: Didacum filium ex Indica concubina Panamæ susceptum eiusdẽ secum nominis reliquit.

Almagri natales.

1 HAEC in vrbe Cusco, anno M.D.XXXVIII. *acciderunt. Eius autem mortem non tantùm lætam Pizarro Marchioni, sed eius quoque sponte ac iussu perpetratam, sequentia prodiderunt: quum plerique etiam paci consultum ferrent, diremta æmulatione inter Almagrum & Pizarri fratres, quorum alteri se fratres imperantis, alter consortem imperij, cogitaret. Itaque prudenter à Pizarro factum ex Machiauelli placitis, qui Reipublicæ nouæ statum condi & componi non posse asserit, si plures pari imperio rerum arbitri existant. Quippe commune duobus aut pluribus imperium quum rarò concors sit: vnius hominis ingenio atque autoritate omnia constitui multò esse satius.*

¶Pizarri, Almagro sublato, varias expeditiones suscipiũt. Ferd. Pizarrus in Hispaniam transgressus custodia clauditur. Frãc. Pizarrus ab Almagri factione interficitur. Did. Almagrus filius, imperium prouinciæ occupat.

CAP. VIII.

Hispanorum in varia loca expeditiones.

PIZARRVS, sumpto de Almagro supplicio, prædam inter milites diuidit & res Cuscensis ciuitatis componit. Inde ad Marchionem fratrem regressus, de nouis terris vestigandis cum eo deliberat. Id vbi visum, Petrum Valdiuiam ducentis cum militibus in Chilensem prouinciam mittunt: Gonzallum Pizarrum in Coliaum ditissimam auri regionem: qua subacta mox in [1] Cassiæ (vulgò Canellæ) oram transiit: vnde postea pauper & accisis rebus reuersus est: Petrum Vergaram in Bracamorios: sed is in inopem & bellicosam gentem incidit, quæ propterea ad hanc diem inuicta & indomita mansit. Duces præterea & tribunos mil. plures Trugillium, Chiachiapoiã & ad alios populos diuersis cum agminibus mittunt. Ita Hispani variis expeditionibus alia atque alia appetendo loca, innumeris hominum cædibus atque infinitis sæuitiæ exemplis editis, maximam partem eius regni, vt ceteras Occidentalis Indiæ prouincias, in solitudinem & vastitatem redegerunt.

MARCHIO expeditis ad dictas prouincias subigen-

ſubigendas legatis ac ducibus, fratrem ſuum Ferdinandum in Hiſpaniam cum Almagri cauſſa & (vt dicũt) proceſſu, ac quintæ Regiæ vectigali, mittere conſtituit. Ferdinandus, quamquam diſſuadẽtibus amicis ne iret (quippe ipſum nullis argumentis mortem Almagri Cæſari probare aut excuſare poſſe: adhæc Aluaradum ad Curiã grauiſſimas querelas cùm de ipſo tum de fratribus eius deferẽtem præoccupaſſe animos) ſoluit tamen, ingenti ſuimetipſius fiducia, venditans ſe pro ſummis in Regiam Maieſtatem collatis officiis, compoſitis videlicet prouinciæ motibus & ſeditioſis pœna coercitis, ingentia præmia meritum. Verùm quum in Hiſpaniam appuliſſet cum magna auri vi, non multo pòſt quàm in Regiam venerat, Cæſaris mandatu correptus in arcem Medinæ-campi (vulgò Mottam vocãt) incluſus eſt, neque quid eo factum ſit, deinde auditum eſt.

Almagri ſanguis Ferdin. Pizarrum in Hiſpaniã vſque ad pœnas expetendas, perſequitur.

POSTEAQVAM Ferdinandus Pizarrus Lima ſoluens in Hiſpaniam vela fecerat, multi in ea ciuitate & aliis prouinciæ locis vtriuſque Almagri, cùm parentis tum filii, amici ſupererant: ſed ij ſparſi, egentes, nulla neque rẽ neque ſpe, omnibus videlicet fortunis à Pizarri factione euerſi & ſpoliati. Inter eos princeps vnus maximè eminebat Ioannes Rada. Is primò clanculùm cum Didaco Almagri filio de vlciſcenda patris eius morte conſilia agitare: mox vt eius primùm inſtinctu cõflata & orta cõiuratio eſt, occultè arma cõferũt, amicos & confœderatos aggregant, mittúntque ad

remotos vt quamdiligentiſſimè poſſint Limam omnes conuolent. Nō defuere qui Marchioni immatura adhuc coniurationis conſilia proderēt: ſed ille quum ſignificatum eſſet Almagriſtas perniciem ipſi moliri: iſta haud ſanè magnifaciens, ratúſque hæc renunciātes odio potius in eos quàm vero moueri, ferè reſpondebat, Sinerent illos ſuis miſeriis conflictari: ſatis iis infelicem ſuam ſortem oneri eſſe, vt vexari grauiùs nihil opus eſſet. Quinetiam quum denuo de cauendis inſidiis moneretur, quippe haud dubiè cædem ipſi ab inimicis parari: etſi aliquantulum commotus eſt, id tamen ſibi credibile non eſſe dixit.

Fr. Pizarrū nimius hoſtium contemtus perdit.

ATTAMEN ne planè lentus in ſuo periculo eſſe videretur, Ioannem Velaſquen Prætorem vrbis arceſſi iubet. Is quòd fortè ægrotaret, pro ſe doctorem Picadam collegā ſuum & Iudicem ordinarium (ex eorū ordine quos Hiſpani *Alcaldes* nomināt) mittit. Hunc Marchio interrogat, num ſui occidendi occulta conſilia à Didaco Almagro iniri alicunde ſub olfeciſſet. Ille nullo ſe ea indicio comperiſſe, aut ſenſiſſe affirmat: ceterum nihil ipſi timendum videri, dum rectum integrúmque magiſtratus ſceptrum haberet in manibus. His verbis acquieſcit Marchio.

DVM exſequendæ cædis occaſionem exſpectant coniurati, admonentur, niſi facinus maturarent, omnia mox emanatura. Itaque Ioannes Rada, & vndecim coniurationis participes armati trāſuerſo vrbis foro decurrētes & vociferantes, VIVAT REX ET MORIATVR TYRANNVS: domum Marchionis irrumpunt.

Is tumultu exaudito, & quid esset suspectans, claudi atrii fores, firmari aditus, iubet: ipse ad muniendum corpus vertitur.

INTEREA dum armatur Marchio, Franciscus Chiauensis, Præfectus-prætorio, fores palatii recludit: ratus autoritate sua coniuratos cohibiturum: sed vt via patuit Almagristæ violenter irrumpunt, & ipsum Præfectum gladio in caput altè impacto interimunt. Doctor Velasquez sceptrum prætorium mordicus tenẽs, ne intercideret, per fenestram in hortum præcipiti saltu semetipse deiecit. Martinus de Alcantara Marchionis frater natu maior, cum aliquot domesticis, ratus se aduersus tot manus parem futurum, conclauis ostium tutabatur. Inde tandem armatus foras prosilit Marchio, qui quum vnum ex omnibus suis fratrẽ superesse cerneret: "Euge, mi frater, inquit, pugnemus strenuè aduersus proditores istos: per Deum iuro nos duos solos istis omnibus cædendis pares esse." Sed Martinus multis vulneribus confossus breui cecidit: ipse tamen solus egregiè se defendebat, donec irruentibus vndiq; inimicis, vnus cuspidẽ in medio eius gutture ita fixit, vt exanimis in terram procideret.

Fr. Pizarrus ab Almagristis interficitur.

HIC Pizarro vitæ finis fuit. Trugillio Hispaniæ vrbe ortus erat, robusto & vegeto corpore, strenuus manu, ingẽtis animi: verùm falsus, crudelis ac negligẽs & literarũ ignarus. Gonzallo Pizarro patre genitum ferunt, qui in Nauarræ regno ordines duxerat: & alii quidem legitimũ eius filium, alii spurium tradunt: expositúmq; in cunis ad tẽpli portã, nec repertũ

qui tollere aut alere vellet: mox à patre agnitum, vt adoleuit, paſcendis ſuibus rus ablegatum: quum gregis pars aberraſſet, pauitantem nec auſum reuerti domũ fugiſſe Hiſpalim, atque inde in Indiã cum Alphonſo Hoieda Vrabenſis prouinciæ Præfecto tranſiſſe.

Fr. Pizarri natalium nobilitas.

VVLNERE lethali ictus Marchio animã agebat: Almagriſtæ nihil cũctati foras ſe proiicere, & per vrbem volitantes vociferari, VIVAT REX ET DIDACVS ALMAGRVS. Ad eas voces multi amici Marchionis tumultu exciti concurrunt: inde vulnera & cædes partium: ſed quum Almagriſtæ multitudine & animis longè ſuperiores eſſent, facilè aduerſarios fundunt: Marchionis domum aliorúmque diuitum ciuium amicorum eius diripiunt, quorum alii capti, alii metu dilapſi fuga aut latebris diſcrimen vitauere. Didacus Almagrus Gubernatorem ſe ferens, omnes iurare in ſua verba coegit, quoad Cæſar Peruanis rebus proſpiceret. Mox ſceptrum inſigne Iuridicæ poteſtatis familiariſſimis ſuis tradit: trecentos milites legit: arma & equos quibus non fidebat adimit: & ſummum Præfectum militiæ Ioannem Radam deſignat.

Did. Almagrus fil. Peruanæ prouinciæ regimen inuadit.

HIS confectis, Cuſcon properat: ibíque à nonnullis aduerſæ factionis ciuibus diſſimulanter excipitur. Inter hæc iurgium fortè inter Garciam Aluaradum & Chriſtophorum Sotellum nobiles Hiſpanos oritur: Aluaradus Sotellum mucrone transfigit: quúmque Didacum ipſum per inſidias interficere deſtinaſſet,

nasset: Didacus, patefacto dolo, in Garciæ caput, quam ipsi struebat, perniciem vertit.

1 POST *mortem Almagri, nuncius ad Fr. Pizarrum allatus est de inuenta regione Canellæ feraci in Quitensi prouincia, Orientem versus. Itaque ad eam occupandam Gonzallum Pizarrum fratrem mittere statuit. Porro arbor hæc, Canellæ ferax, in prouincia Zumaco, sub Aequinoctiali linea sita, reperta, ampla est, foliis lauri, minutis baccis racematim cohærentibus, qui calyce, suberino aut querno simili, continentur, ampliore tamen & magis cauo, colore nigricante. Ac tametsi multæ passim huius generis arbores siluestres exstent: diligenter tamen & magna cura eas in suis prædiis indigenæ colunt. Itaque ex cultis longè nobilior Canella quàm ex aliis nascitur: eámque illi in precio habent, quia è circumvicinis regionibus, merces alias & vitæ tuendæ necessaria omnia, huius aromatis ope redimunt. August. Zarat. Hist. Peru. lib. 4. cap. 1. & 2. Petrus Cieça parte prima Chron. Peruani, cap. 40.*

2 *Eum etiam expositum & Suis vberibus alitum aliquot dies scribit Gomara. Porro, quamquã in tanta trepidatione omnium, mors eius tamen multò miserabilis fuit: nec erat quisquam adeo rerum humanarum immemor, quem non commoueret illa facies: Marchionem & tot opum paulo antè dominum: qui tot à se repertas prouincias occupasset & diuisisset: non testamenti condendi, non veniæ peccatorum à Deo rogandæ, ocio dato: in sua colonia, inter suos populares ac milites, per insidias ciuiles, quas multi prodidere, nemo prohibuit:*

media luce duodecim hominum coniuratione interfectum: quum in tanto eius discrimine nemo colonorum, quos ferè omnes clientes & beneficiis suis obstrictos habebat, ad opem ferendam accurreret. Mox etiam festinato & vix plebeio funere raptim contectum, ne amputaretur caput ludibrio futurum: direpta à coniuratis domo, repentè ad tantam inopiam redactũ esse vt funeri sumtus deesset. Hæc Limæ in Peru accidere, anno M. D. XLI. *die* XXVI. *Iunij.*

3 *Christophorus Sotellus & Garcias Aluaradus Cuscon vrbem, Did. Almagri nomine, præsidio & pari iure obtinebant. Quum in iurgio Sotellum Garcias interfecisset, eiúsque magno desiderio angi Didacum animaduerteret: vltionem ab eo metuens, occupare facinus, & Didacum ipsum tollere statuit. Id quum perpetrare palam non auderet, occulta molitur. Didacum ad conuiuium inuitat, inter epulas incautum obtruncaturus: ni cœna iam condicta Didacus monitus, paratas sibi ab Garcia insidias, ægritudine simulata, valetudinem excusasset. Simul tribunos cum militibus aliquot, Sotelli amicos, in penetrale cubiculum condit. Garcias parato conuiuio, ipse cum amicis ad arcessendum domo Didacum proficiscitur. & quamquam ab vno & altero in via de insidiis à Didaco structis monitus, perrexit tamen ire: donec Didaci ædes ingressus venire ad conuiuium rogat. Ille primò excusans, tãdem ægrè assentiri, & è cubili se alleuans præeuntem Garciam sequi. Interea fores clauduntur, & ab erumpentibus ex omnibus cubiculi partibus coniuratis, Garcias confoditur. Aug. Zarat. Hist. Peru. lib. 4. cap. 14.*

¶Vacca

Vacca de Castro à Cæsare componendis Peruanæ prouinciæ motibus mittitur. Is Did. Almagrum prælio victum captúmque capitali supplicio afficit.

CAP. IX.

Vacca ad tauros indomitos coercẽdos à Cæsare mittitur.

MOx sequuntur alii rerum successus. Postquã enim Cæsar funestas Hispanorum discordias, Almagri mortem, Pizarri & aliorum cędes, audiuit: Licentiatum Vaccam de Castro in Indiam mittẽs, quæstionem acrem exercere & vindicare in noxios iubet, ac prouinciam quampacatissimè fieri posset, extinctis dissidiis componere.

His cum mandatis Vacca ex Hispania soluens, Panamam peruenit: vnde in Peruanum regnum vela faciens, propter aduersos ventos portum Bonauenturæ petere coactus est: vbi in terram egressus, summis cum laboribus omnem Venalcazaris prouinciam terrestri itinere emensus, vix tandem Quiton vrbem attigit. Ibi exploratis Didaci actis & consiliis, auditóque eum Gomezii Tordoiæ imperium spreuisse, cui vt Cuscon vrbem Vaccæ nomine occuparet mandatum erat: Trugillium petiit, eiúsque ciuitatis tutela Moræ legato suo commissa, cum ducentis militibus, quos variis è locis raptim contraxerat, Limam contendit. Ibi regiis literis mandatísque coram editis, ab omnibus ciuibus Gubernator Peruanæ prouinciæ agnoscitur.

INDE, decem millibus ducatorum mutuis ſumtis ad ſtipendia & ſumtus belli, milites contrahit, arma & equos comparat, & cum quingentis Hiſpanis Guamanguam properans, ex eo loco ad Didacum Almagrum ſcribit, qui iam Cuſco cum exercitu mouerat: vt poſitis armis ſe fidei eius ac poteſtati permitteret. Si vltro obſequeretur, pollicetur non tantùm quæcumque antè peccaſſet ei condonaturum: ſed & liberaliter daturum, vnde honorificè in prouincia viuere & ordinis ſui dignitatem faſtigiúmque tueri poſſet. Ad hæc Didacus reſpondet, Si ab eo patris ſui præfecturam obtineret, & diploma Cæſareum, quo veniam præteritorum conſequeretur, his ſe contentum fore: Sin minus, ſe eius verbis parum fidei habere: quando quo tempore de fœdere & pace palàm ſecum ageret, clam milites ſuos aſtu ad defectionem ſolicitaret.

Vacca Di dac. Almagrum verbis mulcere ſtudet.

VACCA Didaci animo cognito, Guamanga, quòd is locus aſperior eſſet, mouens progreſſúſque, edito in planicie tumulo, quem indigenæ Chiuppam vocant, in conſpectu hoſtium, conſedit. Hîc Didaco rei bene gerendæ præclara occaſio ſe offerebat, ſi ea prudenter vti nouiſſet. Nam Vaccæ milites quum agmen in cliuum montis erigerent, ſi defeſſos & ſolutis ordinibus ſubeuntes adortus eſſet, parua manu fundere poterat. Poſtera die ambo duces copias in aciem educunt, ſuóſque pro ſe quiſque hortantur: victoriæ præmia ingentia oſtentâtes: victos contrà, vitam, decus, fortunas, imperium, amiſſuros. Didacus ſuis tormen-

Almagrus occaſione vti neſcit.

tormentis loco plano constitutis, quibus Petrus Cretensis præerat, rectà in hostilem aciem fulminabat: magnámque cladem hosti intulisset, ni id tempestiuè animaduertēs Franciscus Caruaial, Vaccæ Castrij primarius signifer, aciem paulum ex eo loco in vicinum obliquans, vbi à tormentorum ictibus tuta esset, exercitum seruasset. Didacus ab vtroque machinarum latere equitatum, pedites in medio constituens: ipse in dextro cornu stetit, vbi multos Indos lanceis, lapidibus, iaculis & variis missilium generibus armatos locauerat.

VACCAE de Castro acies hoc modo stabat, ipse inter primores cum triginta equitibus ceteram aciem antecedens: postea tamen suorum rogatu in postremum agmen sese recepit. Equitum alæ duæ ab vtroque cornu locatæ: dextrum Alphonso Aluarado, læuum Petro Aluarez Olguino, cum Regio vexillo tuendum datum: pedites in medium accepti. Indi qui in Didaci auxiliis erant, primi ante ceteram aciem progressi, pugnam lacessentes, ab hostibus strenuè pelluntur. Tum Didacus ferociter in hostem inuehitur: iámque acri vndique coorto certamine, Castrij pedites tormentis aduersariorum potiti: & Didaci milites multis hostium cæsis, duo rapta signa referentes, omnia tumultu & dissonis clamoribus repleuerāt: quum iam propinqua nox & dubia victoria omnes ad pugnam acriùs incenderet. Ergo vtrisque ad extorquendam hosti victoriam ingenti animo connitentibus, mul-

tum ibi ſanguinis fuſum eſt. Ad extremum Vaccæ victoria fuit, ſed ea non incruenta. A parte Cæſaris, trecenti amplius Hiſpani cecidere, & ducum ipſorum pars maxima: Almagriſtarum centum fermè & quinquaginta: nonnulli Guamanguam & alia loca, prout quemque fuga tulerat, diuerſi petiere: ſed Vaccæ iuſſu capti, Licentiato Gamæ traduntur.

Is cognitis omnium cauſis, in noxios, ſed maximè in duces ipſos & ſeditionis capita, animaduertit: quoſdam diuerſis equis diſtrahi, alios è patibulo ſuſpendi iuſſit: milites aliquot exilio damnauit. Didacus ipſe è prælio, ſequẽtibus tantùm quatuor militibus, Cuſcon fuga petierat, eas ſibi latebras tutas fore ratus: ſed Rodericus Salazar vrbis Prætor, quem ipſe multis beneficiis doníſque honeſtauerat, clade eius audita, quorumdam aliorum ciuium conſenſu eum correptum Vaccæ tradidit. Is Didacum capite plecti iubet: eius morte prouincię pax reddita. Mox Vacca Indos captiuos inter milites, qui fidelem ac ſtrenuam operam ei bello nauauerant, velut prædam diuidit: ceteros ad nouas terras ſubigendas dimittit. Inde Indis de integro calamitates gliſcere, quos Hiſpani, vacui bellis, aurifodinis exercendis, aliíſque intolerandis laboribus vexabant.

Almagrus ab amico cum fortuna fidem exuente proditur.

Almagrus capite plectitur.

¶ *Blaſcus*

Blaſcus Nunez Prorex, SC. de Indorum libertate rigidiùs vrgens Hiſpanorum odia in ſe concitat. Gonz. Pizarro duce publicè aduerſus Proregem bellum ab ijs ſuſcipitur. Prorex Procuratorem regium interficit.

CAP. X.

DVM apud Peruenſes hi rerum motus agitantur, Indicus Senatus, Cæſaris iuſſu, [1] Edictum de Indis in libertatem reſtituendis de integro confirmat: & Peruanæ prouinciæ prorex deſignatur [2] Blaſcus Nunnez Vela, ingentis ſpiritus atque animi vir. Hic Cæſareo diplomate inſtructus, cũ quatuor adſeſſoribus, licentiato Didaco Cepeda, Petro Ortizio, Ioanne Aluarez & doctore Liſone, ab Hiſpania ſoluit.

SC. de Indis in libertatem reſtituendis.

QVVM ſub finem Ianuarii menſis, anno M. D. XLIIII, ad Nomen-dei appuliſſet, ibíque Hiſpanos è Peruana prouincia tranſgreſſos reperiſſet, cum magna auri & argenti vi diſceſſum in Hiſpaniam parantes: cognoſcere ex illis voluit quibus artibus aurum illud quęſiſſent. [3] Quippe iſtos Indica mãcipia quę ipſis in parte prædæ obtigiſſent vendidiſſe acceperat, contra leges nuper in Hiſpania latas. Itaq; Regiis magiſtratibus vt aurum illud retineãt, quoad verum quærendo cognoſceret, imperat. Ea res multis ciuibus noua atque inſolens viſa eſt: præſertim quũ in ea vrbe id ab eo tentaretur, quæ extra ipſius prouincię fineis eſſet. Ipſe tamẽ nihilo ſecius, niſi Adſeſſorũ & aliorũ

x.ij.

Hiſpanorum, quorum opes in ea colonia multùm pollebant, interuentu ac precibus mitigatus eſſet, pecunias eas omnes hauddubiè in fiſcum redacturus erat: ac ſic quoque ægrè admodum omnia dominis reſtitui iuſſit.

Proregis in Adſeſſores ſuos ſalsè dictum.

Exin terreſtri itinere Panamam petit, vſqueadeo Adſeſſorum pertæſus propter crebras ipſorum inter ſe altercationes: vt ſubinde diceret, Ab Cæſare & Senatu Indico ſe quatuor Adſeſſoribus ineptiſſimis inſtructum, quorum vnus adoleſcens eſſet, alter ſtolidus, tertius ſtipes, poſtremꝰ inſcitia inſignis. Quippe Cepeda adoleſcens erat, Ioannes Aluerez ſtolidus: Petrus Ortiz, imperitus literarum, & Latinæ linguæ planè ignarus, & quartus ſtipes & ineptus homo. E Panama in Peruanum regnum vela faciens, decimotertio quàm ſoluerat die Tumbeſiæ oram tenuit: neque vlla nauis tam breui curſu ſpatium illud vnquam percurrerat.

Indorum ſeruitus ſoluitur.

Ab eo loco reſtituendæ Indis libertatis initium faciens, vetat ne Hiſpanis quidquam commeatus aut mercium dent, niſi perſoluto p̃recio: vetat ne Hiſpani ipſis ad baiulãda onera & vecturam ſarcinarum inuitis abuterentur. Nam qui ante eum ei regno præfuerant Gubernatores, edicto iuſſerant, vt omnibus Hiſpanis qui pedibus iter facerent, eorum locorum Cacici tres Indos baiulandis eorũ ſarcinis attribuerẽt: equitibus verò quinque: inſuper ſingulis pullum gallinaceum, cuniculũ, & patrii vini (quod illi *Azua* appellãt) lagenam vnam, ſine vllo pretio præberent. Hæc omnia Prorex ſuſtulit.

QVVM

QVVM fortè Tumbesiæ in sacerdotem & Gonzalli Pizarri clientem quendam domesticum incidisset, qui prælio aduersus Didacum Almagrum gesto interfuerant, vtrumque in patibulum egit: in vrbe San-michaelis Didacum Palominum Indis vassallis priuauit, quòd eos durius & inclemẽtius haberet. Grauissimè se in eos animaduersurũ minabatur qui ipsius imperiis atque edictis audientes non essent.

INDE Trugillium trãsgressus Edictum de Indorũ libertate promulgat: quúmq; ab eo ciues prouocare vellẽt, prouocationẽ non admisit: causatus se à Cęsare expressum disertúmq; mandatũ habere Edicti strictè adeo & exactè seruandi, vt appellationem ab eo nullã aut exceptionem admitteret. Omnes obstinatam & inflexibilẽ Proregis duritiã experti, & ipsum & leges, & earum latores diris exsecrabantur. Qui seruos regio signo inustos habebãt, vulgò sortẽ suã miserãtes dicebant, nullã sibi aliã superesse opem, nullã præterea rationem qua vxores, liberos & domũ sustentarent. Qui eas prouincias subegerant, conceptũ animis dolorem perferre non poterant, palam conquerentes: Postquam, pro imperio & gloria Cæsaris corporibus & fortunis consumtis, ei opulentissimum & pulcherrimum Regnum suis manibus quæsiuerint, egregia scilicet sibi precia laborum persolui.

SED eum acerrimè omniũ perstrinxit monachus ordinis D. Mariæ (Petro nomen erat) quum in has voces erũperet: Indigna præmia suam Maiestatem iis reddere, qui tam fidelem

Monachus intempestiuæ libertatis pœnas morte luit.

& strenuam operam ei nauarant: & eas leges explendæ auaritiæ latas rapinam potius quàm sanctitatem & iustitiam redolere. Neque aliò spectare omnia Edicta quæ ex Hispania venirēt, nisi vt augerētur Regii reditus. Itaque his verbis offensus Prorex noctu carnificem sum misit qui monacho gulam frangeret.

IAM superbiæ Proregis & durarum eius legum fama vbique sparsa erat, quum Hispani malle se mortem oppetere, quàm eiuscemodi morem gerere legibus palam ferētes, omnib⁹ locis tumultū & seditionē agitāt. Miserat fortè Prorex Cuscō ad Vaccam de Castro legatū quendā suum. Is rogatu ciuium admittere eū in vrbē noluit: ac breui cum multis Hispanis, quo propiùs rerum statum inspiceret, in ciuitatem Regū cōtendit. Appropinquātem vrbi cum magno comitatu ciues admonent ne ingrediatur. quippe vereri se ne aliquid secus quàm vellet ipsi accideret, ob exclusum Proregis Legatum. Præterea quòd tanto agmine stipatus veniret, suspicionem de se aliquā motuum. Itaque Cuscon potius reuerteretur, & ciuitatem Regis nomine obtineret. Sed Vacca regredi haud satis autoritati suæ decorū existimans, maximā comitatus partē dimittit quominus suspectus esset, & cœptum iter peragit. Breui Limam ingressus, commotum ciuitatis statum & res perturbatas offendit

NONNVLLI ciuium Proregem monuerant, vt quàprimum posset, Trugillio venire properaret priusquā Vacca de Castro Limam ingrederetur: is ergo festināter oppido egressus

ſus Limam magnis itineribus contendit. In itinere, eo loco cui Foſſæ nomẽ eſt, inſcripta parieti hæc verba reperit: *Quiſquis fortunas meas ereptum veniet, maturè videat quid agat. nam id quidẽ capitis ſui periculo fecerit.* Præterea ei ſignificatum eſt, decreuiſſe Limẽſes ciues eum Peruenſi prouincia eiicere, niſi Edictorum effectum ſuſpenderet, quoad à Cæſare rebus aliter proſpectum eſſet.

His ſimul de rebus plurimùm indignatus Prorex Foſſa mouet: quúmque iam Limæ appropinquaret, Guilielmus Suarez Regius procurator (Factorẽ vulgò vocãt) obuiã ei egreſſus iuſiurandum ab eo nomine ſenatus exigit: Priuilegia videlicet, beneficia, & iura ipſis à Cæſare conceſſa ſarta & tecta cõſeruaturum, prouocationémque à nouis legibus admiſſurum. Prorex iuſiurandum ita concepit, Se quę ad obſequium & honorem Cæſaris pertinerent, ea omnia facturum. Ita ciuitatem ingreditur: maximæ parti ciuium parum gratus eius aduentus fuit: ſed multò acrius odia omnium in ſe accendit quum Edictum de liberãdis Indis promulgaſſet: quúmque à familiaribus rogaretur ne faceret, quippe ſeditionem aduerſus eum conciturοs Hiſpanos, contumaciter reſpondit, Se voluntatẽ ſuam & Cæſaris mandata prorſus exſequi velle. Mox etiã Vaccam de Caſtro in cuſtodiã tradit, Edicta ſua Cuſci admittere noluiſſe eum arguẽs, & aſſumta Gubernatoris autoritate Indos inter Hiſpanos diuiſiſſe: poſtremò, non facta à Rege poteſtate, armis aduerſus Almagrum certaſſe.

Prorex dũ de ſummo iure nihil remittere vult, odia omnium, mox rebellionem, excitat.

PROREX tum ceteris factis, tum maximè Vaccæ vinculis, cuius in se beneuolentiam studiúmque multò quàm antea maius Limenses experiebantur, tantam omnium ciuium inuidiam, tantum odium in se cōciuit, vt plerique Hispani Gonzallum Pizarrum crebris literis solicitarent, vt Cuscon quācelerrimè veniret. Incidisse res magni momēti de quibus cum eo ibi agere vellent. Is tum fortè erat apud Ciarchas fodinis suis prorsus intentus, nec de his rebus quidquā cogitans: tum verò frequentibus nunciis & literis excitatus, Cuscon venit. Ibi coniurationis principes sæuitiam Edictorum exponunt, quæ Prorex attulerat: quam etiam ipse intolerabili cōtumacia oneraret, omnē ab iis prouocationē respuēs. Itaque Gonzallum orare omnes vt propugnandæ vitæ ac fortunis suorum summum se Ducem & Procuratorem partibus ostēderet. Polliceri ac iurare singuli se strenuam fidelémque operā nauando fidem illi datam ad vltimum præstituros. Abnuere primò Pizarrus, & id à se expectari petíque nō debere dicere: quippe Edictis repugnare, quid aliud esse repugnare ipsi Cæsari, qui eorū obsequiū effectúmq; tā exactè vrgeret? Verùm qui eas terras subegerāt Coloni, inceptū suum ab omni rebellionis suspicione purgātes, & causam probantes, flexere tādem vt imperium illud à se suscipi fateretur.

Gonz. Pizarrus dux partium.

HIS suffragiis Gonzallus Pizarrus Gubernator & Procurator generalis Peruanarū prouinciarū designatus, vexilla depromit & breui quadringentos amplius milites contrahit.

Hæc

Hæc ita Cuſci geſta eſſe poſteaquam Proregi allatum eſt, Hieronymum Loaiſam Limenſem epiſcopum Cuſcon ad Gonzallum mittit, oratum vt ſuſcepta aduerſus Regem ſuum belli conſilia omitteret: ac Limam ad reconciliandam ſecum concordiam veniret. Id quidem eum pro certo habere poſſe, nullã ipſi incommodam Legem ab ſe allatam eſſe: imò veniſſe vt eum ingentibus prẹmiis & meritis afficeret, Verùm Epiſcopus à Pizarro neque auditus neque admiſſus, irrita legatione rediit.

PROREX, cognito Pizarri animo, metuens ne ille prius ad Limam cum exercitu eſſet quàm ipſo bello neceſſaria paraſſet: quinquaginta tormentularios ad præſidium ſui corporis comparat: quantum militum poteſt contrahit: è variis locis noua ſubſidia arceſſit: Quintæ vectigal retinet, quod Vacca de Caſtro confecerat vt primo quoque tempore in Hiſpaniam mitteretur: ac magnam præterea pecuniæ ſummam in ſumtus belli & ſtipendia militum mutuò ſumit. Itaque breui ad eum Petrus de Puellis Guanuco, Gonzallus Diaz è Piura cum multis Hiſpanis è Quitenſi prouincia profectis confluunt: ſed iſti paucis pòſt diebus quàm Limam venerant cum omnibus ferè militibus aliiſque trib. mil. ad Pizarrum transfugiunt. Nec multo pòſt aliquot nobiles qui apud Factorem ſeu Procuratorem regiũ in hoſpitio erant, cum duobus eius nepotibus à Prorege ad Pizarrum tranſiuere. Id vbi Proregi nunciatum, extemplò Alphonſum de Monte-maiore cum quinquaginta equitibus

ad capiendos transfugas mittit. Ille fugientes assequutus, proditur à suis & ab iis quos persequebatur, capitur: inde omnes vno agmine ad Gonzallum Pizarrum concurrunt.

Prorex Procur. regiũ interficiẽs, sibimet exitium adfert.

INTEREA Prorex, quem non minus defectiones suorum quàm hostiũ apparatus angebant, Factori in primis succensebat, ei vtiq; vehementer infensus, quem totius mali causam esse suspicabatur. Tandem hominem noctu arcessit: víxque ille domum eius ingressus erat, quum iræ impotens, Ecquæ tandem sunt „ istæ quas moliris proditiones, Factor? in ma- „ lam tuam rem huc ad me venisti, quem tu te- „ chnis tuis peruertis. Ad hæc Factor: Ego tam „ bonus Regis seruus sum ac dominatio vestra. „ Prorex: Mentiris per gulam, inquit, simúlque pugionem stringens gemino ictu eum confodit: deinde ingestis vulneribus confectum à domesticis, proiici in præceps è cœnaculi pergula iubet: corpus eius à Proregis mancipiis licentia tenebrarum, quum nemo prohiberet, pedibus tractum & multis ludibriis vexatum est. vt illuxit, honorifico funere effertur.

LICENTIATVS Caruaial, vbi fratrem à Prorege interfectũ cognouit, iurauit se non prius quieturũ quàm mortem ipsius vltus esset. Ea quidem Factoris cædes plerisq; ciuium tãtum terroris iniecit, vt ne eadẽ à Prorege in se exempla ederentur vulgò pauitantes, Gonzalli Pizarri aduentum ardentibus votis optarent, qui ipsis perpetuã eam formidinem demeret.

1 QVIBVS *de causis id factum sit, ex Hispanis scriptoribus paulo altiùs repetam. Per ea fermè tempora transgressi ex India Occid. in Hispa-*

niam aliquot Ecclesiastici homines: & bono, vt sibi videbantur, zelo impulsi, Regi & Indici consilij proceribus renunciarunt, quàm profligata licentia Hispani aduersus Indos sæuirent. Quippe nō tantùm eorum fortunas ferre atque agere, ipsos ad onera ferenda, velut iumēta, adigere: immodicis tributis grauare, & verberare: sed etiam, velut mācipia ad metalla damnata, in aurifodinas & piscatus vnionum demergere. Itaque quemadmodum in insulis San-dominici, Cuba, San-Ioannis de portu diuite & Iamaica, omne propè indigenarum genus miseriis & laboribus interijsset: ita in Noua Hispania & in Peru breui omnes Indos à stirpe absumtum iri, nisi maturè obuiam iretur. Porro eius mali maximam culpam sustinere Gubernatores ipsos, eorum legatos, & Maiestatis ipsius Procuratores, Episcopos, Cœnobia, ceteràsque eiusmodi Speciosas personas, quæ fauore & opibus subnixæ, nullam ex legibus actionem aut pœnam metuerent. Hæc & similia, tum alij, tū maximè inter ceteros Dominicanus quidam, Bartholomæus de Casis, sedulò inquisita, ad Cæsarē retulerant. His ille acceptis Indico senatui negotiū dat, vt adiunctis Iurisperitis & religiosis alijs viris, ijs malis remedium adhibeat. Illi, rebus sat cognitis & deliberatis, Edictum XL. *capitum seu legum condunt, quarum summa hæc erat:* PLACERE *Indos liberos ac sui iuris esse: ac proinde nemini fas in posterum Indum vllum aut ad fodinas aut ad piscandos vniones adigere: imò ne ad præbendam quidem geruli operā, nisi fortè ijs locis vbi alia vecturæ ratio non suppeteret, ac ne tū quidē, nisi persoluta laboris mercede. Præterea Indis qui vectigales Hispanis essent, pro cēsus habitu, & modo tributa indici. Omnes Indos subditos patro-*

norum aut seniorum suorum morte vacuos: omnes fundos, agros, Indos vassallos, qui episcopis, monasteriis, Ptochodochiis seu Hospitiis publicis per totam Indiam assignati essent, sub Regiæ coronæ dominium ac ditionem redigi: adeo vt ne ipsi quidem Gubernatores, eorúmve legati, & Regij procuratores vassallum vllum Indum aut seruum retinerēt. Porro omnes Indos, qui extra natalis soli fineis quoquomodo abducti essent, eò remigrare ac reduci, & Christ. religionem doceri. Hactenus de legibus, & causis earum. Nunc cur Prorex cum Adsessoribus in Peruanam prouinciam missus sit, paucis expediā. Quum, Peru, totius Indiæ ditissima prouincia, è Regia curia, cuius sedes Panamæ erat, supremum ius peteret, quod duo tantùm Iuridici Adsessores redderent: nec maxima anni parte commodè vtrinque nauigari posset: inde accidebat vt longa causarum dilatio & tardus litium exitus esset. Itaque quum Peruanarum rerum maximi momenti status id exigere videretur, Præsidem Proregis titulo, quatuor Adsessoribus comitatum eò mitti, nouámque ibi Curiam statui placuit. Ceterum hæ leges Madricij latæ & promulgatæ sunt, anno M. D. XLII. *eásque manus suæ subscriptione Cæsar Barcinone confirmauit. Ex Hispanis scriptoribus.*

2 *Primus Prorex in Peru missus est Blascus Nunnez Vela Abulensis, tum regiorum Castellæ satellitum Præfectus. Magno vir animo, rectus, & qui aduersum blandientes incorruptus, summos cum infimis æquo iure regeret: in primis Regia mandata exacto cum rigore nec simulatè exsequi studiosus. Experimentum sui dederat in Malacæ*

& Cuencæ

& Cuencæ præfecturis. Attamen & iræ impotentẽ fuisse, & suspicionibus properum, & credulum nimis, & præcipitem in pœnas, res ipsa & exitus postea docuit.

3 *In aliena prouincia intempestiuè imperium exercere visus est: quum (ex eo capite Legum, quo iubebantur Indi natali solo reddi, quocumque modo inde abducti essent) Peruanos Indos per Panamensem prouinciam conquiri, atque inde nauibus in Peru auehi iussit. August. Zarat. Hist. Peru. libro 5. capite 2.*

¶ Prorex Trugillium migrare constituit. Tumultu Limæ orto, capitur & custodiæ traditur. Gonz. Pizarrus partium imperium & bellum in Proregem suscipit. Machicaus Panamam diripit. Inoiosa ei sufficitur. Verdugus Nomine-dei potitus, mox inde à Pizarristis eijcitur.

CAP. XI.

PROREX vt perfecto demũ facinore magnitudinẽ eius intellexit, omniúmque in se accensa odia, hostis debellãdi spe amissa, cum Regio senatu Trugillium migrare constituit. Instaurare eo loco vires cogitabat: itaque quamuis repugnãtibus Assessoribus, duas naues instrui iubet, & Alphonsum Richelmum Regium Præfectum ærarii, Alphonsum rationarium Quæstorem, aliósque præterea nobiles euocari iubens: negotium dat iis vt in diem crastinum pręsto sint. Quippe Trugillium na-

Prorex nemine persequẽte, fugam spectat.

uigare ſibi eſſe in animo: & Velam Nunnez quidem fratrem ſuum terra cum militibus mittere: ſe verò cum coniugibus ac fortunis omnibus tum Adſeſſorum, tum colonorum, maritimo itinere abituros. Nulli eorum ſatis animi ad contradicendum fuit: ergo magis nõ auſi repugnare quàm conſilium probantes abeunt, & omnia Adſeſſoribus enunciant.

Illi quum inter ſe ea de re deliberaſſent, Lima non excedere ſtatuunt: ſimúlque edicunt ciuibus, ne coniuges neu quid rerum ſuarum exportari & in naues imponi ſinerent. Ipſi quoque Proregi fortiter obnunciantes, commonefaciunt ſi Lima diſcederet, hoſtibus auctūrum animos: manentem contrà frenos eorum audaciæ iniecturum. Præterea ſibi à Cæſare diſertè mandatum vt in ea ciuitate, non alibi, ſedem figerent: neque aliò migrare, ſaluo eius imperio, ſibi eſſe liberum. Prorex tamen omni obnunciatione & obteſtatione neglecta, pertinaciter in propoſito perſtans diſceſſum parabat, quum in ciuitate ingens repentè tumultus oritur. Rapta arma: Vela Nunez ſtans in foro cum aliis Proregis ducibus, mox deſertus à militibus, metu hoſtium in cœnobium San domenici confugit: alii domum Proregis irrumpunt, & fores occludunt: circumfuſi ædibus ciues quadrantis horæ ſpatio Proregem obſident: quem milites clamoribus magis quàm armis propugnabant: quum innoxiis lancearum haſtilibus, cuſpidibus retro verſis, ſubeuntem propellerent hoſtem, & fiſtulas ferreas ſine globis in vanum diſploderent.

Limæ ex trepidatione Proregis tumultus oritur.

Tandem Antonius Robles ſcala in murum euadens, domum irrumpit: portam recludi iubet: Dominicani quidam monachi Proregem adeunt & vt ſeſe dedat admonent. Ille tandem eorum precibus expugnatus, Laurentii Aldenæ aliorúmque aliquot trib. mil. fidei ſeſe permittit: & ad licentiatum Cepedam deduci ſe iubet. Vt in conſpectu fuit, ingenti dolore anxius, quòd obuius quidam, ipſum, dum deducitur, infeſto tormenti ictu appetierat, Cepedam ita affatur, Domine Cepeda, inquit, rogo te, nequis me interficiat, vt mei curam habeas. Cepeda cohortatus ne paueſceret, eum domum ſuam deducit. Mox etiam Adſeſſores conſolantur hominem, & ſe eius calamitate grauiſſimè affici affirmant: ſe vt caperetur neq; operã neq; conſiliũ dediſſe, ſed quãdo ita accidiſſet vt in ipſorũ poteſtate eſſet, pro bono atq; ipſius vtilitate facturos vt eum in Hiſpaniam ad Cæſarem mitterent.

Prorex capitur.

In eo ſtatu res adhuc erant, quum ciuitatẽ noui de integro motus inuadunt. Nonnulli Proregem ſoluendum: alii contrà interficiendum cenſebant, aut certe è ciuitate pellendũ. Tandẽ diu multúmque inter ſe altercati ciues in eam ſententiam omnes deſcendunt: Remittendum eſſe in Hiſpaniã ad Cæſarem, vti paulo antè diximus. Quippe eius diſceſſum multa ſequutura commoda: Pizarrum videlicet arma poſiturum: pacatam fore prouinciam: atque ea Cæſari ſatisfactura. Ergo quæſtione de Prorege habita eíque culpa totius motus aſsignata, cum fratre in nauim imponunt, centum amplius millia ducatorum

Prorex in Hiſpaniã remiſſus liberatur.

domum referentem, quæ partim muneribus, partim ſtipendiis, partim rerum venditarum pretiis, contraxerat. Eúmque cum omnibus fortunis licentiato Aluarez in Hiſpaniam deducendum tradunt. Is ad Tumbeſiæ oram appulſus, Proregem liberauit: quo facto ei mox exitium attulit.

EODEM ferè tempore Gonzallus Pizarrus Cuſco mouens (paulo antè interfectis Philippo Gottierez aliiſq; aliquot nobilibus, quòd ad Regem multa aduerſus ipſum ſcripſiſſent) duobus à Lima mil.paſſ. caſtra locat. Quúmque ibi accepiſſet, Proregem ſolutum Tumbeſiæ exercitum contrahere: priuſquam vrbem ingrederetur, quo in ſe animo Aſſeſſores & nõnulli ciues eſſent cognoſcere voluit. quippe non paucos inclinatis in Proregẽ ſtudiis eſſe audiuerat. Ergo à ſenatu, omniũ colonorum nomine qui eas oras ſubegerant, ciuitatis imperium poſtulat, quantum id Regij obſequii reſpectus & totius prouinciæ communis vtilitas poſtularet. Maxima ciuiũ pars deferendum ei imperium cenſebat, metuentes ne vi irrumpens vrbem ipſam diriperet: alii, Cepeda maximè, valida militum manu cõtracta fretus, omni ope propulſandum contendebat: ſed vbi cognouit maximam militum partem tranſiiſſe in caſtra Pizarri: tum etiam à nonnullis, quòd vim quàm leniores vias experiri mallet, correptus: quum illi ſine vtriuſque partis grauiſsimo damno prælii aleam tentari poſſe negarent, ſpecioſiora ſuadentibus acceſsit. Hæc enim ſimulata tantùm erãt:
neque

neque alio animo ab iis iactabantur, nisi vt Regis os fallaci obsequij specie sublinerent. Omnium ergo consensu Gonzallus Limam ingressus, Gubernator, addita exceptione, dicitur: Nempe ea lege vt quoties Cæsar de rebus aliter statuisset, ipse eo se munere vltro abdicaret: interea illud fideliter pro boni & Christiani viri officio, sub Dei & Regis auspiciis & imperio, gereret.

Gonz. Pizarrus Gubernator Peru. designatur.

GONZALLVS iam Gubernatorem agens res ciuitatis componit, Senatum abolet, insidias ab eo metuens: quadraginta millia ducatorum à Regio fisco mutua sumit ad stipendia militum: Machicaum trib. mil. Panamam mittit: Doctorem Teiadam in Hispaniam delegat, qui Cæsarem de prouinciæ statu, & quæ nouas leges sequuta essent incõmoda, certiorum faceret.

Bacicaum Hispani scriptores vocant.

MACHICAVS penuria maiorũ nauium, duobus phaselis vela fecit cum L. tormentulariis: & oram præterlegens duas naueis ad Trugillium, & vnam in Tumbesię ora cepit: Proregi terrorem intulit: Ioannẽ Lanez in fugam vertit: aliquot milites in Portu vetere contraxit: & prope Tabogam naue vna potitus, eius magistrum, quòd demissis properè velis in deditionem non venisset, ex antenna suspendit. Mox in Panamam appulsus, quum Ioannes Gusmannus qui militũ pro Blasco Prorege delectum habebat, eum ingressu vrbis prohiberet: intercessit eius prouinciæ Gubernator. Nam quum audisset Machicaum nõ alia de causa eò appulisse quàm vt doctorem

Teiadam, legatum & procuratorem à commu ni Peruensis prouinciæ ad ipsum Cæsarem missum comitaretur: Gusmannum cohibuit. quippe æquum non esse inquiens legatis moram & impedimentum offerre, & nulla de causa humanis cædibus materiem occasionémque præbere. Itaque Machicao patet aditus: ipse cum maxima suorũ parte in terram egressus, naues aliquot quæ in portu stabant occupat: milites qui Ioannem Gusmannum deseruerãt omnes sibi adiungit, cum multis volonibus erronibúsque qui Nomine-dei eò confluxerãt: Bartholomæum Peresium trib. mil. eiúsque signiferum interficit: ac multò plures interemisset, quòd initis de ipso occidendo consiliis ad exercitum eius tradẽdum Proregi conspirassent, nisi sibi consuluissent fuga: tormenta vrbi propugnandæ comparata capit: negotiatorum tabernas vestiendis militibus exhaurit, se aliâs pro mercibus pretium persoluturum pollicitus. Exactis per hæc scelera aliáque multa aliquot mensibus, octo nauibus & quadringentis amplius militibus auctus, Panama in Peru renauigat.

Machicaus Panamam diripit.

PORRO metuens Gubernator Pizarrus ne Prorex è Panama bello vires facillimè repararet, quòd is locus nauibus quæ ex Hispania ad Nomen-dei appellunt opportunus & commodus esset, eum portum sibi occupandum statuit. Sed quum audisset Panamenses ciues & mercatores de Machicai latrociniis & rapinis plurimum queri, abdicato ei munere, Petrum Inoiosam in eius locum sufficit. Non

Inoiosa Machicao sufficitur.

defue-

defuere qui intercederẽt & Machicao munus illud continuari vellent: ſed hæc ſententia obtinuit. Inoioſa, Proprætoris ſeu ſummi claſsis præfecti titulo auctus, cum centum quinquaginta tormentulariis è Calliao Limæ portu ſoluit: inde oram prætcrlegens Velã Nunez in portu Bonauenturæ cum xx. millibus ducatorum corripit. Is in eo portu duos myoparones inſtruebat, ttaiicere in Panamam cogitans ibíque Proregi fratri ſuo milites conſcribere. Eum captum Inoioſa Limam ad Gubernatorem mittit: qui mox eum tumultus cientem & colonias ad Proregis partes fouendas ſollicitantem capite plecti iuſsit.

Proregis frater capite plectitur.

INOIOSA præterea Gonzalli Pizarri filium, quem captum Vela Nunez ſecum ducebat, recuperat: & cum ea præda è portu Bonauenturæ ſoluens tribus nauibus & duobus myoparonibus, Panamæ oram tenuit. Ibi tum fortè, Ioannes Lanez milites Proregi contrahebat. is vt naues conſpexit, extemplò pulſari tympana iubet, & in forum cum militum agmine progreſſus, quantum niti voce poterat ciues inclamat: "Prodite foras Proditores, & "regiam prouinciam à tyrannis defendite. Hæc verba multorum indignationem odiúmque in eum commouerunt.

POSTERA die Petrus Caſaus ſummus eius prouinciæ Prætor (Iuſtitiarium maiorẽ vocant) Ioannis Lanez rogatu, milites Nominis-dei colonia excit: ſimúlque ad Inoioſam mittit qui cauſam aduentus eius quærerent. Ille ſe ad Ferdin. Machicai nomina

luenda & diſſoluenda veniſſe, reſpondet: eo facto, mox in Peruſium regreſſurum. Attamen vbi ille Panamæ arma in ſe ſumi & vim parari intellexit: nec pati vllomodo velle Ioannem Lanez vt vrbem intraret: milites in terram exponit, & inter prominentes litoris ſcopulos collocat: myoparones cum aliquot tormentis oram radere iubet. Altera ex parte Ioannes Lanez Panama obuiam egreſſus, cum trecentis amplius Hiſpanis, caſtra prope hoſtem locat. Iámque tormentarius, iuſſu Laneſij, machinæ vni ignem immiſſurus erat: quum monachus quidam ordinis D. Mariæ, crucifixi imaginem geſtans, cum Petro Cabrera mula circumuectus, PAX, PAX, alta voce proclamat.

Inoioſæ ſtrategema.

PROGRESSI ad colloquium vtriuſque partis duces, his legibus fœdus ineunt: Vt Inoioſa xxv. tantùm militibus comitatus vrbem intraret: Reliquum exercitum & naues ad Tabogam inſulam procul vrbe remoueret donec Machicai debita perſoluiſſet: poſtremò nobiles viros duos, quoſcumque Lanez legiſſet, fidei obſides daret. Inoioſa his acceptis conditionibus, Balthaſſarem, comitis Gomeræ filium, & Paulum Meneſium trib. mil. obſides tradit. Ita fallacibus promiſsis circũuento Laneſio, pax inter eos componitur. At paulo pòſt, quum perſoluendis militum ſtipendiis pecunia Laneſio deeſſet, milites eius terni quaternívе ex vrbe in Tabogam commeantes & ludicris cantionibus, quominus ſuſpecta res eſſet ſeſe oblectantes, per omne in-

duciarum

duciarum tempus, paulatim omnes duci suo elapsi ad Pizarristas transfugere. Ipse tandem ab omnibus destitutus, vno reliquo pedisequo, fugæ comite, Panama decedit, & Carthaginem sese recipit. Inoiosa orbam præsidio vrbem cum exercitu intrat, festas inter militum voces clamantium, VIVAT RER ET GONZALLVS PIZARRVS. Mox ad Nominis dei coloniam occupandam & eum portum tutandum Petrum Cabreram & generum eius cum duabus cohortibus mittit.

NON multo pòst Melchior Verdugus, Pizarri partibus infestus, cum ducentis militibus per emissarium Nicaraguensis lacus secundo amne defluit. Ad Nomen-dei noctu fortè quum appulisset, milites exponit. Egredientium in terram militum tumultu excitati coloni, Gallos esse arbitrati, in siluas confugiunt. Melchior in Cabreræ ædes ignem iniici iubet, illum simul conflagraturum cum domo ratus: sed iam ille in Panamam cum genero aufugerat. Ad eum modum Verdugus Nomine-dei potitus, eam præsidio munit.

Verdugus Proregis partes fouens Nomen dei capit.

AT ciues, quum multas à militibus iniurias quotidie paterentur (illi enim militari licentia merces & quæ que obuia rapientes, aliáque infanda edentes facinora, ius etiam prætexebant sceleribus: Id nimirum meritò iis accidere qui Tyrannos aduersus Regem defenderent) graues de illatis sibi à Verdugo damnis & iniuriis querelas ad doctorem Riueram, eius prouinciæ Gubernatorem, deferunt. Is Panamæ manebat: ac tum Petri Inoio-

fæ auxilium implorans, cum eo Nomen dei cum centum & quinquaginta tormentulariis properat. Prius tamen quam vim adhiberet, Verdugum obteſtatur, vt præſtitis impenſis & penſatis damnis quæ colonis intulerat, prouinciam ſuam extemplò repeteret. Id niſi ſpõte faceret, vim & arma exſpectaret. Ad hæc Verdugus, Et eum & colonos grauiora mereri, quando tyrannos in regia prouincia fouerent, reſpondet. Inoioſa tam contumaci reſpõſo offenſus, ciuitatem irrumpit, ſuos vndique inuadere hoſtem iubet. Verduguenſes tanta tormentulariorum copia perterriti, adhæc, vt qui nihil præcauiſſent, incompoſiti inordinatíque, omiſſa defendendi ſui cura, terga vertunt: & princeps fugæ ipſe Verdugus in myoparonem raptim inſiliit: certatimq; milites nauigia è portu moliti inde omnes, præter vnum vulnere impeditum, trepida fuga exceſſere.

Verdugus Nomine-dei eiici-tur.

¶Centenus à Caruaiale funditur. Prorex prælij fortunam aduerſus Pizarrum expertus vincitur & interficitur.

CAPVT XII.

HÆC Panamæ & Nomine-dei gerebantur: interea Gonzalius Pizarrus ad opprimendum Didacum Centenum, rebellionem aduerſum ſe molientem, Franciſcum Caruaialem Præfectum caſtrorum legatum ſuum mitti. Is Centenum ad Potoſiam aſſequutus, aggreditur, funditq

vſque-

vsqueadeo captiuis militibus immitis vt omnes suspendi laqueo iuberet. Centenus ipse inter tumultum cum Lodoico Riuera & famulo vno in montes quosdam asperos Indis habitatos elapsus nō procul Arequipa, perniciē effugit. Caruaial ea victoria insolescens & varia per loca infesta arma circumferens, omnia sanguine, ferro flammísque miscuit, Ciarchas diripuit: atque ex eo loco Arequipam, dein Cuscon regressus, latrociniis, suspēdiis, & corporum dilacerationibus, quoscumque Regis partibus fauentes cepit, atrociter vexauit.

Prorex vires instaurat.

EODEM ipso tempore Prorex in Popaiano, prouinciæ Venalcazaris agro erat: à Gonzallo Pizarro instante acriter cedēti diu iactatus, eius manus vix effugerat: tum verò ibi delitescens quum mēdaci fama accepisset Pizarrum è Quito Limam concessisse, etsi captiuitate fratris non mediocriter angeretur, spem tamen recuperandi imperij, vindictæque à Pizarristis expetendæ, non omnem abiecit. Itaque Sebastiani Venalcazaris ope quadringentos Hispanos cōtrahit, aciéque instructa procedens: vbi Ottabalum peruenit, Gonzallum nec Limā profectū, nec procul abesse cum valido exercitu aduersus ipsum venientem cognoscit. Hoc tam inopinato nuncio perculsus sub vesperam crebris ignibus ad fallendum hostem passim excitatis, inde prima ferè vigilia mouit: & per inuios saltus atque aspera tesqua raptim exercitum ducens, ne vllo quidem quietis momento ad relaxandū laborem dato, totā eam noctē & magnā sequentis

diei partem, ducibus Indis, ingens viæ ſpatiũ emenſus eſt. Ac vix tãdem, fatigatus & propè exanimatus ſiti, Quiton peruenit. Ibi quum Numidica mulier aquæ ampullam vnam ei porrexiſſet, ſitim reſtinxit: & à ciuib. de exercitu Pizarri diligenter ſciſcitatus, vbi validum eſſe comperit, aliquantulum expauit: mox collecto animo, multis conſulentibus vt poſitis armis Gonzalli fidem ac clementiam experiretur: Vel mori ſtrenuè ſibi eſſe melius reſpõdit, quàm ſe tali viro, id eſt tyranno, dedere.

Prorex à Pizarro victus interficitur.

EXINDE nonnullorum fidei ciuium diffiſus, Quito egreditur & tribus ab vrbe paſſ. milibus in modica planitie, caſtris locum deligit. Pizarrus quem diſperſis paſſim exploratoribus nullæ hoſtis res fallebant, fuga Proregis comperta & quanto flexu viæ copias circumduxiſſet, milite ſequi iuſſo cedenti inſtare conſtituit, & poſtera die patentibus locis eum adeptus, caſtra caſtris contulit. Prorex animoſiùs quàm prudentiùs ſuos in aciem eduxit: neque illi pugnam detrectant. Ac primo cõgreſſu tormentularij Pizarri pilis plumbeis hoſtium aliquos obtriuerant: hinc trepidantes equitum alæ Proregi circumfunduntur: ille animoſè pugnam ciẽs omnes pariter in hoſtem ducebat. Sed tranſuerſam Regiorum aciem, equitum turma duce Cepeda incurſans, facillimè perrupit. Prorex ex equo deiicitur, quúmque oppreſſus pondere armorum niti ad reſurgendum nõ poſſet, ignotus aliquandiu inter ſuorum hoſtiúmque ſtragem fefellit. Mox quum Quitenſis æditiuus illac fortè prætervectus,

ctus, propius se ad eum applicuisset, tum Prorex: Abstine à me manus, inquit: ego sum Prorex. Sacerdos, Opportunè: tu is es quem nos quærimus. Ac confestim ad licentiatum Caruaialem accurrens, lætum illi hoc nuncium perfert. Is Factoris fratris sui cædem vlcisci ardētissimè cupiebat, quem Prorex manu sua, vt antè diximus, interemerat. Ergo properabat vt iacentem hostem confoderet: ni Petrus de Puellis descendere equo parantem cohibuisset, Haud satis decorum ipsius autoritati eiuscemodi facinus edere, admonens. Ille igitur, seruo ad cædem eius misso, Proregem obtruncari iubet. Interfecti caput abscissum Quiton Caruaialis iussu defertur, & patibulo, vnde capita noxiorum pependerant, affigitur. Neque eo ludibrio contenti nonnulli, barbam etiam contemtim vulserunt. Tandem tamen corpus sublatum, deportatur Quiton, & postera die iussu Gubernatoris honorificè conditur.

Sup.ca.10.

Eo prælio Pizarristarum quinque cecidere, aliorum paulo plures. Gubernator moderatè victoria vsus, cum hostibus clementer egit. Venalcazarem quoque, quamquam aduersus se pugnasset, donis prosequutus, in suam prouinciam remisit, & aliquot præterea Prætores & duces. Boniliam Præfectum ærarij, & alios Quitenses ciues captos, Chilen in exilium misit. Sed illi comparata clanculum naui in nouam Hispaniam aufugére. In Guaiaquil Manuelem Statium Propræfectum misit: ad Portum-veterem, Lupum Aialam: Sausam

Alphonsum Mercadillium: Trugillium, Didacum Moram. Ad hunc modũ ceterarum ciuitatum imperiis distributis, Petrum de Puellis quoque legatum Quito præficit, & inde progressus in ciuitate Regum ingenti omnium lætitia exceptus est.

¶Petrus Gasca componendis Peruanæ prouinciæ motibus mittitur à Cæsare. Ad Gonzallum Pizarrum scribit. Pizarri & rebellium responsum. Multæ vrbes à Pizarro deficiunt. Centenus Cuscon occupat.

CAP. XIII.

INTER hos Peruensium motus, nũcius affertur Cæsari Proregem à Limensibus captum, à Gonzallo Pizarro motam contumaciter rebellionem & sumta aduersum se arma. Ex quo ingenti dolore affectus est, grauiter Adsessores incusans, quòd talia consensu suo approbassent. Mox comperto, præcipuam mali causam à Prorege ortam: illúmque quum nollet prouocationem à nouis legibus admittere, seditioni materiem & flammam subdidisse: aliquantum mitigatus, ne prouincia maius detrimentum acciperet, superioribus vulneribus sanandis quieti ingenij hominem legere instituit. Nemo ad eam rem licentiato Petro Gasca aptior visus est, viro quem astutissimæ vulpis quàm ferocissimi leonis similiorem facilè esse crederes. [1] Hunc Præsidis titulo auctum

Vbi leonina pellis non sufficit, vulpina assuitur

auctum, omníque imperio, autoritate, & quibuscumque voluit petiítque literis ac diplomatis instructum, in Perusium mittit.

Is licentiato Cianca & Renterio comitibus adiunctis, anno M. D. XLVI. ex Hispania vela fecit, ac prospero vsus vento quinquagesimoquinto quàm soluerat die ad Nomen dei appulit. Inde terrestri itinere Panamam progressus, quam occultissimè fieri poterat, quo statu Pizarri res essent, sagaciter odorando & sciscitando peruestigabat. Siquando à Pizarristis fortè interrogaretur, quã ad rem ex Hispania missus esset, omnibus comiter ac sæpe capite aperto respondebat, Se ad componendos Peruenses motus, & abroganda Edicta quæ Prorex attulerat, venisse: ac obliteratis venia omnibus quæ deliquerant, summopere se cupere eas prouincias in pristinum statum reducere, vt omnes honestè pacificéque viuerent. Interdum etiam familiariùs cum gregariis militibus sermonem socians, bono animo & hilari esse iubebat: se omnia velle recta & molli via consequi: quinetiam diuitiis omnes expleturum pollicitus, non se aliò tendere affirmabat quàm vt ius earũ prouinciarum recuperaret: & ipsi agnito errore sub imperium Cæsaris redirent.

Gascę in subodorãdis hostiũ cõsiliis mira sollertia.

His & aliis multis eiuscemodi splendidis dictis omnium oculos perstringens, simul Inoiosam aggreditur, & ad tradendã sibi cum exercitu classem solicitat. Dein ad Pizzarum

Gaſcæ fallaces ad Pizarrum literæ.

litteras mittit, a quarum ſententia hæc erat: Si Imperium & arma ſponte poneret, veniam ipſi omnium antè actorum à Cæſare tribui, & abrogatis legibus nouis omnibus fortunas ſuas relinqui. Porro ne eorum qui ipſius partes hactenus ſequuti eſſent, fidei nimiùm inniteretur. quippe illos, ſimulac vocem Regis audiſſent, veniam & pacem offerentis, omnes ab eo ad vnum defecturos, & perniciem eoſdem ipſi allaturos, quibus ſalutem ſuam crederet.

His acceptis litteris Pizarrus, aduocato primorum conſilio, omnes ſententiam liberè dicere iubet. Illi, re diu multúmque deliberata, tandem congruentibus ferme in vnum omnium ſententiis decernunt, Primùm omni ope Gaſcam Peruanæ prouinciæ aditu prohibendum eſſe: deinde mittendum legatum ad Cæſarem, qui de Proregis morte ei explorata omnia & certa referret: tum Regiæ eius Maieſtati ſupplicaret, vt propitia voléníque prouinciæ imperium Gonzallo Pizarro confirmaret. Id ſi ab eo impetrarent, magnam vim pecuniæ ei ſe vltro contributuros. His decretis, F. Hieronymum Loaiſam & Laurentium Aldanam in Hiſpaniam delegant, ac epiſtolam ad Gaſcam Præſidem communi omnium nomine ſcribunt, legatíſque eam, ſexaginta quatuor Prouincialium, qui eas terras pro virili parte manu ceperant, chirographis ſubſcriptam & obſignatam ad eum perferendam tradunt. Exemplum eius infrà ſcriptum eſt:

MA-

MAGNIFICE domine, te Panamam aduenisse, & nunc quoque de traiectu in Peruensem prouinciam cogitare, accepimus. Equidem si paulo maturius & ante Proregis mortem venisses, id nobis non minus iucundum quàm vtile futurum fuisse testamur. Nunc autem post tot intestina bella & Hispanorum cædes non tantùm parum tutus in has prouincias aduentus tuus, verumetiam detrimẽtum aliquod grauius allaturus est. Quare multo satius videtur, & cum publico omnium bono coniunctum vt tu in Hispaniam cum legatis nostris redeas, quos ad Cæsarem mittimus, vt ei horum motuum causas successúsque & cõsilii nostri summam exponant: petántque ab eo vt Gonzallo Pizarro huius prouinciæ imperium proroget ac confirmet, peritissimo omnium viro ac longo rerum & tractandæ prouinciæ vsu assuefacto: qui etiam propter singulares ipsius virtutes ab omnibus meritò velut Parens-patriæ habetur & diligitur: qui prouinciam pace & iustitia regit: qui Regia vectigalia ac reditus sartos tectósque præstat. Ac nos quidem eam gratiam à Cæsare accepturos confidimus, propter egregia in eum merita & constantem in obsequio & fide perseuerantiam: quam, etsi ab ipsius Legatis & Præfectis bellis ciuilibus, & rapinis adeo voracibus, vt ne vectigalibus quidem regiis pepercerint, crudeliter vexati, integram hactenus retinuimus. Facilè quoque nos ei probaturos speramus, quæcũque propugnandi nostri causa sumtis in eos armis gessimus. quidquid

Gonzalli & partiũ ad Gascã magnanimum responsum.

„ enim huius fecimus, quod leges permittunt,
„ iuris nostri tuendi gratia fecimus. Quare ve-
„ niam aut gratiam criminum nullam ab eo pe-
„ timus: quando deliquisse in eum aliquid nobis
„ conscii non sumus. Te verò pro eo studio ac
„ zelo, quo hactenus semper in Dei cultum &
„ Regis obsequium affectum esse præ te tulisti,
„ magnopere oratum volumus, vt Hispaniam
„ repetas, & quæ his prouinciis recreandis
„ commoda necessariáque esse pro tua pruden-
„ tia perspicis, ea coràm ipse Regiam maiesta-
„ tem edoceas. Quod te quidem ita facturum
„ speramus.

LITTERAS quoque dant ad Inoiosam (& hoc idem Pizarrus Laurentio Aldanæ in mandatis dedit) vt Petrum Gascam L. millibus ducatorum donatum in Hispaniam remitteret: aut si potius ita videretur, eum interficeret. Id mox, allatis Panamam literis, Laurentius Aldana Præsidi Gascæ indicauit, monuítque vt ab occultis hostium insidiis ad ipsius cædem structis caueret. Præterea ei pro certo retulit Pizarrum numquam sponte passurum vt Peruanam prouinciam intraret: quamquam alioqui complures bene in Regem animati eum multo libentissimè visuri essent. Ceterum quum Inoiosa nullo pacto adduci posset vt classem Gascæ proderet, nempe fidei Pizarro datæ nondum immemor, ad vltimum tamen Cæsareis literis inspectis, quibus anteactorum omnibus qui à Pizarri factione ad Regem desciuissent venia dabatur,

Inoiosa classem Pizarri, Gascæ prodit.

dabatur, expugnatus eam tandem tradidit: Tanta re tam facilè potitus Gaſca, ſine qua fruſtra in oppugnando Pizarro ſe fatigaſſet, ingēti lætitia, eundem Inoioſam vt antè claſſi præficiens: ceteros quoque claſſiarios duces ſuo quemque gradu atque ordine quem priùs obtinebat relinquit. Simul Nomine dei aliquot tormenta & machinas aduehi iubet, quas ex Hiſpania tranſtulerat: mox etiam Mexico, Guattimala, Nicaragua, Dominica, miſsis ad præfectos litteris, milites, equos, arma, commeatus, contrahit: pecunias in ſtipendia militum mutuas à Mercatoribus ſumit: Laurentium Aldanam ad promulgādas Veniæ generalis literas & nouarum legum abrogationem, tribus nauibus in Peruſium mittit.

Gaſca hoſtiū duces præmiis & honorum ſpecie inescat.

ILLE Panama ſoluens, nullo loco priùs terram attigit, quàm in Calliaum Limæ oſtium perueniſſet. Inde nauim vnam è tribus Trugillium, alteram Arequipam mittens, pluribus ſimul locis Regia diplomata & claſſis defectionem euulgat. Qua ex re factum eſt vt maxima pars ciuitatum, fama de claſſe ab Inoioſa Gaſcæ prodita ſparſa, à Gonzallo Pizarro deficeret. Primùm Trugillij Didacus Mora, Quiti Rodericus Salazar ab eo deſciuere, quorum hic Petrum de Puellis iacentem in lectulo pugione confodit: Franciſcus Vlmeus in Guaiaquil Emanuelem Statium interemit, iam tribus aliis in Puna inſula ciuibus interfectis. Quæ quidem cædes iam refixo explicatóque aduerſus

Amici cū fortuna fidem mutantes.

rebelles & proſcriptos vexillo regio, impunè grasſabantur.

QVVM fortè tantas inter rerum procellas ad Portum-veterem eſſem, Didacus Mendez Lupum Aialam cepit, Moralem trib. mil. ſtrangulari iuſſit: ſed ab iſtis hæc vlciſcendi potius rabie quàm ſtudio iuſtitiæ fiebant. Didacus Centenus à Didaco Aluare Arequipa excitus, è montium latebris, in quas ſe abdiderat, prodit, & ſe Aluari iungit. Mox affluentibus quotidie aliis, cum octoginta Hiſpanorum globo, quos eiuſdem cauſæ ſors aggregauerat, Regis nomine Cuſcon occupare properat: eam tum trecentorum militum pręſidio Antonius Robles obtinebat, quos paulo pòſt ad Pizarrum ducturus erat. Id vt comperit Cetenus, noctu vrbem intrat: hoſtes incautos & ſopitos opprimit. Multi ttucidati, vulnerati plures: dux ipſe viuus capitur: ei Centenus ceruices abſcindi iubet, & ceteram multitudinem, amiſſo duce, ſub imperium Regis facilè redigit.

QVA victoria admodũ inflatus, Cuſco mouet, & Potoſiam aduerſus Alphonſum Mendozzam & Ioannem Silueiram contendit. Hi duo Pizarri legati erant, eo loco iuſſa eius cum valida manu expectantes: ſed vbi Centenum aduentare intelligunt, ei obuiam vltro egreſſi copias iunxere. Quibus ille viribus auctus Tiquacacẽſis lacus clauſtra occupat & cum exercitu ibi conſidet, eo conſilio vt Præſidem opperiens, ſimul obſeſſo eo tranſitu omnia itinera hoſti intercluderet.

OMNIVM

1 OMNIVM *quæ in Peru acciderant nuncium accepit Carolus Cæsar in Germania (vbi tum aduersus Protestantes bellum gerebat) per Didacum Aluarez Proregis Velæ cognatum & Franciscum Maldonadum Gonz. Pizarri domesticum. Eorum porro malorum remedium aliquamdiu dilatum est, tum quòd Cæsar Castella abesset, tū quòd morbis nonnumquam implicitus, grauioribus curis non vacaret. Tandem Petrum Gascam eò mitti placuit, qui tum ex Inquisitionis Hispanicæ collegio & consilio erat, cautum & cordatum virum & cuius animum ingentibus negotiis parem sollertiám que expertus fuerat Cæsar, tum eo apparatu, quem paucis antè annis in regno Valētiæ aduersus Turcarum & Maurorum classem fecerat, quam imminere Hispaniæ allatum erat: tum aliis negotiis, quæ propriæ ad Inquisitionis munus & Infidelium conuersionem spectarent. Hunc virum Cæsar, abrogatis durioribus illis Edictis, quæ Blasco Velæ exitium attulerant, attributo libero imperio, componendis Prouinciæ motibus delegit. Neque ille, gnarus plura consilio & astu quàm vi perfici, superbiorem titulum asciuit, quàm Præsidis Regiæ audientiæ siue Curiæ Peru: nihil aliud palam præ se ferens, quàm se missum esse, vt omnibus ignosceret, & quammollissima via consequi posset omnia in pristinum statum restitueret: acceptis tamen à Cæsare litteris, sigillis & chirographis, quorum autoritate, si opus esset, vires & milites contraheret: sed id clam. August. Zarat. Histor. Peru. libro 6. capite 6.*

2 PETRVS *Gasca longa epistola Gonz. Pizarrum monuit vt abdicato Gubernatoris munere, sponte sub fidem atque imperium Cæsaris concederet. Eius exemplum exstat apud August. Zarat. Hist. Peru. lib. 6. cap. 7. Eam per Petrum Hernãdum Paniaguã misit, simúlque Caroli Cæsaris litteras ad Gonzallum Pizarrum scriptas*, Anno M. D. XLVI. *Earum litterarum sententia hæc erat:*

Rex.

„ GONZALLE *Pizarre, tum litteris tuis,*
„ *tum aliorum relatu, certiores facti sumus de exortis in Peruanis prouinciis motibus, ceterísque rebus*
„ *quæ ibi acciderunt, ex quo Prorex Blascus Nunez*
„ *Vela legatus noster, & cum eo Regiæ curiæ Au-*
„ *ditores eò missi sunt: quòd nimirum illi nouas leges*
„ *atque Edicta, à nobis facta ad iustum earum re-*
„ *gionum regimen, & clementer tractandos earum*
„ *indigenas, regidiùs exsequi vellent. Ac certum*
„ *quidem habemus, nec te, nec eos qui te sequuntur,*
„ *eo consilio secessisse vt imperium nostrum exuere-*
„ *tis: sed tantùm vt rigorem & asperitatem declina-*
„ *retis, qua dictus Prorex iia vti strictè volebat, vt*
„ *nullam ab iis legibus prouocationem admitteret.*
„ *Itaque, totius rei veritate accuratè perspecta, si-*
„ *mul audito Francisco Maldonado, qui abs te &*
„ *Prouincialibus colonis missus nobis omnia retu-*
„ *lit: licentiatum Gascam, è sancta & generalis In-*
„ *quisitionis corpore ac consilio nostro eò mittere vi-*
„ *sum est. Quem idcirco mandatis ac potestate in-*
„ *struximus, vt, eis terris pace ac quiete reddita,*

quæ-

quæcumque ad Dei cultum, prouinciarum constitu- tionem ac decus, & colonorum, clietium nostrorum, & indigenarum, commoda pertinere ipsi videbuntur, ea omnia curet ac prouideat. Quare vobis mãdamus atque iniungimus, vt quæcumque dictus Licentiatus nostro nomine vobis edixerit, ea præstetis, ac perinde dicto audientes ei sitis, {vt si ea à nobis ipsis mandata essent: tum vt quantocumque poteritis, fauore & ope eum iuuetis, quò faciliùs commissa à nobis perficere & exsequi possit. Quod vos præstaturos confidimus. Ac me quidem scito habere in memoria, & habiturum benefacta & officia in me vestra, tum quæcumque Marchio Franciscus Pizarrus frater tuus imperij mei propagandi causa, præclarè & fortiter gessit: atque eorum tum liberis eius tum fratribus suo tempore præmia persoluturum. VENELO, XVI. die Februarij. Anno M. D. XLVI.

EGO REX.

Mandato suæ Maiestatis:

Franciscus de Eraso.

¶Gonz. Pizarrum amicorum præcipui deserunt. Centenus ab eo, prælio vincitur. Chilensem prouinciam, suadente Caruaiale, petere abnuit.

CAP. XIIII.

INTEREA Pizarrus è Regum ciuitate miseram partium ruinam, & paulatim diffugientes cum fortuna amicos, conspiciens, eos præsertim qui suscipiendi huius incepti præcipui ipsi autores & participes fuissent: ac iam à Petro Inoiosa, in quo vno maximè spem ac presidium rerum suarum collocauerat, classem Gascæ proditam, atque ab omnibus ferè sociis populis sumta in se arma: ingenti quidem dolore perculti, non tamen tot aduersis casibus frangi aut animum abiicere. Itaque aduersum mala insistens spei, Ioannem Costam ducentis cum militibus Trugillium aduersus Didacum Moram mittit: sed is quum Didacum Casiamalcam concessisse & se validiorem esse compe- risset, Limam reuertitur. Eum mox Pizarrus cum maioribus copiis Cuscon ablegat, vt inde Centenum eiiceret, quem in ea vrbe esse existimabat. Paulo post istius discessum, Laurentius Aldana Limensem portum quatuor nauibus inuectus, ingentem Pizarri exercitui terrorem intulit.

Gonz. Pizarri inuictus in aduersis animus.

IN ea trepidatione Ioannes Roias & Alphonsus Maldonatus cum multis aliis Pizarrũ de-

deseruere. Pizarrus ne plures ad hostem trās-fugerent veritus, Lima Arequipam migrare constituit: sed ne ea quidem res licentiati Caruaialis fugam morari potuit, qui cum omni familia, cognatis & amicis repentè à Gonzallo desciuit. Eius hominis transitio Gubernatoris animum vehementer pupugit, quòd is è primoribus exercitus ducibus erat, & inter omnes amicos præcipuo honore cultus à Pizarro. Ergo ipse Lima excedens, per celeres equos ad Ioannem Costam scribit vt quamcelerrimè Arequipam veniat. Quum prope Guamanguā esset, Sottus summus Præfectus castrorum, Martinus Vlmeus trib. mil. cum maxima cohortis parte, eum deseruerunt. Interea Arequipam ipse, Laurentius Aldana Limam ingreditur, & vexillum Regium attollit.

Pizarrus amicorum præcipuorum defectionibus vulneratur.

GVBERNATOR, reuerso Ioanne Costa, dubius animi, eum & reliquos amicos qui fidem non mutauerant, in consilium adhibet, quid optimum factu esset exquirens: neque enim iam de imperio sed de salute agi. itaque quando retinendæ prouinciæ nulla spes esset, vitæ saltem consuleret. Quum omnibus noua exilia, nouas quærendas terras placeret, & ad id Chilensis prouincia opportuna videretur: Pizarrus militem ire in ordines & disposito agmine ingredi iubet. Quingenti fermè Hispani milites, multis Indis lixis & calonibus admixtis, erant.

AT Pizarrus cogitans recto itinere tendentibus necessariò transeundū esse, quà Centenus cum mille ac ducētis Hispanis angustias

quaſdã inſederat, Franciſcum Spinoſam cum triginta equitibus viam propter alueum Tiquacacenſis lacus ſequi iubet, vt hoſti velut illac ituri ſpeciem præbens, eum ad impediendum tranſitum in illam partem auerteret. Ipſe verò diuerſa via, Caruaiale Præfecto caſtrorum cum toto exercitu præmiſſo, per Vſcouium aſperrimos Guamangæ montes præſtringens tendebat. Ibi ſacerdos fortè repertus, Cæſarei exercitus explorator, ab eo ſuſpendi iuſſus eſt. Centenus ab Olea trib. mil. qui ad eum tranſiuerat, de Pizarri cõſilio edoctus, ex eo loco mouet & Pucoranum properat. Pizarrus vbi hoſtem rectâ ad ſe tendere, comperit. ſe Guarinæ ſaltu & hoſtilibus copiis clauſum ac viribus imparem: mittit ad Centenum, Se prouincia omni vltro excedentem in Chilen migrare: proinde tranſitum liberum abeunti concederet. Centenus enimuerò negare ſe daturũ, ſed petere vt ſe in ipſius fidem ac poteſtatem permitteret. At Pizarrus:
» TV NON es Rex, inquit, vt me tibi dedam: tu
» nuper vnus è meis clientibus & domiſticis e-
» ras: verùm quum fortè aliquid à me flagitan-
» ti negaſſem, tu aduerſum me arma ſumſiſti.

AB hoc reſponſo, Centenus vlterius pergens, emiſſarij Tiquicacenſis lacus ponte interſciſſo: Pucoranum peruenit, ibique x v. millibus paſſ. à Pizarro caſtris poſitis aliquot dies conſedit, ratus hauddubiè Pizarri milites ad ſe tranſitionem facturos. Verùm vt ab illis nihil moueri videt, octo millia paſſ. propius hoſtem admotis caſtris: copias Alphonſo

Prælium Pizarri cũ Centeno.

Men-

Mendozzæ & Ioanni Siluerę legatis tradit. Ipse, lateris dolorem causatus, cum Ioanne Solano Cuscensi episcopo in tutum locum secedit. Alphonsus Mendozza & collega, quibus hostem vltro aggredi certum erat, aciem tumultuariè, ac contemtu hostis negligenter ordinant. siquidem iam certam victoriæ spem præceperant animis, multa & vana iactantes & ludicra inter se cientes certamina, quum videlicet se Pizzarristis, etiamsi triplo tanto plures essent, facilè pares esse dicerent.

CARVAIAL de ordine & loco in quo hostium acies instructa stabat ab exploratoribus edoctus, confestim ad Pizarrum, Illustrissime Gubernator (inquit per Deum iurans) ecquid proditores istos inuadimus? quid cessamus? victoria quidem in manibus est. Simúlque dispositis agminibus, cum maxima tormentulariorum parte ceteram aciem strenuè antegressus, repentino incursu hostium stationes irrumpit. Ac primo quidem congressu tormentularij ingentem stragem faciunt. Sed Alphonsus Mendozza cum XL. tormentulariis, & omni suorum equitatu in Pizarri alam vehementer inuectus, propè in fugam verterat: ni Caruaial huc illuc ad animandos milites agmina obequitans, quanto in discrimine esset Gubernator animaduertisset. Simúlq; is Ioãnem Torrem ad opem ferẽdam nomine ciẽs: Agedum, inquit, patrono nostro succurramus, qui in magno periculo est, ni maturè subueniatur. Ergo accitis promptissimis in eam partem accurrentes, preliũ instau-

rant, nec tantùm labantem sustinuere aciem, sed omnibus viribus ad victoriam connisi, pepulere hostem. Tandem Centeniani quum furentium inimicorum impetum tolerare non possent, abruptis ordinibus & defessi funduntur. Simulac suorum fugam Centenus è tuto conspexit, non exspectato episcopo, insiliens in equum aufugit. E Pizarri exercitu circiter octoginta Hispani cecidere. Cepeda & Ioannes Costa vulnerati sunt. Ex hostibus quadringenti & quinquaginta desiderati sunt: in iis Ioannes Siluera, & alij tribuni mil.

Pizarri victoria de Centeno.

SECVNDVM eam victoriam Pizarrus Caruaialem cum xxx. tormentulariis versus Arequipam mittit, si fortè Centenum fugientem exciperet. Is Centeno nõ reperto, vrbem intrans, aliquot ciues pecuniis spoliat. Pizarrus Bobadiliam trib. mil. cum totidem militibus, Ciarchas petere iubet, & quidquid equorum armorúmque nactus esset capere: Machicao & sex aliis Hispanis gulam laqueo frãgi curat, quòd sub initium pugnæ ad Centenum transfugissent: ceteris ignoscit, quum fidelem ipsi operam præbituros in posterum promitterent. His gestis, Guarina mouens Cuscon petit: vrbémque intrans cum ingenti omnium ciuium metu, licentiatum Martellum & duodecim alios è primoribus ciuitatis suspendi iubet: ex auro & argento arma fabricanda curat, vrbémque excubiis & valida custodia firmat.

TRADVNT nonnulli, Pizarrum à Caruaiale monitum, ne militum quos ex Centeni

clade

clade collegisset, & aliorum præterea quorumdam fidei crederet. quippe prodituros eũ vbi se occasio tulisset. Verùm potius in Chilensem prouinciam concederet, quacumque transiret terram vrens populánsque & sequẽtibus hostibus omnia vastitate præripiens, ne commeatus militi, neu pabulum equis suppeteret. Porro ad hæc respondisse Pizarrum, Sibi stare animo, aut vitam amittere, aut prouinciam seruare. Tum Caruaial, horribiliter deierans: Age, inquit, pergamus, quando ita lubet, Illustriss. Gubernator: mihi quidem scias tam bonas ceruices esse quàm Dominationi tuæ. Equidem si tam sapientis consilij ratio à Pizarro accepta esset, frustra in eo persequendo Petrus Gasca caput scaberet, & incassum se ac militem fatigaret, nihil ex eo incepto præter irritum laborem in Hispaniam relaturus. Verumtamen Pizarri res eum exitum habere necesse erat.

Proditorũ numquam tuta fides.

Pizarrus sano consilio vti nescit.

¶Gasca in Peru traiicit, Pizarrum prælio vincit. In eum, in Caruaialem & ceteros noxios animaduertit.

CAPVT XV.

INTER hæc Præses Gasca duodecim onerariis nauibus cùm magnis tum modicis Panama soluit, quæ omnes fermè mercibus onustæ erant, cum quingentis militibus quos in omnes na-

ues diuiserat. Ex iis Liburnicam vnam, seu biremim celerem, quæ remigio impelleretur, efficere conatus est: sed frustra, prærapida aquarum celeritate impeditus, quæ iis interdum locis torrentis instar decurrunt. Ergo decursum eum maris aduersum subiens atque ægrè inde eluctatus, hiberno videlicet tempore: vix tandem in Mantæ portum peruenit.

FORTE tum Portum-veterem Franciscus Vlmeus cohortis vnius præsidio obtinebat: is audito Præsidis aduentu, cum Didaco Mendez aliisque ciuibus ad eum excipiendum obuiam egressis, ei ad mare occurrit. Ibi ab illis cognoscit quo in statu res Pizarri essent, & vt ab eo omnes propè ciuitates defecissent: vnde incredibili affectus lætitia, postquam tamen Moralis, Emanuelis Statij trib. mil. aliorúmq; ciuium patratas cædes accepit, tali oratione eos increpuit: Vos, inquit, dum Regi seruire vos dicitis, per speciem obsequij & hominum cædes patratis & priuatas iniurias vlciscimini. Rex eiuscemodi obsequiis non eget.

Hisp. multi ob simultates multos interfi ciunt, quibus causam partium prætendunt.

MOX inde digressus, breui Tombesiam appellit: tribunum mil. ad San-michaelis coloniam mittit, qui transfugas à Pizarro deficientes colligeret: Mercadilium trib. mil. à Bracomoriis arcessit. Breui quoque eius accitu Quito Salazar, Popaiano Sebastianus Venalcazar cum multis Hispanis venere. Exin nuncio accepto, Didacum Moram Cassiamalcæ esse cum valida manu, & omnibus ex locis ad partes iuuandas auxilia concurrere, Præses missis

missis ad Nouæ Hispaniæ Præsidem literis, remittere se illi cogendi suppleméti laborem significauit, quippe eo opus non esse. Eodem exemplo ad Nominis-dei, Nicaraguæ, & aliarum regionum Præfectos vnde auxilia exciuerat, scribit. Neque ex iis vllus venit, præter licentiatum Ramirem: is nauim vnam militibus & commeatu onustam ad Gascã adduxit.

INTEREA Gasca Inoiosam per montana cum maxima parte copiarum mittit, vt Hispanos qui Sausæ erant colligeret: ipse maritimo itinere Trugillium profectus de Centeni clade ibi nuncium accipit. Ex quo non mediocri dolore affectus, aliquandiu hæsitauit an vlteriùs procederet. Donec trepidantem confirmarunt sui, hortantes ne hac vna clade territus irritum inceptum omitteret: quippe ipsi ad profligãdum hostem abundè superesse militum: ad hæc hostilis exercitus maximam partem inuitam Pizarro seruire: simúlque vt vexillum Regium cõspexissent, ingratam militiam deserturos. Quibus ille monitis acquiescens, versúsque in consilia belli, Alphonsum Aluaradú ad cohortes accipiendas quas Laurentius Aldana contraxerat, Limã delegat: exploratores multos cùm Hispanos tũ Indos ad itinera & cõsilia Pizarri speculãda præmittit.

INTENTO in hæc Gasca, Episcopus Cuscensis & Alphonsus Mendozza, cum paucis victi exercitus reliquiis Trugillium superueniunt: & diuersa ex parte Didacus Mora Cassimalca: Petrus Inoiosa & alii duces aliis è locis suas eó quisque copias adducunt.

Gascæ apparatus.

Iam Præses circa se non spernendam manum mille & quingentos milites habebat. itaque quod supererat, arma inspicit, vehendis machinis carros instaurat, plures globos & pilas ferreas, hastas, & lanceas, fieri curat. Quibus perfectis, cum toto exercitu mouet: Indi sarcinas & commeatus humeris ferebant, iíque longo versu vincti ne aufugerent: sub iniquo onerũ pondere laborantes plerique agmen sequi nõ poterant: alios adeo vehemens sitis fatigatos exurebat, vt linquente spiritu humi corpora prosternerent. Ergo istos, quum alleuare se non possent, Hispani immaniter gladiis detruncabãt: quorumdam etiam, quibus catena collo inserta erat, capita amputantes, ne videlicet in iis eximendis longiorem moram tererent, aut si funibus reuincti essent, costas & latera ferro transfigentes: nonnullos quoque cruribus, alios naso, quosdam lacertis, aliquos etiam cruribus amputatis, truncos & laceros abiiciebant: donec tandem Præses Sausam, Indi Guamanguam peruenere.

Hisp. sæuitia aduersus Indica mancipia.

PORRO iter facienti primùm obuius fit Valdiuia, ad eius opem è Chilensi prouincia accurrens, ac post eum Centenus: sed quum Andagolianorum prouinciam ingressus esset, alimentorum inopia atque insalubrium ciborũ perniciosi succi (quippe exercitus Maizio duntaxat immaturo cocto, aut certè raptim tosto, vescebatur) tum etiam continui imbres & humidum terræ, per omnem ferè exercitũ morbos vulgauere: donec Abancaia flumine transmisso, allata ab indigenis & finitimis populis

pulis cibaria, militem vtcumque reficere.

Eo loco quum interscissos ab hoste pontes omnes Præses cognouisset (iunguntur autem flumina earum regionum eiuscemodi pontibus: Prælongas arborum virgas, eadem ferè crassitudine qua perticæ salignæ apud nos sunt, simul connexas, móxque instar rudentũ intortas, reticulato opere ab vtraque ripa deligant: ex his ita contexti ponticuli, quamuis non equiti, pediti tamen facilem transitum præbent) quum ergo eius formæ pontes abruptos nunciatum esset, eos Præses ab Indis reponi & instaurari iubet. Quibus incredibili celeritate refectis, Apurimam fluuium haud procul Cusco cum exercitu incolumi transmittit: præter paucos milites & equos, qui prærapida vi fluminis ablati & aquis hausti sunt. Inoiosa & Petrus Valdiuia quum in vlteriorem ripam euasissent, cum LXX. tormentulariis editum collem, munitum natura & vtrisque opportunum, dum totus exercitus traducitur, occupant. Vix eum locum insederãt, quum Ioannes Costa cum quinquaginta tormentulariis ad eum capiendum Cusco egreditur. Sed vbi hostes in vertice conspexit, extemplò in vrbem regressus Gubernatori, adesse hostes & à Præside transmitti flumen renunciat. Ille cum nongentis Hispanis & multis Indis Cusco egressus, in conspectu hostium ad Saguisaguanam castra locat.

PRAESES, traiecto fluuio, quum fortè locum frigore ac gelu infestum, lignorum & commeatus inopem, insedisset, veritus ne sui

ad Pizarrum transirent, cui eæ res abundè sup petebant, maturè acie decernere instituit. Itaque bonam noctis partem in expediendis armis consumit: ac luce orta milites ingentium præmiorum spe ac promissis implet, quod sæpe dixerat etiam atque etiam inculcans: Irent fortes ac pugnam strenuè capesserent: se qui omnia eorum causa vellet, bene meritos de se milites præmii expertes numquam passurum. Mox signis explicatis rectà ire in hostem iubet. At Pizarri clades, à Cepeda cœpit. Quum enim eum ad angustias quasdam colli vicinas, quas hostis petiturus erat, occupandas præmisisset, ille repentè ad Præsidem trãsfugit, & post eum quinquaginta tormentularii transeunt. Ceteri destituti à sociis & subito pauore perterriti, abiicere arma, & quâ quisque potuit, alii in castra Cæsaris, alii aliò erumpere. Tum Inoiosa quantum niti poterat clamitans, hortatur suos instare perculsis. illi nullius rei magis quàm prædandi memores, ad diripienda impedimenta vertuntur: minus tamen prædæ quàm sperauerant ex hostium castris redactum est. Cæsarianorum vnus tantùm Hispanus in acie cecidit: hostium, quinque.

Gascæ de Pizarro victoria.

GONZALLVS Pizarrus ab omnibus prȩterquam à paucis legatis & tribunis mil. destitutus, ad Ioannem Costam conuersus, Nos verò, inquit, tribune, quid faciemus? Costa: " Quid superest, inquit, Illustriss. Gubernator, " nisi vt exemplo Romanorum fortiter moria- " mur? Tum Pizarrus excipiens: Absit, absit, inquit,

Pizarri in rebus deploratis magnanimitas.

inquit, vt honore & opibus amissis, animam "
quoque perditum eam. Secundum hæc dicta "
fortè Villam Vicentium prætereuntem conspicatus, sciscitatúsque qui esset, postquam is respondit, se exercitus Cæsaris primum Tribunum esse (Sergentem-maiorem vulgò vocant) tũ ipse, Et ego, inquit, male fortunatus "
Gonzallus Pizarrus sum. Inde ab eo ad Præsidem deducitur: cultu in primis eo die notabili. Insigni & præualẽti vehebatur equo, quem præfulgentes argenteis bullis phaleræ vndique adornabant: ipse munimentum corporis leue indutus, nitentem ex auro purissimo galeam, cristis, & signo plurimis clarissimis smaragdis distincto decoram gerebat.

Gascæ ad Pizarrum captum oratio.

PRAESES verò eum in conspectum adductum sic alloquutus est: Quàm rectè fecisse tibi videris, Gonzalle Pizarre, qui occupata Cæsaris prouincia aduersus eum arma sumseris, & vectigalia eius consumseris? Pizarrus: "
Meos reditus, inquit, consumsi, non Cæsaris: "
prouinciam verò mihi pro meo iure vt Gubernator possidere visus sum, quam videlicet "
ego ac fratres mei armis subactam pro virili "
manu cepimus. Hoc responso audito, & Pizarro è conspectu amoueri iusso, Præses eius iudicium licentiato Ciancæ committit. Is vbi edita in rerum crimina causámque cognouit, ei perduellionis ac proditionis noxã iudicat. Præses damnatum ad capitale supplicium postera die abduci iubet. Corpus Cusci humatum, caput Limam delatum est, & in foro, septo cancellis ferris loco: pilæ lapideæ impositum. Hic Gonzalli Pizarri fuit exitus.

Pizarri mors.

Vegeto ac valenti corpore vir fuit: valetudine prospera, animi magni: auarior tamen quàm liberalior, literarum planè imperitus, & facili in omnes credulitate.

Post hæc in alios quoque noxios animaduersum. Caruaialem semiquadrantis horæ spatio ad caudam religatum per campum traxit equus: mox è patibulo suspensum in quatuor partes dissecuit carnifex. Quum ad supplicium traheretur, imperatorem suum Gonzallum Pizarrum crebrò suspirans flagitabat. Pridie quàm moreretur, quum eum Didacus Centenus fortè inuisens ita cōpellasset, Dom. præfecte castrorum, inquit, vbi nunc sunt tui illi militares vngues? ita ei respondit, Mihi, inquit, erepti sunt in ipsa acie tanquam bellatori strenuo: sed tu vt vili & ignauo prostibulo ortus, è prælio fugisti. In eo viro sæuitia auaritiæ par fuit: & exiguo illo temporis spatio quo in Gonzalli Pizarri exercitu Præfecti castrorum munus obiit, amplius trecentos Hispanos occidit.[1] Quum aliquem suspenderet, sæpenumero ridens ei dicebat: Audiui te esse equitem: æquum est igitur eum tibi haberi honorem qui tuæ dignitati & nomini conueniat. En tibi aliquot arbores: ex iis quamcumque libuerit deligito: ea tibi à me fiet gratia vt ei quam optaueris suspendaris. Mox vbi miserum talibus sarcasmis aliísque eiuscemodi ludibriis eluserat, suspendi iubebat: assiduè secum ad eius operis ministerium quatuor Numidas circumducens. Longum esset commemorare fœda omnia & crudelia facinora quæ

Caruaialis exitus.

quæ iste passim edidit. Mortuo Caruaiale, Ioannes Costa & Ioannes de Torre aliique vndecim tribuni mil. suspensi sunt: multi milites virgis cæsi & in Hispaniam ad triremes damnati, alij in Chilensem oram exsulatum missi, Valdiuiam eius prouinciæ Gubernatorem sequuti sunt.

1 OCTOGINTA *annorum tum erat Caruaial. Sub Gonsaluo Fernando, imperatore celebri, stipendia fecerat. Bellator primus, Rauennati prælio signifer: ceterum sæuitia adeo insignis vt de eo prouerbium vulgatum sit inter Hispanos Crudelis vt Caruaial. In eo prælio quo victus est ad Guarinam Didacus Centenus à Pizarro: Ferdinandus Bacicaus, inclinatam ad Centenum victoriam cernens, nec transire apertè ausus, elanculum secessit: neque tamen adeo fefellit, quin eius rei certior fieret Caruaial. Ergo, fuso Centeno, Bacicaum corripiens: & Compatrem suum per ludibrium appellans, vt reuera erat, multáque alia in eum salse iaciens, in patibulum egit. Adeò ne simplici quidem sæuitia in amico contentus fuit. Aug. Zarat. Hist. Peru libro septimo cap. tertio.*

*

Gasca res Peruanas componit. Milites promissis explere frustra conatur. Contreræ fratres in eius pecunias inuolant. Ille, recuperatis omnibus, in Hispaniam traiicit.

CAPVT XVI.

SVBLATO partium duce Pizarro, Præses Cuscon ingressus, Hispanos omnes qui vassallos & subditos haberent, quosdam donis, plures promissis onustos, domum remisit: de strenua & fideli erga regem opera eorum gratias agens. Dein Gonzalli Pizarri aliorúmque qui perduellionis damnati fuerant, ædes solo æquat, & areis salem inspergit: mox Cusco excedens Purimam petit. Ibi cum Hieronymo Loaisa Archiepiscopo Limensi & Petro Lopez scriba suo de assignandis agris diuidendísque inter colonos Indis vassallis, consilio habito: Inoiosæ centum millia ducatorum annui reditus attribuit: Valdiuiæ paulo minus: sed hic postea non diu vixit. Veneno sublatum fuisse ferebant. Ceterum Præsidem in hæc præmia & annuos reditus amplius decies centena & quinquaginta ducatorum millia pluribus erogasse constat.

Gasca duces de se benemeritos præmiis afficit, milites negligit.

VERVM vulgata eius diuisionis fama, multi milites, qui summis periculis ac sudoribus strenuam fidelémque operam Regi præbuerant, ac gaudio alacres haud ambigua spe mercedem laborum exspectabant: vbi se solos

los indonatos & præmiorum expertes præter-mitti videre, vehementer conqueri de Præ-ſide ac fremere apertè cœperunt. Mulcebant iratos benignis verbis ipſe & Archiepiſcopus quantum poterant: Sibi quidem non eſſe in præſentia dicentes, quod vltra largirentur: ſed breui daturos operā vt omnes dignā meritis gratiam referrent. Sed illi dictis vſqueadeo non placabantur, vt etiam vecordes ſeditio-ſis ac contumelioſis vocibus eos increpare & ferociſsimè obloqui auderent.

EARVM aliquot haud illepida exempla referam. Haud multis abhinc annis Cordubæ Monacha erat (Magdalenam de Cruce appel-labant) non tantùm plebis opinione, ſed Hi-ſpaniæ quoque procerum iudicio pro diua & fatidica vulgò habita. Quin ipſe Cæſar expe-ditionem nullam ferè aut inceptum aggredie-batur, vt ad eam velut ad oraculum non mit-teret, rogarétque vt fuſis pro ſe precibus rem Deo commendaret. Tandem aliquando frau-de patefacta, compertum eſt ſortilegam eam mulierem eſſe, eíque cum diabolo familiarē conſuetudinem intercedere. Eiuſcemodi Ma-gdalenam de Cruce ipſum Præſidem eſſe, ei in os exprobauit miles, eúmque iniri à dia-bolo: Archiepiſcopum videlicet iis ambagi-bus deſignans, quòd Præſes nihil ſine eius conſilio & ſententia ageret.

Militum Hiſp. in Gaſcam ſalſè dicta

ALIVS obiecit, aſtutiorem eo vulpem cælo non tegi. Alius furens & exſpes ei dixit, Se in quam remotiſsimas terras abi-

re velle, vnde ne nomen quidem Hiſpaniæ audiret. In hunc adeò exarſit Præſes, vt niſi optimos precatores habuiſſet, qui à Præſide ei veniam exoraſſent, eum illico in patibulum acturus fuerit: tum verò remiſſa vltima pœna in Chilen relegauit. Quidam etiam miles ridens Præſidem ſic affatus eſt: Domine Præſidens, date mihi, quæſo, de gratia birrettum illum quem vos habetis in capite. Tum Præſes & ipſe renidens: Ecquid vis illo facere? inquit. Miles: Volo comburere, ait, & redigere in puluerem ad facienda maleficia: quandoquidem vos cum illo tot bonos viros decepiſtis. Alij vulgò in eum iaciebant, Veniſſe eum vt veniã daret tyrannis, & fidos Regis ſeruos occideret. Nonnulli minaciter dicebant, Niſi daret vnde viuerent, ſemet vltro vndecumque poſſent rapturos.

Hic tam perturbatus rerum ſtatus eò tãdem erupit, vt non pauci coniuratione facta Inoioſam interficere, Præſidem vinctum in Hiſpaniam mittere, Cæſarem per litteras orare decernerent, vt ſanctum atque innocentem aliquem virum eò mitteret, qui agros & ditiones prouinciæ omnibus vt quique meritus eſſet, de integro diuideret. Verùm quum omnia foras emanaſſent, captis conſilii autoribus & in Hiſpaniam miſsis (in iis erat ſacerdos Cantaber, qui ſe eo bello operam nauantem Cæſari quadraginta millia ducatorum conſumſiſſe dicebat) ea tum quidem coniuratio in præſens repreſſa eſt. Verùm non multo pòſt quàm

Præſes

Præſes Peruſio in Hiſpaniam vela fecerat, noua ſeditio erupit. Octingenti exciti Hiſpani quendam Franciſcum Ernandem ducem & caput ſibi imponunt: Petrum Inoioſam, Balthaſarem Caſtellanum equeſtrem ducem, fratrē eius, & Didacum Palominum obtruncant, & quoſcumque alios tribunos mil. & illuſtres viros adipiſci potuere, qui primò Gonzalli Pizarri partes ſequuti ad Gaſcam defecerant. Sed is motus ſtatim reſtinctus eſt, ſublato ſeditionis capite Ernande, quem noctu ſui cum aliis aliquot tribunis interfecere.

Seditio militaris in Peru.

CETERVM Præſes, nequid incommodi ab iratis pateretur metuens: tum etiam ne contumelias & probra quis à militibus lacerabatur coram ipſe audire ac videre cogeretur: Purima relicta Limam concedit. Ibi Regiam curiam & iuridicos magiſtratus conſtituit: prouinciæ ſtatum compoſuit, quæque ad eius regimen pertinerent deſcripſit. In primis edixit vt ſacerdotes ac monachi in ſingulos Indorum pagos tributi & Chriſtianam fidem edocentes, falſas & peruerſas opiniones ex eorum animis euellerent. Hiſpanos omnes, qui ſubiectos ſibi vaſſallos & clientes haberent, omnium Indorum cenſum agere iuſsit, & vniuſcuiuſque fortunarum recta æquâque æſtimatione inita, pro cenſu tributi modum deſcribere. Ceterum in ſingulis quà irent pagis miſſam vnam Spiritus ſancti (vt vocant) celebrari voluit, quem æſtimatores orarent vt diuina ipſius ope adiuti in

Gaſcæ Edicta in Peru.

censu peragendo sanctè atque innocenter sese gererent.

SED eo demum perfecto, summæ tributi imperatæ Indi reclamauerunt: Sibi multo plus indici querentes quàm pendere possent: maxima videlicet indigenarum parte vel assiduis bellis exstincta, vel enecta laboribus, quibus ab Hispanis inclementiùs vexati essent. Edixit præterea vt Indici vassalli suis Senioribus seu patronis ex earum tantùm rerum genere tributum penderent, quas tellus sua funderet. Quippe ante hæc Hispani aurum & argentum, quamuis deesset, ab illis flagitantes, vt quærerent, tormentis vrgebant: ac siqui fortè, quum nec possiderent aurum, nec vnde parare possent haberent, in siluas se abdiderant, Hispani eos veluti feras indagantes sagaci canum odoratu peruestigabant: multósque ita repertos efferati canes dilacerauere: ipsi verò, damnata vitæ spe, tantas ærumnas suspendio finiebant. Vetuit præterea Præses ne in posterum Hispani Indos inuitos ad ferenda onera adigerēt: quamquam in nonnullis prouinciis, præsertim in Quitensi, penuria iumētorum eos onerari permisit.

Hisp. sæuitiæ exemplum.

PORRO earum omnium rerum curam Archiepiscopo Limensi & quibusdam Dominicanis commisit: qui tum Hispanorum tum Indorum causis inspectis, vbi verum comperissent, pro sua prudentia de rebus statuerent. Ipse verò totus in accumulandis Cæsari pecuniis, Hispanos prouinciales omnes, quibus

quibus agros & ditiones aſſignauerat, ſtipendiarios facit, penſione impoſita quam Cæſari ſoluerent. Licentiatum Gamam in Quitenſem prouinciam, Gabrielem de Roias diuerſa parte in Potoſiam Iudices aſſiduos cum Dominicanis aliquot monachis mittit, ac nominatim eis negotium dat vt peragrantes omnes eas terras, tum ab Hiſpanis colonis, tum ab Indis ipſis pecunias quantas maximas poſſent conquirerent. Atque illi ad eam rem minimè ſegnes, non ius aut verum in cognitionibus, ſed ſolam opum magnitudinem, ſpectabant. Itaque paſſim ſpecie iuris obiiciendo, Tu in Regem rebellaſti: tu Gonzallo Pizarro operam præbuiſti: tu euentum ſpectaſti vt fortunæ tua conſilia applicares: tu optaſti vt vinceret & prouinciæ imperium occuparet: his, inquam, & aliis eiuſmodi ſpecioſis accuſationum coloribus, ambo ingentem pecuniarum vim collegerunt. Inter hæc Gabriel de Roias in itinere ſubita morte extinguitur: ac plerique ferebant iuſto Dei iudicio interceptum: & à Deo tandem exauditas eſſe diras & maledictiones vulgò à miſeris prouincialibus in acerbiſſimos illos exactores iactas: móxque iſtum horribilis cacodæmonis ſpecie quibuſdam Dominicanis monachis apparuiſſe.

Gaſca à Peru decedit.

AT Præſes, poſteaquam quantam maximam potuit vim pecuniarum collegit: quæ decies centenûm & quinquagenum millium Caſtellanorum ſummam æquabat, Pro-

præſidem in ſui vicem licentiatum Ciancam relinquens, Lima deceſſit, & myoparonem Ioannis Caietani conſcendens breui Panamá appulit: móxque inde ſtatim Nomen-dei cum pecuniarum parte profectus, Quæſtorem regium reliquam ſummam, quamprimum poſſet, mittere ad ſe iubet.

BIDVO poſtquam inde deceſſerat 1 Rodericus Contreras eiúſque frater, inconſulti iuuenes, Roderici Contreræ Gubernatoris Nicaraguæ, filij, cum centum octoginta militibus de improuiſo Panamam irrumpunt.

Contreræ fratres collectas à Gaſca pecunias rapiunt.

Iſti Fratrem Antonium Valdiuieſam illius prouinciæ epiſcopum interemerant, quòd ad Cæſarem multa in ipſorum patrem ſcripſiſſet cui ob id abrogatum munus & erepta prouincia fuerat.

Tum verò ingreſſi Panamam quadringenties millies amplius ducatorum auri inuolant: neglecto argento vt grauiore & minoris precij. Nec ea præda contenti nonnulli milites, qui quum ad triremes à Præſide damnati in Hiſpaniam mitterentur, naue vna rapta in Nicaraguam aufugerant: vindictæ cupidine ardentes, Nomen-dei quoque petere ſtatuunt. Ergo diuiſo trifariam exercitu, Rodericus cum ſeptuaginta quinque militibus terreſtri itinere Nomen-dei contendit: frater eius cum totidem ſociis ſecundo amne Chiagro defluens, eodem iter capeſſit: ceteri ad præſidium nauium & partæ prædæ cuſtodiam remanent.

VIX Panama egreſſi prædones erat, quum ciues

ciues manu facta cum centum & quinquaginta amplius mancipiis, abeuntes insequuti, primùm eos assequuntur qui per Chiagrum flumen delabebantur, eósque adorti facillimè fundunt. Mox alterum quoque adepti agmen, & illud profligant. Rodericus & monachus quidam cum quatuor aliis Hispanis in vicinas siluas se abdunt: nec deinceps quidquam de iis compertum est.

RODERICI frater quum non compareret, diligentissimè inter cæsorum cadauera quæsitus: ac reperto fortè adolescentis cuiusdam corpore, quum illum ipsum vnus militum eius esse diceret, etsi lutulenta & confusa facie satis quis esset internosci non posset: quisquis tamen ille esset, auulsum corpori caput in medio Panamæ foro ferreis cancellis septo loco pilæ impositum est. Tres & triginta Hispani capti, labore ac vulneribus fessi re uinctis ponè tergum ad ligneum cuneum manibus in vrbem tracti sunt & in custodiam traditi. Eos ibi prætor quidam rerum capitalium, proprio motu, crudeliter pugionum ictibus confodit. Ceteri qui in nauibus erant, audita suorum clade, scaphis subitò fugam capessunt: sed breui omnibus captis, præcipui quique suspensi, ceteri ad triremes damnati sunt. Interea Præses, audito Contrerarum latrocinio, cum valida manu Nomine-dei aduersum eos egreditur: sed accepto in itinere de eorum clade nuncio, & receptis pecuniis, in vrbem regressus, breui inde in Hispaniam traiecit.

I QVO tempore Petrus Arias Abulensis Nicaraguam prouinciam à se inuentam regebat, filiarum vnam Roderico Contreræ Segobiensi in matrimonium collocauit. Is morte Petri Ariæ prouinciam, Regis concessu, obtinuit, eámque tātisper rexit, quoad noua Curia in Gratiæ dei vrbe in Gattimalæ & Nicaraguæ confiniis, constituta est. Nam Iuridici eius Adsessores, non tantùm imperium Roderico abrogarunt, sed & eum Indis, quos in ditione tum ipse tum filij eius habebant, ex Legum præscripto priuarunt. Is de iniuria sibi facta, vt putabat, questum ad Regem in Hispaniam nauigat. Sed Rex & Senatus Indici proceres, quamquam multa præclarè facta, meritáque tum sua tum soceri sui proferentem, repellunt, & obseruationem latarũ Legum sanciētes, quod ab Adsessoribus iudicatum erat suo iudicio confirmant. Id vbi ad Fernandum & Petrum Cōtreras eius filios in Indiam allatum est, feroces iuuenes arcere eam cōtumeliam ferro, & quod iure nequiuerant vi extorquere statuunt. Et fortè iam sua sponte ægris animis superueniunt ex Peru milites, Ioannes Bermeius aliíque contubernales, partim ex ijs qui Gascam aduersus Pizarrum sequuti, nulla ab eo strenuè nauatæ operæ præmia acceperant: partim ex ijs qui fractis Pizarri partibus, quas tutati erant, extra Peruanæ prouinciæ fines, Præsidis iussu, deportabantur. Illi, diuersis causis Gascæ infensi, incendere adolescentes, hortari vt rem strenuè capessérent: haud dubiè, si ducentis aut trecentis militibus in naueis impositis, Peruanum aliquem portum tenuissent, fore vt quotquot Gascæ ob nulla aut malignè reddita

præmia

præmia succenserent, in partes transirent. His ergo & alijs stimulati illi, milites occultè contrahunt, arma conferunt, & cœpta accelerant. Porro quum eius prouinciæ Episcopum in omnibus ferè negotiis patri suo aduersatum fuisse meminissent, vltionem ab eo ordiri statuunt. Ergo die quadam ingressi ex composito milites Episcopi domum, quum tesserarũ forte lusu sese oblectaret, hominem obtruncant. Inde nouo sanguine imbuta circumferentes arma, vexillum palam erigunt, & semet Libertatis vindicem exercitum nuncupant: mox raptis vndecumque nauibus per Australe pelagus in Panamã vela dãt. Aug. Zarat. Hist. Peru. li. 7. cap. 12.

2 GASCA *in Hispaniam reuersus, Valleoleto in Germaniam ad Car. Cæsarem transiuit: vbi rebus à se gestis expositis, Palentiæ episcopatu ab eo ornatus est.*

Nauigationis è Panama in Peru ratio. Portu veterensis prouinciæ incolarum mores, supestitio peruicax, & nauigandi ratio.

CAPVT XVII.

PRIVSQVAM Peruanis rebus & falsis opinionib. quas eæ gẽtes de nobis cõcepere, finem imponã: quo modo quóve cursu è Panama in hoc regnũ nauigetur, exponere hîc mihi consiliũ est. Ergo nauigaturi in Peruanas prouincias, ferè inde à mẽse Ianuario vsq; ad finẽ Aprilis soluere

E Panama in Peru nauigantiũ cursus.

consueuerunt. quippe hæc totius anni maximè idonea ad nauigandum eò tẽpestas est: ac tum aperta illa maria, æstate videlicet obtinente, & assiduè Subsolano & Coro spirantibus. Quæ naues quacumque alia tempestate vela faciunt, ingenti maris sæuitia & periculis conflictantur. Porro onustæ naues Panama primùm in Tabogam aut alias vicinas insulas aquatũ decurrũt (quæ Perlarum, id est vnionum, nominantur, ob repertam ibi ab Hispanis vnionum copiam) mox in altum prouectę circiter centum & quinquaginta millia pass. versus Occasum nauigant, flexo videlicet in eam partem cursu, propter rapidos aquarum æstus, qui torrentis instar perpetuo lapsu in Ortum decurrunt. Inde correcto cursu rectâ in Perusium tendunt.

Qvo tempore primùm Panama eò nauigaui, nauis qua vehebar mense Iunio soluit. itaque quòd ea hiberna tempestas illic esset, omnes ferè vectores morbis impliciti sunt, quia naues quæ ea maria nauigant constratæ ac tectæ non sunt, vt quæ in Septẽtrionali vehuntur Oceano (id est, eo qui aduersam continentis Indicæ partem alluit) itaque in illis sub diuo morantes perpetuò verberari imbribus necesse est. Ad hunc modum nauigantes tandem ad Gorgonam insulam appulimus. Nauis-magister (Patronũ vulgò vocant) vbi se in eam deferri videt, Hæc, inquit, terra dæmonũ est: quippe nulla toto eo itinere peior nauibus nec statio nec nauigatio occurrit. Tradidere nõnulli assiduè in ea insula pluere: sed

Gorgona insula.

ſed in eo falluntur. Octo quidem certè continuos anni menſes, inter tonitruum fragores, & corcuſca fulgurum, adeo effuſos ibi ruere imbres verum eſt, vt elementa ipſa inter ſe certare ac miſceri videantur. Quum nos eam inſulam attigimus, iam veris initium erat, quod ibi ſub finem Maii incipit: itaque quod tempus in Panama hiemis eſt initium, id in illa altera regione ineuntis æſtatis principium eſt.

PORRO vicini continentis oræ accolæ auro abundant, & cacuminibus arborum mapalia ſua, velut nidos, ſuſpendunt. Eam oram, quia paluſtris & inequitabilis eſt, Hiſpani ſubigere nondum potuerunt. Gaſpar Andagoia quum ad Baiam, id eſt ſinum, Sanmatthæi eſſet, cum centum & quinquaginta militibus æſtate populabundus eam prouinciam percurrebat, tabulas ſæpe ad protegendum militem aduerſum incidentia circumferens. Quippe Indi ſtrenuè ſaxa, tragulas, ollas feruida aqua plenas, & quidquid ſors in manus dederat, ſubeũtibus ingerebãt. Hiſpani verò ſecuribus arbores tandiu cædere, quoad & ipſæ & ſuperſtructæ domus ingenti fragore prociderent: interea tamen ſæpe non inulti Barbari, nec niſi mutilatis aliquot Hiſpanis, interdum etiam eliſis atque obrutis, cadere. Tandem quòd aſperior ea eſſet regio, neque in tam informi omnis humani cultus ſolitudine alimenta exercitui expediri poſſent, Andagoia cum ſatis magna auri copia inde deceſſit: neque ea loca vllis Hiſpanis hodie habitãtur.

Domus arboribus ſuperſtructę.

IAM quia hi tractus maxima anni parte importunis quibuſdam ventis ab Occaſu vel à Meridie perflantur, tum etiam propter rapidos maris æſtus & torrentes aquas, velut præcipiti alueo perpetuò decurrentes: neceſſe eſt quotidie veſperi iactis in ſalo ancoris ad ea littora conſiſtere: mox luce orta flantem à terra ventum ſequi atque inde moliri. In quo ſæpenumero vſuuenit, vt dum naues prouchi cogitant, in contrarium repulſæ peractum iter relegere cogãtur, ac totos interdum quindecim aut viginti dies circa promontorium vnũ hærere, ſicuti nobis contigit. Quum enim Caput S. Franciſci in conſpectu haberemus, centum triginta millibus paſſ. à Capite Paſſao diſtans (quod quidem caput in Portus-veteris finibus eſt) rati eum locũ Indis habitari, vt quondam ſolebat, quotquot vectores in ea naui eramus, victus penuria (iam enim tertius menſis abierat ex quo Panama ſolueramus: & facilè mercatores qui eadem naui vehebantur, nos miſerrima fame contabeſcere potius paſſuros, quàm vel bucceam panis elargituros, apparebat) conſumtis igitur propè alimentis, terreſtre iter capeſſere decreuimus.

ERGO vigintiquatuor eiuſdem fortunæ ſocii in terram exponimur, & ſinguli cum quatuor Maizii ſcutellis ignotum iter quò caſus & error ferebant ingredimur. Peruenimus ad flumina, quibus Quiſimiæ nomen eſt: quatuor ſunt haud magno inter ſe ſpatio diſcreta: ea nos ſummis laboribus ac periculis,

præ-

prægrãdibus arborum ramis quæ in ripa fortè rimantibus occurrebant, simul iunctis & colligatis insidentes, tandem superauimus. Ceterũ quum aqua salsa esset, æstu videlicet confundente dispares vndas (quippe stata vice exæstuans mare, nõ tantùm his fluminibus sed & aliis quę in eum Oceanũ defluũt, mixtũ subit, & xv. amplius milliũ spatio alueos inuehitur) ergo vt biberemus puteos fodere necesse erat.

TANDEM ad Caput Passaum peruenimus. Ibi Indos crematis tuguriis penitus se in siluas abdidisse vt comperimus, in alterum promontorij latus transgressi, ad sinũ Caraquam procedimus. Is sinus Aequinoctiali lineę subiectus est. Ibi quò iremus incerti, quum neque in aduersam sinus partem traiicere possemus, nec alimenta suppeterẽt, cancris & cereis quibusdam prunulis vescebamur, quîs quum parum carnis inesset, lignum seu os interius simul comedebamus: & aquam certè salubrem ex lacu exiguo, quem haud procul mari in siluis reperimus, bibebamus. Ibi XXII. dies morati quoad nauis portum intraret, quum pro certo omnes haberẽt nos vel fame exstinctos, vel ab Indis mactatos esse: vbi à Nauarcho cõspecti sumus, missa confestim scapha excepti, ea nocte in naui requieuimus.

Portus-vetus colonia & prouincia.

POSTERA die egressus Portum-veterem petij. Id oppidum habitatum Hispanis viginti duas fermè domus ex arundine contextas & palea tectas continet. Ea prouincia propemodum in vastitatem & solitudinem redacta est: indigenæ smaragdorum copia olim

abundabant, & earum gemmarum feraces fodinas penes se occultas habent: neque hactenus tamen vllis tormentis adduci potuere, quamquam multis sæuitia torquentium exstinctis, vt locum Hispanis indicarent. Mihi tamen aliquãdo retulit Ioannis Dolmos trib. mil. dispensator quidam, Indicam mulierem ipsius concubinam locũ illum ei edidisse: nec eum id postea enulgare voluisse, veritum ne Rex eas sibi fodinas attribueret. Multa quoque aurea & argentea vasa in supellectili quondam habebãt: sed ea Hispani omnia conuasarunt: itaque hodie nihil Patronis suis seu Senioribus pendunt, nisi ex iis fructibus quos è sua terra percipiũt: vnde fit vt pauci Hispani coloni eam oram inhabitent.

Gom. Hisp. gen. Ind. li.4.c.195.

TRADIDERE nonnulli, eius prouinciæ indigenas fœdos suos mores & falsæ religionis errores paulatim abiicere: neque vltra falsorum suorum numinum responsis fidem addere, ex quo sacerdotum & monachorum opera sancti Euangelii vocem audierint. Ego verò, quamquã ita esse optauerim, Deúmque orem vt id propitius faxit, verè tamen testari possum, nullos adhuc neque sacerdotes neque monachos ad concionandum aut fidem nostram edocendam eos populos peragrasse. Quin ipsi quoque eam derident, palámque ac publicè dicũt, se nolle Christianos esse, sceleribus videlicet & nequitia nostra deterritos. Ac quãtumuis Præses Gasca edixisset, (vti suprà memorauimus) vt in singulis earum gentium pagis sacerdotes & monachi manerent

Portu-veterensium peruicax superstitio.

rent

rent & erudiendis Indorum potiſſimum filiis operam darent: Hiſpani tamen huius coloniæ municipes, & aliarum præterea aliquot, vehementer reclamarunt. Quippe ſacerdotem vnum quadringentos ducatos in ſtipendium annuũ petere: id verò pretiũ eſſe maius quàm quantum omnes ſimul Indi Patronis ſuis tributi penderent.

AC quia eo ferè tempore Peruſio exceſſi, quorſum res poſtea euaſerit, neſcio: ſed dum in ea prouincia morarer, ſæpe fallendi temporis gratia Indicos illos pagos tum maritimos tum mediterraneos perambulans, in eiuſcemodi quiddam incidi. Ingreſſus fortè aliquando viculum quemdam ignobilem (Chiarapotum appellant) indigenas in fano ſolitis ſacrificiis faciendis occupatos cõperi. Quúmque inter ſtrepentium tympanorum ſonitum patria quædam carmina canentes audiuiſſem, propiùs viſendi cupidus, delubrum ineo. Sed vix pedem intuleram, quum ſacerdotes, toto vultu iracundiam teſtante, propemodum mihi in faciem deſpuentes, feſtinanter me foras eiiciũt. Ibi vidi Idolum è creta tigridis effigie, ac duos pauones aliáſque aues, quas ſuorum deorum ſacrificiis dicatas habebant. Ibi præter hæc fortè adoleſcens aliquis mactandus aderat (quomodo apud eos humanis victimis litare fas ac ſollemne eſt) mihi tamen tunc videre non licuit.

ALIA quadam die vſuuenit mihi vt Picalancemam profectus, Indos eius pagi incolas compotantes deprehenderem: quúmque pro-

p.ùs accedens, per otium spectare vellem quo modo se largius potu inuitarent: quatuor repentè ex illis minaci gradu ad me tendunt, & OH Christiane, inquiunt, nebulo impure, perfide, facesse properè è finibus nostris. Ego quum præter has minas, simul illos in meum ensem manũ iniicere velle animaduerterem, proripio me in fugam: & apud me constituo Indis numquam deinceps interuenire, qua die sollemnia sua agitarent.

Indi Christianos sacrificiis suis interesse nolunt.

PRAETER eos quos commemoraui, plures quoque perlustraui pagos, quales sunt Caua, Camulioua, Camuxioua, & alia earum gentium loca, quorum incolæ Indi aliqui filios suos enecant, ne Hispanis seruiant. Pro certo refertur, Mantæ regulos pulcherrimum & nobilissimum smaragdum habere, oui gallinæ magnitudine, quem inter præcipua numina colunt. Manta porrò, oppidum ad mare situm, vna è præcipuis eius oræ vrbibus quondam erat: & priusquam Hispani eam prouinciam inirent amplius duobus Indorum millibus habitabatur: quum ex tanto numero vix hodie fortè quinquaginta supersint. Nec dispar solitudo in aliis eiusdem prouinciæ municipiis facta est. Quum aliquando Lupus Aiala ab huius ciuitatis Regulo peteret, an Christianus esse vellet: respondit ille, Se nescire, &, Faceret ipse vt visum esset. Ita Lupus Indum baptizari iubet, & Didacum numcupat: sed ne ita quidem cicuratum Hispani cuiusquam contrà os intuentem vmquam animaduerti. Eius subditi fœdis morib. bruti, spurci, mascule

Mãta oppidum.

Peruenses inuiti Christianismũ subeunt.

masculæ veneri dediti & vitiis omnibus inquinati sunt.

PER omnem eius oræ longitudinem, Indi omnes eius maris accolæ aquam salubrem bibunt, quam è puteis manu factis hauriunt: & peregrè ituri omnes cucurbitam ea aqua plenam efferunt: nisi qui fortè Manta in Portum veterem iter faciunt. Quippe illi aquam putealem ferre negligũt, veriti ne in aliquẽ fortè Hispanum incidant, qui eam eripiat & bibat: sed duo millia passuum in mediterranea progressi aquam quadã ex rupe manantem, nigrã, spurcam & fœtidam, excipiunt: hauddubii nimirum talem Christianos non bibere.

Indi ne aquam quidem liberè ferre, metu Hispanorũ audent.

EA regio calidi & humidi temperamenti est: itaque serenũ ac purum cælũ vix vnquã ibi conspicias. Ceruis, porcis, gallinísq; ex earũ genere quę ab Hispania ad stirpẽ propagandã transuectæ sunt, abundat: neque vlla in Indię parte melior ex Maizio panis fit quàm illic. quamquam iis tamen nõ assentior qui panem illum triticeo anteponunt. Mellis præterea, sed acerbi, ac ceræ, sed ignobilis, neque admodum bonæ, satis ferax: peculiare quoddam fructuũ genus habet (indigenæ *Papaie* vocãt) ficuũ specie, modicorũ magnorúmque quale nusquã in India, præterquã in eo regno, vidi. Arbor quę illud pomũ gignit, procera & gracilis: fructus sapore dulci est. Ibi etiã aliud ficuũ genus exiguorũ visitur (*Tũne* nominãt:) sed & illi aliis prouinciis, vt Nicaraguę, Guattimalę & toti Nouæ Hispaniæ regno, cõmunes sunt.

Gom. Hist. gen. Ind. lib. 5. cap. 215.

CETERVM omnes in vniuersum Portus-

veteris prouinciæ Indi ferè puſtulis quibuſdam obnoxii ſunt, ſeu verrucis: quæ è facie aliiſque corporis partibus erumpentes, quum maximæ ſunt, nucis iuglandis craſſitudinem æquant. Id morbi genus & ipſe expertus ſum: nullo doloris cruciatu afficiũt, fœdæ, ſanguineæ, ac nec aliud quidem remedium deſiderãt quàm vt maturitate exſpectata, tenui filo cõſtrictæ abſcindantur. Indigenę eius gentis ora coloribus fucant: nares, labra aures & genas perforant, ac feſtis ſuis diebus aurea monilia, vniones, iis foraminib⁹ velut emblemata includunt. Quod ad cultum attinet, maxima pars ſubuculis non manicatis veſtiuntur: ceteri nudi, & ſæpe totum corpus nigro fucantes, incedunt.

Puſtulæ Peruēſes.

INDI vniuerſæ illius maritimæ oræ accolę piſcatui in primis ſtudent. Lintres quibus tum ad piſcandum tum ad nauigandum vtuntur, inſtar ratium, tribus, quinque, ſeptem, interdum etiam nouem aut vndecim tignis leuiſſimis iunctis, expaſſæ manus effigie, contexunt, ita vt medium tignum ceteris longiùs promineat: eóſque modò longiores, modò breuiores fabricantur, ac pro longitudinis & latitudinis modo vela expandunt. Porro vbi per tranquillum eiuſcemodi rates diu remigio ſubegere, panem, fructus, aliáque eiuſmodi in mare, velut ſacrificium, porriciunt: orantes vt proſperum ventum immittat: quippe ſe defeſſos eſſe, neque ad remigandum vires vltrà ſufficere.

Peruenſiũ lintrium forma.

¶*Guan-*

Guancauilichiæ regionis incolarum mores & cultus. Guainacauæ transitus. Zarza-parilla herba. Chimbos mons.

CAP. XIX.

PORTV-VETERENSIS prouinciæ fines proximè Guancauiliqui regio excipit, regni Peruani prouincia inferior. Eius oræ maritimæ primus pagus, Colonchi appellatur, S. Helenæ prominenti proximus. Eius pagi ac populi Principẽ sæpe vidi, annorum fermè sexaginta hominẽ. Digna certè Principe ei facies, corpus vegetũ robustúmque & prospera valetudine erat. Subucula nõ manicata, & rubro tincta, amictus, torquem ex auro purissimo, sextuplicato circa collum circulo, quasi maiores corallii surculi, aut baccæ, crassitudine, gestabat, annulúque in digitis: illi quoq; ex auribus perforatis baccæ & aurea stalagmia pendebant. Sinisterioris brachii carpum pellucida gemma instar speculi, tuendæ oculorum aciei, exornabat.

QVO tempore Hispani primùm eas terras ingressi sunt, principatum obtinebat in ea prouincia Regulus (Baltacho ei nomen erat) qui apud suos venerabilis non magis imperio quàm autoritate ea loca regebat. Iste nemini adeuntium aut visentium assurgebat, præterquam Colonchio illi principi, de quo antè dixi. Attamen iste Cacicus nulla vmquam

Peruenses reguli à Christ. religione abhorrẽt.

adduci persuasione potuit vt Legem Dei vellet audire. Eum aliquando Patronus suus me præsente, ita alloquutus est: Colóchie, inquit, volo vt Christianus fias: at ille abnuens: Do-„ mine, inquit, iam mihi propè acta est ætas, ne-„ que idonea, vt Christianus fiam: at filios meos „ potius, vt voles, cape, & eos quidquid visum „ fuerit edoce: quippe illi munia ministeriáque „ moris tui facillimè obire assuescent: me verò „ id ætatis maiorum meorum legem & instituta „ relinquere non iuuat.

Eivs prouinciæ homines è superiore maxilla quinque aut sex dentes excutere solent: ac si causam quæsiueris, id elegantiæ se causa facere respondent. Subucula non manicata, vt Portus-veteris indigenæ, amiciuntur. Pudenda fascia bombycina velãt, cuius extremæ vittæ ad talos vsque demissæ, instar equinæ caudæ ab tergo dependent. Feminæ præcinctorio aut castula, nodo reuincta & ad medium crus demissa, integuntur. Eius prouinciæ populi Hispanis in vrbe Guaiaquil habitantibus seruiunt.

Eam coloniam principiò Hispani in planicie Chioni fluminis ripæ imposuerant, quadraginta millibus pass. procul mari. In illis autem regionibus immensæ quædam panduntur planicies, velut infinita camporum patentium superfusis aquis mersa æquora: tum densissimæ siluæ, cum incredibili copia crocodilorum. Adhæc octo anni mensibus tanta vis culicum eas terras infestat, vt mirer vllos incolas ibi posse viuere. Itaq; Hispanos

Peruenses culicesinfesti.

eo

eo loco manētes, vbi nox aduenerat, vt quiescere possent, vela & conopæa circumpandere necesse erat, quod & ipsi quoque Indi adhuc faciunt. Quamquam etiam illi cubilia sublimè quatuor scapis arundineis firmissimis, leui tabulato, suspensa imponunt: & in hunc modum quiescunt, minus videlicet ita infestis culicibus.

ANNO verò M. D. XLVI. continuis imbribus auctus fluuius ille non ingentem modò stragem dedit, sed totos circa campos & maximam regionis partem, illámque adeò ipsam vrbem, inundauit & obruit. Quare Hispani viginti millia passuum propiùs mare nouæ vrbi sedem deligunt, eámque ad ripā eiusdem fluminis colli imponunt. Is locus Transitus-Gainacauæ appellatur tali de causa. Gainacaua ducem quendam suum cum valido exercitu, ad subigendam eam prouinciam quōdam miserat. Dux quum traducere exercitum decreuisset, indigenas transuersis tignis trabibúsque iniectis, quomodo schediæ & rates compingi solent, fluminis transitum pōte iungere iubet. Perfecto opere, quum iam exercitus cum impedimentis transiret, hostes funibus abscissis pontem soluunt: multi in flumen se præcipitantes gurgitibus hauriuntur: ceteri interclusi à suis ab circumfuso hostium exercitu propè ad internecionem cæsi sunt.

Guaiaquil vrbis inūdatio.

Guianacauæ trāsitus

GAINACAVA vbi suorum cladem accepit, magno cōtractoexercitu, Quito mouet,

& ex illis montibus in plana degreſſus, eam gentem ingenti cæde perdomat. Poſt eam victoriam, iungendi aggere fluminis cupido eum inceſſit, vt pedeſtri tranſitu in vlteriorem eius ripam tutò, quum viſum eſſet, tranſcurreret. Iámque aggeſtis ſaxis & terra ingens moles iaci in alueum cœperat, & aggeris longitudo iam viginti & amplius paſſus impleuerat, quum Gainacaua propter latitudinem, altitudinem & rapiditatem fluminis quidquid ingerebatur abſorbẽtis, incepto deſtitit. Hâc ob cauſam eum locum Hiſpani Gainacauæ tranſitum nuncuparunt: vrbémque ibi à ſe conditam, San-iacobum, quæ ædificiorum & incolarum frequentia à Portus-veteris colonia nihil differt.

San-iacobum colonia.

EIVS fluminis oſtio Puna inſula obiecta eſt, & ea quidem in ditione Regis. Eius indigenæ, quomodo & fluminum accolæ & aliæ earum prouinciarum gentes, quoad ſuppeditarunt vires, continua aduerſum Hiſpanos gerentes bella multos interfecere. In iis, quum F. Vincentius de Valle-viridi, cum XLII. Hiſpanis Didaci Almagri furorem fugiens, (quo tempore ille Franciſcum Pizarrum Marchionem interfecit) in eam inſulam ſe abdidiſſet, nocte quadam Indi fuſtibus & clauis omnes ad vnum trucidarunt. Hic erat monachus ille, qui cum Attabaliba Caſſiamalcæ colloquutus erat, quum is à Franciſco Pizarro captus eſt (vti ſuperiùs dictum eſt.) Eum Cæſar Epiſcopum Peruanæ prouinciæ deſignauerat.

Monachus Primus Peruenſium bellorum inſtinctor, digna operæ præmia refert.

IN

In Puna & finibus Guaiaquil & Portus-veteris, herba quædam ramoſa reperitur: foliis vt roboris, (1 *Zarzaparilliam* vocant) quæ venereæ contagioni & aliis morbis medetur. Ea nempe duobus ſilicibus trita expreſſus & percolatus ſuccus, admiſto aquæ calidæ modico, ęgrotis bibendus porrigitur. Ij mox hauſta eius potionis, quantam natura patitur, mẽſura loco calido compoſiti, quoad tolerare poſſunt exſudant. Eo medicamento tres aut quatuor dies, vt viſum eſt, vtuntur: biſcocto tantùm interea pane & pulli gallinacei aſſi paululo veſcentes. Alii eius herbæ ramuſculos duntaxat aqua incoquentes, ius eliciunt quod interdiu bibant: & eo ſorbitionis genere nonnulli duos tréſve continuos menſes vtuntur.

Zarzaparillæ, herbæ vtendę ratio aduerſus veneream luem.

In prouincia Guaiaquil & aliis verſis in Orientem regionibus, hiems menſe Nouembri incipiens vſque ad finem Aprilis durat. Maio veris initium eſt, Octobri exitus. In ora eius maritima, inde à Tumbez Auſtrum verſus, adeo rari imbres ſunt, vt vix triennij quadrienniíve ſpatio paucis miſerè expreſſis pluuiæ guttis planicies illæ aſpergantur. Itaque ibi partim ob nocturnos rores qui copioſè cadunt, partim diurnis accolarum irrigationibus humentia ſata adoleſcunt. Arenoſæ quoque ibi planities iacent, in quas numquam impluit: in montibus contrà octo menſibus anni pluit: nonnulli etiam obſiti niuibus & perpetuo rigentes gelu conſpiciuntur. Aeſtate venti quidam aſſiduè à Meridie incolis no-

xij infestíque admodum spirant.

Chimbos mons altissimus.

QVVM è Guaiaquil Quiton iter facerem, Chimbon montem, in altitudinem XL. milliũ pass. editum & omni prorsus humano cultu vacuum trãgressus sum: quo in itinere, nisi Indus quidam pauxillulo aquæ oblato mihi subuenisset, siti planè extinctus essem. Postquam tandem in verticem perueni, paulisper consistens, nouas illas & mirabiles terras subiectas oculis è sublimi tanta cum admiratione despexi, vt inusitata quædam, velut in somnis, visi species oculis meis oblata videretur.

IN hac ingenti prouincia Quitensi, vt & in aliis nonnullis Peruani regni regionibus, quum plerique populi peculiare idioma habeant, vulgò tamen Cuscensis lingua in vsu est. Quum enim Inguæ (id est Peruani Reges) eas prouincias ditioni suæ adiecissent, edixere vt omnes Cuscensem linguam ediscerent, eámque patres filios suos edocerent. Ex eo igitur illud idioma per vniuersas eas prouincias quæ eorum imperio subiectæ erant, promiscuo vsu obtinuit.

1 EAM *herbam vbi primùm viderunt Hispani tum in Noua Hispania, tum in prouincia Hõdurensi, Zarzæ-parillæ nomen ei indiderunt, ob cognationem quam cum Smilace aspera habet, quã Hispani Zarza-parillam vocant. Ceterum de variis huius exhibendæ & vtendæ rationibus, copiosè agit Nic. Monardus in lib. de simplic. Indiæ Occid. Medicamentis.*

Peruano-

Peruanorum religio & ritus. Cultus. Pecora. Ebrietatis studium. Opificia. Vini apud Peruenses summa caritas.

CAP. XX.

HÆ gentes etsi cum dæmonibus colloquia misceant,[1] Solem tamen pro numine præcipuo habent. Ab eo beneficium aliquot petituri tum Principes, tum sacerdotes, manè, oriente eo sugge stum quoddam editum, lapideũ, conscendunt: ibíque demisso capite stantes, complosis ac cõfricatis inuicem manibus, mox in cælum sublatis passísque vt si Solẽ ipsum amplecti vellent, certas quasdam preces concipiunt, petẽtes ab eo quibus indigent. Nunc verò etiam quum ab Hispanis vexantur, eós vti Solem adorant, precantes vt misericordia in se vtantur, néve ipsis noceant.

Orandi ritus apud Peruanos.

INGENTIA ibi delubra numinum, præsertim Solis, & immensæ opulentiæ erant: incrustati intus auro & argento parietes: multæ quoque sacris dicatæ virgines (*Mamaconæ* appellabantur) nulli operi præterquam nendis texendísque tantùm ornamentis deorum vacabant. Humanis victimis litant, viros ac pueros mactantes, quorum tamen carnes non mandunt. Pecudes quoque, aues, & alia animalia immolant: & hostiarum fuso

ſanguine Idolorum ora & templorum portas inungunt. Quum dęmonis colloquium expetunt, aut ſeminare, aut aliud quid aggredi in animo habent, ſacerdotes aliquot dies ieiuniũ ſibi indicunt.

Sepeliendi ritus.

MORTVOS regulos magnificis & ingentibus ſepulcris inferunt, ac cum eis multum aurum argentúmque elaboratum, formoſiſsimas vxores & quas viuentes ipſi maximè dilexerũt, famulos, veſtes, fruges, vinũ & quæq; alia cariſsima, ſimul defodiunt: ne videlicet eis cibus ac potus deſit quoad in alterum mundum peruenerint. Quæ ſepeliendi ratio in pleriſque Indiæ regionibus vſurpatur. [2] Atque iſti Immortalitatem animæ credunt. Eiuſcemodi multa ſepulcra ditiſsima Hiſpani repperere: pauca tamen illa præ iis quæ adhuc ſuperſunt. Multos dies defunctos lugent.

Immortalitas animæ apud Peruenſes credita.

VIRI ſubucula ex lana aut bombyce non manicata veſtiuntur, & pendente nodo ex humero altero penula: nobiles caput faſcia inuoluunt, & floccum è lana geſtant, qui in ſiniſtram aurem propendet. Ex herba quadam candida, cannabis ſpecie, calceos conficiunt. Feminæ lõga palla ab humeris ad talos vſque promiſſa indutæ, & faſcia quatuor digitos lata præcinctæ (*Chiumbi* appellant) ad pectus acus aureas & argenteas affixas præferunt, quas *Topi* nominant: ac ſuperimpoſitum aliud breue amiculum geſtant, quod *Liquida* appellatur: capillis quoque promiſsis & liberè fluentibus conſpicuæ. Atque hic veſtium mos & forma apud Cuſcenſes in vſu eſt.

Peruenſiũ cultus.

PEREGRE

PEREGRE profecturi rubro quodam bitumine faciem oblinũt, aduersus ventos, herbámque ore clausam (*Cocam* ipsi appellant) velut panchrestum quoddam pharmacum circumferunt. Quippe eius præsidio freti integrum diem, nullius nec cibi nec potus egentes, iter faciunt. Atque hoc quidem herbæ genus earum rerum, quibus mercaturam exercent, præcipuum est. Est & apud eos radicis genus (*Pape* vocant) tuberum specie, sed exigui saporis. Abundauere olim pecoris copia (id asini amplitudine [3], specie propè cameli est) sed, vt ipsi referunt, non ita dudum tetra quædam lues, lepræ instar, armenta corripiens maximam partem extinxit. Verùm multò peior lepra Hispani vniuersum propè id pecudum genus absumsere. Horum animalium caro ferinum quiddam sapit: eorum velleribus indigenæ quondam vestiri abundè consueuerant: quæ nunc in summa raritate carissima habent.

Coca herba inediã leuans.

Peruanæ oues.

CETERVM eæ gentes, sicuti omnes ferè Noui illius orbis, summam voluptatem & præcipuum vitæ præmium in crapula collocant. Itaque postquam multo mero incaluere feminam quisque, quæ prima collibuerit, amplexus libidinem explent, sublato propè omni matrum, filiarum aliarúmque necessitudinum discrimine: & ipsi adeò Reguli ac proceres easdem sorores & coniuges in matrimonio habent. Panem nullum planè faciunt, excusso grano tantùm cocto & tosto vescentes. Atque hæc vna lex est, quam inter alias

Ebrietas Peruanorum.

Gainacaua tulit: quum videlicet expeditionē aliquam ingressurus, suos in pane faciendo occupatos esse nollet. Ergo etiam nunc eum morem obseruant.

Eius Regni primaria quondam ciuitas Cusco erat, Inguarum imperii caput: quæ priscis temporibus longo abhinc æuo (vt indigenæ memorant) à Magocappa condita est, primo eius stirpis rege. Cuius mox successores, amplificatis imperii sui finibus & multis gentibus subactis, leges iis suas moresque tradiderint, multáque passim ædificia, tum cultui deorum tum Regis vsibus destinata exstruxerint. Eorum parietes, leuissimo lapide, pumice ædificati sunt: straminibus & paleis integuntur: cuiusmodi ego aliis locis, maximè in prouincia Quitensi, in Tumebābæ finibus non minus sumtuosa & magnifica quàm in Cusco vidi. Ac quamquam plurima ab Hispanis diruta iaceant: multa tamen etiam nunc in militaribus viis visuntur (quæ indigenæ *Tambos* appellant) ex quorum semirutis maceriis qualis fuerit ingētium eorum ædificiorum fabrica facilè colligi potest.

Peruanorum ædificia.

Inter alia Gainacauæ monumenta, nobilissimum opus via strata, complanatis ad æquum aliquot monticulis, adhuc spectatur. Quitensis istius prouinciæ aer temperatus & salubris est. Cuscenses reges plerumque ibi morabantur: multísque partibus aurificinas instituerant. Ac aurifabri quidem Indi, nullo ferreo instrumento vtentes, mirabilia opera

Guainacauæ monumenta.

pera, quamquam paulo rudiùs, non inſcitè tamen fabricabantur.

PORRO in hunc modum operantur. Primùm aurum vel argentum fuſuri catino longo aut rotundo iniiciunt: eum ex panno terra incruſtato, & carbone contuſo factum, móxque exſiccatum igni imponunt cum ea metalli copia quantam capere poteſt: mox quinque aut ſex ſiphunculis arundineis tandiu circumflando incendunt, quoad liquefactum metallum omni excocta ſcoria, niteſcat. Inde catino eductum aurifices humi ſedentes, nigris quibuſdam ſilicibus, aptè ad id factis tamquam malleis, opus pariter inter ſe ſortiti elaborant & ex eo faciunt, aut (vt magis propriè loquar) faciebant proſperis ſuis rebus, quidquid iubebantur, puta diis dicatas ſtatuas, vaſa, monilia: pecudum etiam omniúmque animalium quæ videre poterant ſimulacra effingentes.

Aurificum Peruanorum opera

QVOD ad res ex Hiſpania eò traductas attinet, frigida omnia ac temperata loca tritico ſatis fida ſunt, & in iis abundè prouenit. Ibi etiam vites aliquæ, ſed parum feraces ſunt. Dicunt nonnulli ſpem eſſe ſibi fore vt breui vites in iis regionibus adoleſcant fiántque vina: imò vt fructus propè omnes Hiſpaniæ conceſſi, ibi quoque naſcantur. Verùm, etſi ſpem ſuam nemo illis tollit, irrita tamen erit, neque meo quidem iudicio, effectus quales illi ſperant, vmquam apparebunt: quippe aeris temperamento & cæli poſitione noſtræ planè contraria.

Gom. hiſt. nat. lib. 4.

Peruanæ regiones alendis vitibus ineptæ.

Adhæc quando in Noua-Hiſpania aliíſque locis vbi melior mitiórque tellus eſt, quamquam conſitis vitibus, vinum tamen non collegere: quanto minus in Peruanis prouinciis? Addo etiam Dei bonitatem brutis illis gentibus tam præſtantem liquorem concedere noluiſſe: ſed attribuiſſe tantùm pro eorum captu habitúque res ad tuendam vitam vtcumque neceſſarias.

HISPANI qui colonias ibi poſuere, Raphanorum, lactucarum, melonum, cucumerũ, braſsicarum, copiam habent. Limonum etiã & Aurantiorum, quamquam hi fructus nõ niſi loco calido naſcuntur. Ficuum mediocriter. Pecoris propemodum inopia eſt, ídque ob cõtinua bella: & quum ibi eſſem, Limæ vacca vna centum ducatis æſtimabatur: ouis quinquaginta & ſexaginta.

PERVANI regni fertiliſsima prouincia Quito eſt: ea frumenti admodum ferax, magnam etiam vim porcorum & gallinarum, Hiſpanicæ ſobolis, alit: inſuper cuniculorum iucundiſsimi ſaporis ingenti copia ſemper abundans. Sed vini ſumma ibi caritas. nam in ipſa Quitenſi vrbe, vt quum viliſsimè venditur, vini ſeria vna, duodecim circiter lagenarum capax (lagena ſeu bocalium, vt vocant, XXVIII. vncias capit) quatuordecim aut quindecim ducatis aureis valet: Limæ & aliis maritimis locis, decem ac duodecim: ſed Potoſiæ (mediterranea vrbs eſt, quingentis amplius millibus paſſ. introrſus à mari retractior) vulgò LXX. & LXXX. ducatis venit. Ad eum modum

Vini caritas apud Peruẽſes.

dum ceteris locis, pro ratione ac situ regionis quò importatur, maius vel minus precium sortitur.

ATQVE hîc noua sæpe interuenit calamitas. quum enim cadi, seu seriæ aut fideliæ, quibus vinũ ab Hispania deportatur, fictiles sint, quum è loco in locum circumferuntur, plerumque franguntur. Sæpenumero etiam, morantibus diutius nauibus, tanta iis locis vini penuria incidit, vt eiuscemodi cadus vnus quadringentis, quingentis interdum, imò etiam mille, ducatis aureis ematur.

I *De eorum opinionibus nonnulla quæ ad hunc locum pertinent ex Hispanis scriptoribus attexã. Quuum nullam certam, ex scripturis vllis aut litterarum monumentis, Creationis mundi aut diluuij notitiam habeant, quod à Patribus traditum per manus habent, memoria retinent. Nimirum insignem quendam virum (Con ipsi vocant) à Septentrione quondam in eas terras venisse mira pedum pernicitate, & nullis ossium fulturis aut neruorum vinculis compacto corpore: qui solo nutu montes in plana subsidere cogens & profunda vallium complanans, viam sibi per inuia faceret. Eum porro priscos earum terrarum homines & feminas creasse: atque illis herbas & fructus siluestres, sustinendæ vitæ dedisse. Mox ab Indis plana incolentibus offensum, terras antea fertiles in arenas steriles vertisse, atque inhibuisse pluuias. Ex eo nihil aut raro apud eos pluisse. Misericordia tamen motum, ne squalida siccitate regio animantia respueret, fontes aperuisse & fluuios, quos accolæ rigantes*

riuis carperẽt. Hunc quondam, quum Solis & Lunæ filium ferrent, pro summo numine adorabant. Donec ab Austro successit alter, Pachacama *nomine (id Creatorem apud eos sonat) Sole & ipse ac Luna ortus, priore longè potentior. Cuius aduentu* Con *disparuisse: istum autem creatos à priore illo mortales, in aues, cercopithecos, vrsos, leones, psittacos, & alias volucres mutasse: atque Indorum qui nunc eas terras obtinent maiores creasse: illósque terræ atque arborum culturam docuisse. Itaque ex eo hunc pro Deo ab illis habitum, templum & diuinos honores obtinuisse: & numcupatam eius nomine prouinciam, quatuor tantùm à Lima leucis: vbi quondam eius Regni proceres quum excederent vita, sepulturæ locum eligerent. Porro istum Pachacamam multas ætates durasse, ac tantisperdum Christiani Peruanum regnum iniuere. Ex eo numquam deinceps esse visum. Credibile est, dæmonem fuisse, qui talibus præstigiis miseras illas gentes deluderet, cui rei argumento est, quòd ante Christianorum aduentum ex celebri illo Pachacamæ fano, velut publico oraculo, vulgò Responsa petebantur, quæ dæmon humana aut alia specie sacerdotibus, sacerdotes sciscitantibus, ederent.*

CREDITVR *præterea ab illis vulgò & adhuc narratur, ingentem priscis temporibus terrarum inundationem accidisse: eáque omnes submersos mortales præter paucos, qui altissimorum montium specubus abditi, prouiso commeatu, & cauernarum faucibus obstructis, communem sortem effugerint. Porro eos, quum remisisse imbres conycerent,*

rent, emisisse duos canes: quos quum madentes & elutos recepissent, inde iudicasse, nondum exire, omnia adhuc obtinentibus aquis, opportunum esse. Mox rursus emissos, quum cœno oblitos & sordidos regredi viderent, & subsedisse aquas, nihilque præter limum superesse, inde deprehenderent, tum demum è cauis erepere ausos, magnam vim serpẽtium offendisse, quas diluuio recenti lutulenta tellus ediderat, easque magno labore paulatim sustulisse. Ceterùm mũdum quoque interiturum perhibent, sed non prius quàm ingens quædam siccitas & velut conflagratio aeris acciderit, qua Sol ipse & Luna hauriantur. Itaque in eorum siderum, ac potissimùm Solis, defectibus, vulgò lugubres clamores & planctus edunt, labi orbem & finem rerum adesse existimantes. Quænam, obsecro, hæc sunt sincerioris Theologiæ vestigia, quæ ne adhuc quidem in tanta barbarie ex earum gentium animis delere Satan potuit?

2 In eorũ exsequijs tũ multa alia absurda erãt, tum hoc maximè, quòd aliquot sui liquoris (quem illi Cicha appellant) pocula in sepulchrum inuergentes, eum per calamum vsque ad mortui os pertinentem, seu infundibulum, transmitterent. Ceterum non tantùm Immortalitatis animæ, sed etiam Resurrectionis corporum sensum aliquem habere eas gentes tum sepulturæ ritus indicat, tum quod vulgò Hispanis dicebant, quum illi eruendo auro & argento sepulcra aperirent. Quippe orabant eos, ne ossa humatorum dissiparent, quò videlicet illi ocius & minore negotio resurgerent. Aug. Zarat. Hist. Peru. lib. 1. cap. 12.

De Brasiliensibus quidem Barbaris ita scrib[it] Lerius: Non modò, inquit, Immortalitatem anim[æ] credunt: sed pro certo quoque habent, post morte[m] eorum animas qui virtutem coluerunt (virtutem a[u]tem illi definiunt suo more, nempe vltionem sumer[e] de hostibus & quamplurimos mandere) post altissimos montes euolantes, patrum & auorum suorum animis aggregari, ibique in amœnissimis hortis perpetuis delicijs ac tripudijs lætum æuum agere: ignauorum contrà manes, qui sine vlla propugnandæ patriæ cura inglorij vixerunt, abripi ab Aignan *(sic illi cacodæmonem vocant) & cum eo sempiternos inter cruciatus viuere. Nauig. Brasil. cap. 16.*

3 *Peruanæ oues instar camelorum (quos, si tubera demseris, specie propè referunt) magnis oneribus ferendis sufficiunt. Equitandi verò etiam vsu eas ita assuefecerunt Hispani, vt duodecim aut quindecim milliarium spacium, equitem dorso gestantes in die conficiant. Itinere fatigatæ prosternunt se humi: ac tum fodiendo aut feriendo frustrà impuleris: nunquam nisi onere leuatæ, surgunt. Pecu-planè fructuosum, vel in esu carnium, vel in vsu vellerum, quibus optimis & tenuissimis vestiuntur: præsertim eæ, quas illi* Pacos *vocant.* Quippe *& illæ paruo aluntur, & in summa laboris tolerantia, Maizio pastæ, quatuor & quinque dies sine vllo potu facillimè transigunt. August. Zarat. Histo. Peru. lib. 3. cap. 2.*

4 HAEC *statiua, seu palatia, quæ* Tambos *vocant, Gaiuacaua, Attabalibæ pater, ad ripas fluminum maximè, & in regijs vijs exstructa, non tantùm commeatu, quantum exercitui alendo*

sufficeret

ſſiceret, ſed etiam armis, veſtimentis, & omni terum genere tanta copia inſtruxerat, vt ijs triginta millia hominum expeditè veſtiri & armari poſſent. Ea autem crebris interuallis diſpoſita, plerũque diei vnius itinere, interdum octo aut decem leucarum, rariſſimè quindecim aut viginti, ſpatio diſcreta ab alijs alia erant. Auguſt. Zarat. Hiſt. Peru lib. 1. cap. 14.

¶*Peruani Chriſtianos ex maris ſpuma concretos eſſe putant. Aurifodinæ exhauſtæ. Coloniæ in Peru ab Hiſpanis conditæ.*

CAP. XXI.

MATVRVM iam mihi videtur falſas eas opiniones quas illæ gentes de nobis habent, expromere. Poſtquam ingreſsis Peruſium Hiſpanis, mores eorum, facta & atrocia ſæuitiæ exempla quæ paſsim ab iis edebantur, inſpexere: numquam ex eo non modò fateri voluerunt, nos eſſe Chriſtianos filios Dei (ſicuti ab Hiſpanis audiebant) ſed ne ita quidem in lucem editos vt vulgò naſci homines ſolent. Quippe fieri non poſſe vt tam ferox & truculentum animal ab vllo homine genitum & feminæ partu editum ſit.

Absurda Peruanorum de Chriſtianis opinio

Itaque eorũ animis penitus hæc inſedit opinio, nos mari eſſe ortos: ac proinde nos *Viracochie* vocant. quippe *Cochie* apud eos valet mare, & *Vira* ſpumam ſignificat. Ergo nos è

mari concretos & coalitos, ſpumáque nutritos, vulgò ferunt: ac veniſſe in terras ad vaſtãdum ac perdendum mundum. Neque eam opinionem vllus, præter Deum omnipotentem, eorum animis euulſerit. Nempe inter ſe ita ratiocinantur, Venti domus proſternunt, arbores frangunt: ignis eadem vrit: ſed iſti Viracochiæ omnia deuorant: terram inuertunt, vim fluminibus afferunt, neque vllum tempus remittunt: perpetuò irrequieti modò huc modò illuc vagantur, aurum & argentum inſatiabiliter quærentes: mox vbi quæſiuere alea conſumunt, bella gerunt, mutuis cædibus ſe conficiunt, latrocinantur, blaſphemãt, Deum exſecrabiliter eiurant abnegántque: verum numquam loquuntur, & nos noſtris ditionibus & fortunis ſpoliauere. Denique Indi mare diris exſecrantur, quòd tam ſæuam & truculentam ſobolem in terram immiſerit.

Barbari Chriſtianorũ vitia grauiſsimè arguunt.

SAEPE varia eius regni loca perluſtrans, ſiquem fortè Indum obuium haberem, animi gratia, vt mentem eius nudarem, ſciſcitabar ex eo vbi hic aut ille Chriſtianus maneret. Illi verò tantùm abeſt vt reſponſum aliquod darent, vt ne in os quidem contrà me intueri ſuſtinerent. Verùm ſimulac petieram vbi maneret Viracochie, confeſtim mihi reſpondebant. Pueri quidem eorum vix verbum vnum balbutire incipiunt, quum patres digito noſtrûm aliquem indicantes, En tibi, inquiunt, Viracochie.

PORRO

PORRO quum in multis huius Regni pagis, nempe quia opulentum est, sacerdotes & monachi erudiendæ iuuentuti dent operam, vtinam tamen bonum aliquem fructum edãt. Neque hîc omiserim quod in Quito à Flandro quodam monacho Franciscano audiui, cui Iodocus nomen erat. Is mihi retulit se in prouinciam Cagnariam profectum, exstructo ibi cœnobio, omnes eius gentis regulos & primores euocasse. Quum tres tantùm ex iis venissent, luculentissimam apud eos orationem habuisse, vt qui linguam Cuscensem optimè calleret, eísque quæ ad fidem nostram pertinerẽt copiosè exposuisse, fœdos simul eorum ritus & diabolicas ceremonias damnantem: mox postulatu eorum omnes baptizasse, atque ita domum reuersos.

Religionis Christ. cõtemtus apud Peruanos ex malis Hisp. exemplis.

VERVM vt vidit monachus eos ad sacrũ in templum non venire, denuo homines adit, rogátque vt in sancto proposito perseuerent. Donec ad extremum vbi vidit se operam ludere, nec fructus vllam esse spem, quum illi palàm cum risu dicerent res Viracochiorum sibi non conuenire, nec sibi tantum ab suis rebus esse otij vt templo frequentando vacare possent: his, inquam, compertis, monachus sexto postquam eò venerat mense, Quiton ad suum monasterium reuersus est.

AC quando in eum sermonem incidi, age libens ab Hispanis ipsis quæsiuerim, Si apud eos nulla vmquam antehac notitia, ac ne nomen quidem ipsum Sacri Euangelij audi-

tum,atque hoc tempore gens aliqua in Hiſpaniam ad promulgandam Chriſtianam doctrinam commearet, quomodo ipſi In Indiam iuerunt:atque & ea ipſis ſuas fortunas, vxores & liberos eriperet, atque in ipſorum corpora tormentis cædibúſque ſæuiret, ac pro mancipiis venderet, multáſque alias indignas iniurias in eos ederet:quæro quid ipſi eſſent facturi. Ego quidem non dubito quin ipſi non tantùm capitali & perpetuo odio eam gentẽ proſequerentur: & in eam probra omnia & fœda iacerent:ſed etiam atroces de ea,ſi poſſent,expeterent pœnas. Si hoc Hiſpani ipſi alteri genti facturi ſint, quis miretur hunc in modum Indos Hiſpanis,ſi poſſint, vſuros?

IAM ſuperiùs de immenſa opulentia egi ab Hiſpanis reperta, quum primùm hoc regnum ſubegerunt. Attamen vtcumque tantum inde opum exhauſerint, Indi etiam nunc grandem lancem plenam Maizio tenentes granũ vnum ex omni aceruo eximunt, &, Viracochiæ, in- „ quiunt,hoc foras exportarunt:& illud (lãcem „ intuentes)apud nos remãſit. Itaque illi ne tam „ ingenti gaza Hiſpani potirentur, partim proiecerunt in mare,partim defoſſas in terram opes abdidere.

Potoſiẽſes fodinę.

HISPANI præter hæc argenti & auri fodinas ditiſſimas aperuere: & argentearum quidem nobiliſſimæ ſunt apud Potoſienſes. Non procul Cuſco in flumine Caluaia auri puriſſimi ramenta inuenere: deinde in Quitenſi prouincia auriferum aliud flumen, quod ab Hiſpanis San-barbara appellatur. Aurarias quo-

quoque in quibusdam montibus nacti, cuniculis per magna spatia actis & tellure ligneis columnis & fulturis suspensa, vsque-adeo fodere, quoad aurariæ venæ finem inuenirent. Ac sæpe accidit vt sidentibus rimis fracti mōtes, & omnes operarios & Hispanos ipsos opprimerent. Aurum quod ex iis montibus eruitur, minutæ arenæ speciem habet: id, effosa terra, argenti viui ope colligunt quod è fluuiis tollitur, in grumos & grana tum exigua tum maiora discretum est. At nunc quidem omnes ferè aurifodinæ exhaustæ sunt: argentariæ abundè quidem adhuc suppeditant, sed non ea copia qua primùm. Neque enim tantę magnitudinis vllus mons est, quem, si semper inde tollas ac nihil reponas, aliquando non exhauseris.

Hispanorum in exhauriēdis fodinis labor.

COLONIAE ab Hispanis in eo regno conditæ hæ sunt: Lima, Arequipa, Cusco, Neapolis, Argyropolis, Trugillium, Guanucum, Chiachiapoi, Quito, San-michael, & Portusvetus. Earum amplissima Lima est, quadringentis & quinquaginta circiter focis habitata: ceterarum aliæ viginti, aliæ triginta, quædam quadraginta, nonnullæ quinquaginta, aliquæ octoginta domus continent. Denique sic statuo atque affirmo, omnium earum vrbium, quotquot Hispani in ea India condiderunt: (quas illi amplius trecentis esse iactāt) etiamsi in vnum aceruum conferantur, non tot esse ciues ac municipes, quot vel vnius suburbij Mediolanēsis extra portam Comasinam olim esse meminimus. Nam florentibus illius vrbis

Coloniæ Hispanicæ in Peru.

rebus, ex ſolo eo ſuburbio XII. amplius millia hominum, exceptis ſenibus, emitti ſolebant: at in India Occidentali, annumeratis etiam ſenibus ac pueris, luſtro facto numquam amplius XIIII. aut XV. millibus capitum reperta eſſe conſtat.

1 Is *Chriſt. religionis contemtus in Barbaris nulli veriùs cauſæ quàm Hiſpanorum ſceleribus & flagitiis aſſignari debet. Nam alioqui non planè indociles neque à pietate alieni ſunt. Id vnius rei documento, quod ex Lerio noſtro ſumam, demonſtraſſe ſufficiet. Is enim Americ. Hiſtor. cap. 16. narrat, Se aliquando cum tribus Barbaris Braſilienſibus iter per ſiluam facientem, noua arborum herbarúmque ſpecie, ſimul canoro auium concentu, inuitatum ad prædicandas Dei laudes, totum Pſalmum* 104. *alta voce ceciniſſe. Mox quæſiuiſſe vnum ex illis quidnam ſibi vellet quod ceciniſſet. ac tum ſe copioſè Prophetæ mentem & Pſalmi ſententiam expoſuiſſe, Illos verò, vbi omnia hæc attentè audiuiſſent, ingenti cum admiratione in exclamationem erupiſſe,* " OH *quàm vos* Mair *(ſic illi* " *Gallos appellant) felices eſtis, qui tot arcana ſcia-* " *tis, quæ nobis miſeris occulta ſunt! Ita nimirum cum aliquo fructu docentur Barbari, non libidinis & auaritiæ exemplis.*

¶ *Pere-*

Peregrini à Gasca è Peru arcentur. Hispanicæ classis naufragiũ. Benzonis ex India Occid. in Hispaniam, atque inde in Italiam reditus.

CAPVT XXII.

QVVM iam tertius ageretur annus ex quo in Purusium veneram, ac me, iam collectis aliquot ducatorum millibus, earum terrarum satietas & fastidium cepisset, reuerti in patriam cõstitui. Accessit eò etiam edictũ Præsidis Gascæ, quo peregrinos omnes Perusio excedere iussit: quum videlicet à quibusdam Hispanis accepisset, Leuantinos (sic nimirum nos vocant) perfidos ac sæuos esse, ac multis Hispanis exitii causam fuisse. Ergo quum tunc in vrbe Guaiaquil essem, eóque fortè acatium è Panama mercibus onustum appulisset, abire inde & patriam reuisere statui.

VT primùm, confectis ad quæ venerat, magistro nauis abire vacuum fuit, nauim conscendi VIII. die Maii, anno M. D. L. soluimus & in portu Zalangi præsidem Gascam inuenimus. Is Panamam petebat, vnde in Hispaniam traiiceret: ac tũ quòd solus nauigaret, Nauarchum nostrum comitem sibi ire iussit. Ille, quum Maizio nauem onerare vellet, Præsidem rogat, vt propter necessarios quosdam vsus ipsum ibi manere pateretur. Præses abit, nos tandiu in eo portu hæremus quoad onustum esset nauigium.

MOX inde soluentes, breui ad Mantam

appellimus: ſed ibi nauigium ſcopulo illiſum fractúmque mergitur: omnes vectores & nautæ cum maxima auri & argenti parte incolumes ad terram euadunt. Ea calamitas Naucleri ſeu piloti ſuæ artis non ſatis periti inſcitia accepta eſt: is verò qui Panama acatium deduxerat, ſubſtiterat in Guaiaquil eiuſcemodi ob cauſam. Allatum fortè erat per eos dies ab Hiſpanis Cæſaris edictum ac omnibus Indiæ partibus promulgatum, mulierum poſtulatu quæ viris iunctæ eſſent: Vt videlicet Præſides ac Gubernatores, viros qui in Hiſpania vxores haberent, in Hiſpaniam remitterent: aut iuberent eos de arceſſendis eò vxoribus ſatagere. Ergo metuens Nauclerus ille ne Panama in Hiſpaniam remitteretur, nullius ibi fauore ſubnixus, quum eò reuerti nollet, in Peruſio ſubſtitit.

Edictū de arceſſēdis vxoribus.

AMISSO verò, ita vti dixi, nauigio exſpectare aliam traiiciendi occaſionem neceſſe nos fuit. Tandem quinquageſimo poſt hæc die, quum nauis Lima veniens eò applicuiſſet, ei iungimur, & breui Panamam peruenimus. Ibi comperto Præſidem cum omnibus nauibus è Nomine-dei in Hiſpaniā vela feciſſe, in Nicaraguam tranſgredior. Ibi graui ac diuturno morbo implicitus, ac vix tandem recepta valetudine, poſt quadriennium è Guattimala, vbi tunc eram, ad Portum-caballorum me confero, quò naues ex Hiſpania appuliſſe acceperam.

CONSCENDO nauim, ſoluimus: ſed quum iam haud procul Cuba eſſemus, ſæua repentè

repentè coorta procella nauim ad breuia illidit: nos, omni propè amiſſa pecunia quæ in naui erat, ægrè in ſcapham tranſgreſſi, omnes tamen incolumes trigeſimo quarto demum die ſummis cum laboribus & periculis Portum Auanę tenuimus: vbi claſſem Regiam reperturos nos ſperabamus. Sed ea iam octiduo antè, ſummo ipſius pręfecto Didaco quodam Caietano, in Hiſpaniã vela fecerat: atque eam quidem vix medio itinere atrox adorta tempeſtas miſerabiliter afflixit. Ex duodeuiginti nauibus, tredecim fluctibus penitus hauſtæ ſunt, (quarum vna vehebatur Clauiſſus Panamæ Gubernator, & duo Adſeſſores iuridici noui regni Granatæ, qui ob multa iniuſtitiæ & repetundarum crimina, Regis mandatu è prouincia in Hiſpaniam deportabantur) duæ quaſſatæ & ſemilaceræ ad Dominicæ inſulæ littoræ eiectæ ſunt. Tribus reliquis in Hiſpaniam abreptis, vna litoribus Portugalliæ illiſa eſt: vectorum pars, amiſſa naui, ægrè ad terram enauit: altera Calicium portum inculumis ſubiit: Prætoria haud procul portu San lucari de Barrameda, cum ducentis fermè hominibus periit. Præfectus ſcaphæ præſidio cum parte nauticorum & concubina euaſit.

Claſſis Hiſpanicæ naufragiũ.

Mox quum Hiſpalim veniſſet, iuſſu Regis in cuſtodiam coniectus eſt. Obiiciebatur, eo tempore ex India ſoluiſſe vt ei neceſſe eſſet hieme in Hiſpaniam appellere, litorum præſertim egreſſu ea tempeſtate periculoſiſſimo. Itaque ipſius culpa tantam calamitatem eſſe

acceptam. Ille verò culpam omnem in necessitatem transferens, se quum tantæ alendæ multitudini commeatus Auana expedire non posset, inde soluere esse coactum defendebat. Tandem hæc atque alia afferens emittitur, sed abrogato ei munere.

Benzonis in Hispaniã, inde in patriã, reditus.

EGO interea Auanæ hærebam æger animi ac mærens, idque duplici de caussa. Primùm quòd fortunarum mearum partem in supradicta naui amiseram: deinde quòd classem Regiam, cui me adiungere cogitabam, profectam comperissem. Verùm tam funesti naufragij nuncio audito, Deum diuinámque eius gratiã laudaui, quòd ei classi molienti me succedere nõ esset passus, hauddubiè si id factum esset, cum aliis periturum. Tandem decimo post ea mense classis Regia in Indiam appulit: móxque in Auanæ portu aggregatis quatuordecim nauibus cùm modicis tum magnis, breui vela, Dei ope, in Hispaniam fecimus. Trigesimo nono quàm inde solueramus die, horribilem vnam tempestatem in eo cursu perpessi, insulam quandam Lusitaniæ (vulgò Maderam appellãt) tenuimus, quæ iuxta Cosmographorum rationem ab Auana ampliùs IV.M. milliaribus distat.

Belmuda insula.

MEDIO fermè itinere iacet exigua quædam & deserta insula, quæ ab Hispanis [1] Belmuda appellatur: sed eam neque nos in conspectu habuimus, neq; multi nautæ illac prænauigantes vident. Sumto in Madera pane, vino, aliísque cõmeatibus, vela damus: & octauum post diem, XIII. Septembris, M. D. LVI, San-

San-lucari portum ingredimur, atque inde Hispalim procedimus. Ipse, simulac expeditis negotiis dimissus sum, Calicium portum peto: & onerariam nauim conscendens (Vrcam vulgò vocant) Genuámque bimestri nauigatione peruectus, & incredibili ex conspectu patriæ perfusus gaudio, breui Mediolanum peruenio.

Gratiarũ actio pia.

QVAMOBREM immēsæ atque æternùm laudandæ Maiestati Dei, potentiæq́ue eius, ac Seruatori nostro Iesu Christo, immortales gratias ago, quòd concesso mihi hoc beneficio vt res adeo nouas, támque à nobis diuersas ac remotas terras viserem, me ab innumeris periculis liberauerit: vt quoties præterita in memoriam reuoco, humanum vnum corpus tot tantísque malis tolerandis sufficere vix potuisse existimem.

1 HAEC *Belmuda seu Bermuda insula, Garza etiam alio nomine dicitur: quòd nauis, cui ea primùm apparuit, Garza vocaretur: illius verò Magister, Ioãnes Bermudez Palensis. Ad* XXXIII. *gradum in Septentrionem sita est: parua & deserta credita. Ouied. Hist. Ind. lib. 2. cap. 9.*

CANAR. DESCRIPTIONIS
ARGVMENTVM.

OMNIBVS *nauibus, quæ in Indiam Occid. cursum dirigunt, primam stationem præbent Canariæ, seu Fortunatæ insulæ,* CC. *leucarum, nonnullæ etiam* CCXL. *interuallo ab Hispania, à* XXVII. *ad* XXIX. *ab Aequinoctiali limite, in Septentrionem, gradum sitæ. Earum prisca nomina, Pluuialia, siue Ombrios, Capraria, Niuaria, Canaria, Iunonia, & eodem nomine proxima, sex tantùm veteribus cognitæ: hodie septem numerantur. Illæ post Iubæ & aliorum veterum inquisitionem, diu nostris hominibus ignotæ manserunt: donec Ioannis, secundi huius nominis, Castellæ regis, denuo, anno Domini* M.CCCCV. *aut (vt alij tradunt) Petri regis Aragoniæ, temporibus, anno* M.CCCXXXIIII. *Hispanorum nauigationibus apertæ sunt: móxque (vt hîc scribit Benzo) partim ab ipsis Hispanis, partim à Gallis, subactæ.*

*

BREVIS

BREVIS INSVLARVM QVÆ CANARIÆ APPELLANtur, & rerum in iis memorabilium, deſcriptio.

¶ Canariæ inſulæ ſeptem. Indigenæ pauci ſuperſunt. Quando & à quibus ſubactæ. Earum feracitas.

CAPVT I.

QVANDO, Deo beneiuuante, finem tandem breuis huiuſce meæ Hiſtoriæ aſſequutus ſum, operæprecium facturus mihi videor, ſi quædam de Canariis inſulis memoria non indigna contexam. Hæ ſeptem ſunt, Gran-canaria videlicet, Teneriffe, Paima, Gomera, Ferrum, ſeu Ferrea, Lanzarotta, & Forte-ventura. Eæ non magno interuallo inter ſe diſcretæ, ab ortu in occaſum, continuo verſu in ordinem porrectæ, XXVII. gradibus & dimidio ab Aequinoctiali linea abſunt: Ab Hiſpaniæ promontorio Boldori nongentis & octoginta paſſ. millibus: ab Africa LXX. Perhibetur à veteribus nōnullis ſcriptoribus Fortunatas eſſe dictas, quòd omnibus quæ vita humana deſiderat, iiſque ſponte genitis abundent.[1] Verùm Solinus multo ſecus de iis ſcribens, plu-

Canariæ, ſeu Fortunatæ inſulæ, ſeptem

rimùm iſtius fertilitatis famam eleuat.

PORRO veterum earum incolarum & indigenarum, ſtirps hodie propemodum ſublata eſt. Ego quidem vnum duntaxat in Palma inſula vidi, annos fermè LXXX. natum: cui, quòd è præcipuarum & veterum inſulæ familiarum ſtirpe eſſet, Rex Hiſpaniæ certum annuũ ſtipendium in victum dabat. Quum mihi fortè aliquando ſermo cum iſto eſſet, & ab eo mores, atque inſtituta gentis cognoſcere cuperem, numquam à vino integrum vacuúmque reperi. quippe eius potus dulcedine ſemel deguſtata, omnem voluptatem in ebrietate collocabat. Itaque ea de re nihil certi tradere poſſum, niſi fortè pauca quædam quæ vel ipſe vidi, vel ab Hiſpanis nonnullis magno natu audiui. Sed priuſquam id aggrediar, exponendum videtur quæ prima gens (vti à nõnullis ſcriptoribus proditum eſt) eas inſulas ſubegerit.

Canarij indigenæ pauci.

IN Hiſtoriis Petri Aragonię regis, eius nominis IV. traditur anno M. CCC. XXXIIII. ad eum adiiſſe nobilem quemdam Hiſpanũ (Ludouico Cerdæ nomen erat) virum bellicarum rerum artiúmque peritiſſimum, qui quòd ei adhuc omnia incepta proſperè proueniſſent, arroganter Principem Fortunæ, ſibimetipſe cognomen fecerat. Is à Regę, vt eius autoritate atque auſpiciis Canarias inſulas ſubigere liceat, ſimúlque auxilium petit: móxque impetratis ab eo pecuniis ad celoces duas armandas, claſſe inſtructa è Calicio portu ſoluit.

A quibus primùm ſubactæ Canariæ.

Breui

Breui Gomeram tenet, ac centum & viginti milites in litus exponit. Sed vix egreſſos, Inſulani feroces animis acriter impetu facto repellunt: maxima pars cæſi: ceteri trepida fuga compulſi ad naues partim eò nantes, alii ſcaphis raptim conſcenſis euaſere: ac cum ſuo duce, qui Principatum Fortunæ ſe amiſiſſe ſerò tandem agnoſcebat, ſpe irrita mæſti in Hiſpaniam reuertuntur.

TRADVNT nonnulli miſſas è maiore Baleari naues aliquot ad ſubigendas eas inſulas: ſed omnia fœdè atq; improſperè eueniſſe. Proditum eſt ab aliis, anno M. CCC. XCIII. Hiſpalenſes & Cantabros aliquot naues militibus, equis & commeatu ad eam expeditionem inſtruxiſſe. Hi, quum claſſe perarmata ad Lanzarottam appuliſſent, exſcenſúque ad terram facto expedito agmine ad pugnam procederent, ne indigenas quidem incautos & ſolutos oppreſſere. Itaque multis horis acriter vtrimque pugnatum: tandem victores Hiſpani, plurimis hoſtium cæſis, multis captis, præda & ſpoliis onuſti in Hiſpaniam reuertere.

ALII eius rei gloriam Gallo tribuunt, Nobilem videlicet quemdam Gallum,[2] Ventacurtium nomine, cõtractis ex caſtelli cuiuſdam ſui pretio pecuniis claſſem tantæ expeditioni parem armaſſe, primúmque eas inſulas cœpiſſe ſubigere. Is enim quũ ad Gran-canariæ orã naues applicuiſſet, atq; indigenę egredientem in litus vim aduenarũ conſpexiſſent,

Ventacurtius Gallus Canarias tentat.

id protinus Baianori insulæ regulo renunciant. Is tristi accepto nuncio, haud cunctanter concitis popularibus quâtam potest multitudinem colligit: móxque omnes è vicinis collibus ac tumulis ad littus descendentes ferociter in hostem incurrunt. Ac Galli quidem primo furentium Barbarorum impetu pulsi ac perterriti, ingens damum accepere. Sed mox confirmatis animis effusè concitant equos, & multa cæde hostium inuecti, turbatos in fugam vertunt. Baianor prælio superatus, simulatque ex fuga sese recepit, statim ad ducem Gallum legatos de pace mittit. Qua benigenè data, Ventacurtius, Reguli huius consensu arcem in insula coctili latere ædificat, eámque quinquaginta militum præsidio munit.

EXINDE cum reliquis suorum ceteras insulas ordine prælegens, Palmam aggreditur, qua paruo negotio subacta, breui quoque Gomeram in potestatem redigit. Has tres insulas ita perdomitas Alphonso comiti Nebulensi Hispano, magno pretio vendit, qui mox ceteras ditioni suæ adiecit. Ex quibus apparet iam multis abhinc annis has insulas Hispaniæ regno subiectas esse.

IAM quod ad mores eius gentis attinet & fertilitatem terrę, quę vel ipse vidi, vel ab aliis audiui (vti superius sum pollicitus) ea paucis exsequar. Primùm ergo earum insularum maxima (Gran-canariam Hispani appellant) rotunda propemodum specie, CXXX. circiter milium pass. ambitu, vrbem in planicie modica

Gran-canariæ descriptio.

dica ſitam haud procul mari Oriẽtem verſus, habet: quæ quum ibi eſſem quadringentis circiter domibus habitabatur. Ibi Gubernatores & præfecti tum ſeculares, vt vocant, tum Eccleſiaſtici, manent. Nullus ante vrbem portus ſed duobus ab ea millibus paſſ. Septentrionẽ verſus, prope exiguum montem ſtatio quædam eſt. Ibi naues ancoras iaciunt: quibus ſcilicet tutandis vicino in littore Hiſpani modicam arcem excitarunt: vbi tum tormenta quatuor ferrea erant, eáque ſitu ac rubigine obducta. Ac ſæpenumero equidem demiratus ſum, quum Galli eodem ipſo in littore naues aliquot ceperint, ſatis validum ad impetus hoſtiles arcendos propugnaculum ab Hiſpanis non exſtructum eſſe.

In ea inſula magna fit ſacchari copia, plurimíque propterea mercatores eò negotiandi cauſa cõmeant, maximè Genuenſes. Omnes arbores ex Hiſpania eò tranſlatæ, facilè, præter oleam, comprehenderunt. Ea quæ Palma dicitur fructuum vbertate, maximè vini, imprimis inſignis eſt. Itaque tantum ex illis vitibus prouenit, vt non inſulis modò vicinis vina ſuppeditent, ſed etiam dent quæ nauibus in Indiam, in Flandriam & Angliam portentur. Caprarum etiã & ouium greges eæ inſulæ habent, ex quarum lacte caſeum ingẽti copia faciũt: cuniculorum verò vim propè innumeram. De ceteris, Teneriffe quoque & ipſa rebus ad victum neceſſariis abũdat: ſed tres illæ priores palmam obtinent: reliquæ, vt exiguæ, inopes, & ignobiles ſpernuntur.

Palmæ inſulæ. deſcriptio.

1 POMPONIVS *Mela lib. 3. ca. 11. ita de ijs scribit. Fortunatæ insulæ abundant sua sponte genitis, & subinde alijs super alijs innascentibus nihil solicitos alunt, beatius quàm aliæ vrbes excultæ. Idem propè Plutarchus in Sertorio. Solinus contrà cap. 20. De harum nominibus (inquit) exspectari magnum mirum reor, sed intra famam vocabuli res est, &c. Idque multò quàm alij verius.*

2 *Ioannes Betancurtius, nobilis Gallus, Robini Bracamontij, Franciæ, Almirantis, cognati sui gratia & interuentu, Anno* M. CCCCXVII. *eas insulas subigendi facultatem suis auspiciis & Regio titulo, à Rege Castellæ obtinuit. Itaque venditis quæcumque in Gallia possidebat, classem armat & Gallos admistis Hispanis, ducens, in Canarias expeditionem suscepit. Habebat in comitatu monachum, Mendum nomine, qui, Martini* v. *Pontificis iussu, Barbaros Ethnicis superstitionibus deditos ad Christianismum verteret, & Episcopi titulo illis præesset. Betancurtius Lanzarottam, Forte-venturam, Gomeram, Ferrum & Palmam paruo labore in potestatem redigit. Gran canaria potiri non potuit,* x. *millium armatorum exercitu Barbaris insulam propugnantibus. Inde eiectus in Lanzarottam se recipit: atque inde, exstructo latericio vel lapideo castello, subactas insulas regere & colonijs occupare instituit. Mox etiam, varijs mercibus, quas ab eo acceptas Hispanæ & Gallicæ naues exportabant, putà mancipiis, melle, cera, corijs bubulis & hircinis, sebo, ficubus, aliisque, pecuniarum vim ingentem facere: donec multi fama opum quibus eæ insulæ abundarent exciti,*

ad ceteras subigendas confluerent. Ceterùm Betancurtius quatuor insularum imperium Menaldo, consanguineo cuidam suo, moriens reliquit. Posthæc, iurgio fortè inter hunc & Mendium Episcopum orto: Mendius aduersa multa de impotenti eius in Barbaros dominatu ad Regem Castellæ scribit. itaque cupere eos in Regis fide, ac ditione esse. Rex trium nauium classem eò mittit, Petro Barba duce. Is diues & cautus, vim etiam adhibiturus si opus esset, Menaldo facilè, vt eas sibi vendat, persuadet. Eas postea ipse Ferdinando Perazæ, Hispalensi equiti, vendidit: aut, vt alij tradunt, Alphonso comiti Nebulensi, qui eas aliis ditionibus cum Peraza permutauit. Peraza quidem, quocunque modo iis potitus, Regium nomen primus asciuit. Gom. Hist. gen. lib. 5. cap. 222.

¶ *Miraculum arboris in insula Ferro. Canariensium mores. Teneriffes insulæ mons.*

CAP. II.

RES poscere hîc videtur, vt priusquam hunc de Canariis sermonem absoluam, memorandæ Arboris miraculum referam. In insula Ferro est: perẽnes aquas è foliis exsudans stillánsque & quidem tanta copia vt non incolis modò, sed etiã multo pluribus sufficere possit. Ea arbor mediocri magnitudine, nucis iuglandis folio,

Arbor perennes aquas exsudans.

quamquam paulo maiore, muro circumlapideo ſepta, inſtar fontis, eſt: & eo cratere defluens aqua ſuſcipitur. Arcanum equidem naturæ mirabile: non reperiri tota inſula vllam aquam præter eam quæ ex illa arbore manat. Porro arborem perpetua ac denſa nebula circumueſtit: quæ tamen interdiu vbi ſolis æſtus flagrare incipit, paulatim diſcuti ac reſolui videtur.

PRINCIPIO, Hiſpanos eam inſulam ſubigere aggreſſos, quum neque fontes, nec puteos, nec flumina inuenirent, ingens admiratio, ſtupórque inceſſerat. Quúmque ab indigenis ſciſcitando exſequerentur, vnde aquam ſibi pararent: illi pluuialem aquam in vaſis collectam, reponere ad neceſſarios vſus ſe reſpondebant: arbore nimirum priùs arundinibus, terra al íſque integumentis operta. quippe ita rati Hiſpanos, vbi aquam non reperiſſent, ex omni inſula exceſſuros. Sed parum aſtus profuit. Nam inſulana mulier Hiſpano cuidam, quicum familiaris ei conſuetudo interceſſerat, arborem & arcanam vim eius aperuit: protinúſque ille Hiſpanorum duci. At dux, qui rem tam inuſitatam pro fabula duceret, riſu temperare non potuit: mox tamen detecta arbore & rei certitudine comperta, omnes rei tam nouæ miraculo defixi obſtupuere. Neque mulier indicium impune tulit, ſiquidem primores inſulæ proditum ab ea arcanum quum cognouiſſent, breui necem ei clanculum intulere.

Arborem illam mulier Hiſpanis prodit.

CE-

CETERVM hi ferè Canarienses quondam idololatræ erant. Caprarum pellibus, quibus abundabant, amiciebantur: neque alias domus, quàm subterraneos specus norant, eósque ferè ad radices montium aut sub collibus positos. Quum nullum haberent animal præter capras, quæ nostris multo grãdiores sunt, iis vice boum ad colendos agros vtebantur, & earum cornibus terram velut bipaliis fodiebant. Milium illis pro omni fruge erat, ex quo duorum lapidum attritu commolito panem faciebant, ab ipsis *Gofio* appellatum. Vinum è palmis, vt Æthiopes, moliebantur. Colore cutis prorsus tali sunt quali errones illi quos vulgò Ægyptios vocãt. Earum insularum cælum calidius quàm frigidius est, etiamsi Tenerife montem erigat (2 *Picum Teydæ* vulgò vocant) totius propè anni spatio opertum fidúmque niuibus. Quod quidẽ primum signum à mercatoribus ad eas insulas nauigantibus eminus conspicitur.

Canariensium mores & cultus.

Canar. panis.

Tenerifes mons.

1 VVLGO *creditur ea esse, quam Plinius & Solinus Ombrion, seu Pluuialiam vocãt: sic dictam quòd nulla in ea esset aqua nisi ex imbribus. De qua hæc Plinij verba sunt lib. 6. cap. 32. Iuba de Fortunatis ita inquisiuit: Primã vocari Ombrion, nullis ædificiorum vestigijs: habere in mõtibus stagnum: arbores similes ferulæ, ex quibus aqua exprimatur: ex nigris amara, ex candidioribus potui iucunda. Hactenus ille. Quæ quidem non videntur admodum discrepare de ijs quæ de ea Insula ab Hispanis explorata sunt. Quamquam illi nullo*

ibi nec ſtagno, nec lacu, nec fluuio, nec fonte inuento, ſolam eam ſalubrem & potui aptam aquam ex mirabili ea arbore ſtillantem compererint: & quidem tanta copia, vt non Inſulanis modò eorúmque armentis, ſed etiam nauibus eò fortè ad aquandum appellentibus ſufficiat.

2 *Mons hic in tantam altitudinem editus eſt, vt* XV. *fermè leucas ab imo ad ſummum verticem colligēs, inde ab ducentorum quinquaginta milliarium Hiſpanicorum interuallo eminus conſpiciatur. Eius ima ſiluæ & viridantia paſcua veſtiunt: media niues occupant: vertex nudus & ſterilis fumos plerumque exhalat. Vulgò Galli nautæ eum* Le pic de Tanariffle, *appellant. Ceterum Teneriffe ea creditur eſſe, quæ à veteribus Niuaria dicitur.*

DE

DE GALLORVM Expeditione in Floridam, & clade ab Hispanis non minus iniustè quàm immaniter ipsis illata, Anno 1565, Breuis Historia.

Cui adiunctum est,

Supplicis libelli & querelæ, à viduis, liberis, cognatis & amicis Gallorum, ab Hispanis in Florida contra fas ac fidem cæsorum, ad Carolum IX. Galliæ regem delatæ, exemplum.

ESAIAE CAP. XXVI.

Ecce Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem incolæ terræ contra eum: & reuelabit terra sanguinem suum, nec operiet vltra interfectos suos.

ARGVMENTVM.

HVNC libellũ superioribus Benzonis libris adiunximus, tũ quia eiusdem penè argumenti est, quum & rei in iisdẽ illis terris gestæ historiã, & Hispanicæ seuitiæ insigne exemplum contineat: tum vt Hispanis ipsis speciosam illam laruam excuteremus, qua vulgò vti solent. Non mirum esse videlicet, se aduersus Barbaros & Anthropophagos homines nihil humani præter speciem oris habentes, quorum immanitatem frustra per benignitatẽ & modestiã effugeris, sæuitia sæpius quàm clementia esse vsos. Nam quid hîc simile adferent? Expeditionem in Floridã suscipiunt Galli, ídque Regis sui iussu: neque in alienam possessionem violenter irrunt. Etsi enim nullo iure Hispani latissimas illas in Occidẽte tũ Insulas tũ Indicæ continentis prouincias, nisi fortè vmbratili Pontificis donatione, cuius ea non sunt, possident: ab illis tamen Galli, velut iusto titulo possessis, nõ vim duntaxat sed appulsum quoque abstinent: & iam Hispanis visam quidem, nullis tamen adhuc Hispanicis coloniis insessam oram, velut vacuam, occupant. Hîc Hispani non contẽti vi ex iis litoribus arcere Gallos, vt pedem in sua inferentes: non in armatos tantùm, in quos par periculum & ardor certaminis irritat, sed imbellem quoque inermémque in turbam pueros & feminas plusquam beluina sæuitia debacchati sunt. Et hoc quidem per me occultum sepultúmque maneret, nisi Hispani plura atque atrociora & pridem & hodie in Belgio perpetrarent, quàm quæ apud Indos vnquam edidere.

DE GALLORVM EXPEDITIONE IN Floridam, eiúsque miserabili exitu, Breuis Historia.

A quo primùm reperta & numcupata sit Florida. Ioannis Pontij, Ferdin. Sotti & Hispanorum monachorum infelices in eam expeditiones.

CAP. I.

QVAM inclementer & parum humanè Hispani victorias pacémque aduersum Indos Occidentales exercuerint, superiores libri abundè docuere: nunc verò etiam quomodo Gallos in Florida acceperint, breui narratu exsequar. Sed ante omnia quæ regio sit Florida, vbi sita, à quo primùm reperta & tentata, exponendum est.

NON procul Hispaniola Boriquena insula est, quam hodie S. Ioannis de Portu diuite appellant. Eius primus occupator ac Gubernator Ioannes Pontius Legionensis, pro certo habens fore vt ab Didaco Almirante & prorege Indiæ, magni illius Christophori Columbi filio, æmulantium calumniis accenso,

Floridæ situs, & quãdo primùm inuenta sit.

prouincia demoueretur, cedere inimicis ſtatuit, & nouas ſedes quærere. Itaque anno M.D.XII. celocibus duabus armatis, flexo in Septentriones curſu altum tenens, tamdiu nauigat, quoad aliquantum progreſſo Biminiæ inſulæ ſeſe aperuere: quæ ad Septemtrionẽ Cubæ inſulæ iacent.

Fons fabuloſus.

EODEM tempore de prodigioſo quodam fonte fama increbuerat, cuius aquis epotis ſenes, exuta canicie, in iuuẽtam reuireſcerent: neque eam fabulam cupidiùs ſparſerant Indi, quàm crediderant noſtri. Eam famam ſequutus Pontius, dum circa eas inſulas, fontem illũ fabuloſum quærens, ſeneſcit potiùs quàm repubeſcit, ſex amplius mẽſes irrito errore abſumit. Tandem tamen diu vagatus nouam Indicę continentis oram detegit, eámque partẽ ad quã fortè ipſo Reſurrectionis die appulerat (quẽ vulgò Paſcha floridũ appellãt) velut è re nata ſumto nomine, Floridam ipſe nuncupat. Id terræ prominens, linguæ aut manicę inſtar, ſe ingenti fronte in altum euehens, centum leucas in longitudinem quinquaginta circiter in latitudinem, patet. Eius extremum cornu ab Æquinoctiali linea, Septemtrionem verſus, gradus XXV. diſtat: móxque extendi ac dilatari incipit, quâ in mediam inter aquilonem & exortum æquinoctialem regionem verſa eſt.

Floridæ numcupatio.

EX ea noua terra reperta ingentes ſibi diuitias deſpondens Pontius, breui ad S. Ioannis inſulam regreſſus, mox inde Hiſpaniam petit. Ibi à Rege Catholico expoſitis quæ inuenerat,

uenerat, non magis meritorũ reſpectu quàm amicorum gratia, Biminenſem & Floridenſem præfecturam, Adelantadi titulo, obtinet. His auctus, in Boriquenam reuertitur: coloniæque in ſuam prouinciam deducendæ certus, milites ſcribit, claſſem comparat, multóſq; in eas res ſumtus facit. Sed vix in Floridę littus egreſſus, vrbe condendæ ſedes quęrebat quum Barbari claſſe conſpecta accurrunt, expediunt arcus & nimbo ſagittarum Hiſpanos obruunt. Pontius ipſe in turba, venenata ſagitta grauiter ictus, prælio excedere coactus eſt. Inde Cubam auectus, paulo pòſt ex vulnere moritur. Neque ipſe tantùm, ſed multi quoque Hiſpani qui eius auſpicia ad eam expeditionem ſequuti fuerant, partim Indorum telis confixi, partim morbis & miſeriis abſumti ſunt. Ita iam tum Florida inauſpicatò tentata, inuentoris ſui cæde nobilitata eſt.

Põtius Floridam infeliciter tentat.

Ex eo quum ob truces & bellicoſos incolas vulgò infeſta atque infamis haberetur, per diu intacta mãſit. Donec tandem multis pòſt annis Ferdinandus Sottus trib. mil. Attabalibæ Peruani regis ſpoliis diues, & ex iam partis maiora concupiſcens, eius prouinciæ ſubigendæ adminiſtrandæque poteſtatem à Cæſare petiit. Qua impetrata, cum multis Hiſpanis Floridam iniit: & omiſſo condendæ coloniæ cura, in mediterranea progreditur. Inde incertis huc atq; illuc errans ſedibus vexare indigenas, & vni parandi auri curæ intẽtus, metalli eius fodinas quærere paſsim inſtitit.

Ferd. Sotti in Floridã expeditio. de qua ſup lib. 2. cap. 13.

Parem videlicet vbique esse terrarum felicitatem, qualẽ in Peruana prouincia nactus erat, credens, aureos ibi montes opinionis errore finxerat. Ad extremum, quum non tantùm Barbaros omni tormentorum genere, sed semetipsum quoque & socios cæca auri cupidine & irrito labore totos quinque annos fatigasset, & suorum spem ipse, & eum vita, destituit.

SED ne tristi quidem Sotti exemplo ceteri à simili incepto deterriti sunt. Siquidẽ anno M.D.XLIIII. Floridæ in ditionem redigendæ multi decus petiere. In iis Iulianus Samanus & Petrus Ahumada. Verùm neque Carolo Cæsari, qui tum in Germania erat, neque Philippo filio eius, qui præsens Hispaniam imperio regebat, ex Indici senatus consilio, mittere quemquam in eam prouinciam cum imperio placuit.

Gom. Hist. gener. lib. 2. cap. 45.

ERANT tum fortè in Hispania Dominicani qui foroces illas gẽtes verbis magis cicurandas quàm malo & armis exasperandas esse dicerent, quíque se eas tum ad Christianam fidem, tum ad Cæsaris imperium accipiendũ sola oratione adducturos profiterẽtur. Neque id facilius dictum quàm creditũ. Itaque anno M.D.XLIX. auspiciis & sumtibus Cæsaris mittũtur eò monachi F. Ludouicus Cancellus de Baluastro Dominicanus & quatuor eiusdem ordinis.

APPELLVNT, exeunt de naui. F. Ludouicus cum collegis & nautæ aliquot inermes (neque enim doctrinam pacis præ se ferentes

arma

arma oſtendere par erat.) Illis cõſpectis, protinus Indi nõ ad concionẽ, ſed ad cædem aduolant. Mulcere alloquio Barbaros conabatur concionabundus monachus: ſed verba fiebant apud ſurdos. Ergo nequicquam vociferãtem inuadunt, & cum duobus collegis trucidant: ceteri quum fortè Confeſſorum laudem inter ſuos quàm martyrij palmam apud Barbaros conſequi mallent, proripiunt ſeſe in fugam & nauim repetunt.

Dominicani in Florida à Barbaris trucidantur.

AT Barbari (ſicut poſtea ex adoleſcente quodam, Ferdinandi Sotti olim pediſequo, auditum eſt) in lætitiam atque epulas verſi ſaginatis monachorum carnibus opiparè veſcũtur, & detractas corporibus pelles, cutim etiã capitum in orbem attonſam, ferale tropæum, in delubro ſuo ſuſpendunt.

HAEC igitur Florida eſt, de qua acturi ſumus, inter ceteras Indiæ prouincias multis Hiſpanorum cladibus notiſſima: nũc verò etiam (vt ex ſequenti Hiſtoria patebit) Gallorum.

QVAE ſequuntur, propè vſque ad finem, ex breui Gallicè ſcripta Hiſtoria ſumſimus, cui præfixa epiſtola Nicolai cuiuſdam Challuſii Diepenſis nomen præfert: qui è Florida regreſſus, ſuos & ſociorum caſus memoriæ prodidit. Hunc ergo potius quàm nos, quæ cum aliis viderit & perpeſſus ſit, vt in Gallico illo ſcripto, loquentem induximus.

¶ Rex Galliæ classem in Floridam mittit, cui Ioannem Ribaldum legatum præficit. Prospera de Florida fama sparsa multos ad eam expeditionem inuitat. Apparatus classis Diepæ fit. Multi metu inceptum deserunt. Retracti à fuga imponuntur in naues. Galli ab Anglis comiter accipiuntur.

CAPVT II.

Rex Galliæ in Floridã classem mittit

PAVLO ante ciuiles Galliæ tumultus, Rex ex Principum & consilij sui sententia decreuerat in eam Indiæ oram, quę Florida appellatur, nuperrimè à Gallis animaduersam & cognitam, multarum nauium classem cum non spernenda manu mittere. Itaque composito primo ciuili Galliæ bello, pacéque regio Edicto sancita, intermissa eius incepti mẽtio reuocata est. Móxque in eius rei effectum Ioannes Ribaldus, vir magni animi consiliíque & longo rerum maritimarum vsu peritissimus, in aulam à Rege accitus milites scribere, & septem naues viris commeatibúsque instruere regiis auspiciis iubetur, eíque ipse classi, Legati regij titulo, præficitur. Mandatum disertè erat vt recto cursu in Floridam nauigans, ab omnibus Hispanorũ littoribus atque insulis, quæcumque in ditione Regis Hispaniæ essent, vim atque egressum abstineret.

VVLGATA protinus eius expeditionis fama, multos vt illo Prætore & regiis auspi-

ciis

ciis ire vellent,& ſe ei claſsi adiungerent, perpulit:ſed propriæ quemque cauſæ & varii affectus trahebant. Alios cognoſcendi orbis cupido accendebat, à qua nemo vmquam ingenuus abhorruit. quippe nauigationẽ plurimùm ad id ſtudium conferre. Alii recenti à bello adhuc calentes, nauigandi ſubire moleſtias quàm conflictari prioris vitæ ſordibus & ingrato labori malebant.

Fama de Florida, multa vana veris affingit.

SED inprimis ſtimulabat omnes ſecundus de Florida rumor per Galliam diſperſus. Ei videlicet terræ omnium rerum, quibuſcumque vita carere non debeat, copia abundanti, mitiſsimam etiam, vitalis ac perennis ſalubritatis, cæli temperiem eſſe conceſſam. Quippe neque infeſto rigore ac gelu Septemtrionis premi, neque nimio ſolis æſtu exuri: ſed ſalubri vtrimque mixtura, iniuſſos etiam agros ſponte natis frugibus incolas alere. Quòd ſi excolere etiam liberet, hominibus tantùm gnauis atque induſtriis opus eſſe, qui natiuam ſoli eius vbertatem in humanos vſus labore & cultu elicerent.ita optimam terrarum fore.

Ipſam ab Auſtro in Septemtriones propè pari cum Europa longitudine porrectam, latitudine etiam XXIII. ferè gradus amplecti. quúmque ſolis percuſſa radiis plurimum genitalis caloris concipiat: eo tamen ita tẽperato vti non tantùm rore ac frigore nocturno,ſed lætis quoque ac mollibus pluuiis, vt è pingui ceſpite magnam vim herbidi graminis

mirandam in altitudinem crescentis sua spōte tellus effundat. Adhæc auri omniúmque animalium diuitiæ, spaciosæ planicies, aprici colles montésque clementer editi: mira amniū fontiúmque amœnitas, varietásq; arborū gummi nobile & odoriferos succos exsudantium, prospera fama pasim celebrabantur.

Apparatus Gallicæ classis Diepæ fit.

ERGO talibus pollicitis multi inuitati, plerique etiam auara ditescendi spe, diuersis è partibus Diepam confluebant. Eo loco lustrari multitudinem conuenientium atque inspici oportebat, vt ex omni numero, quos maximè ad eam expeditionem idoneos iudicasset, Regius legatus legeret. Segnius tamen quàm pro nonnullorum studio tota res administrata & perfecta est: eorū maximè qui milites domi suæ exceperant, indignantium tam diu ignauos & immunes homines suis sumtibus ali, etiamsi spe precii & splēdidis promissis lactarentur.

QVATVOR menses & amplius otiosè inambulantes in ea vrbe consumserunt: donec tandem fide data se Regi strenuā fidelémque operam nauaturos, in verba legati iurauere: simúlque vt sacramento obligati fuerant, stipendium in sex menses accipiunt: cuius rei mox Prætorem ipsum pœnituit. Quippe ineunte Maio, Anno M.D.LXV. quum naues cōscēdentium numerum recognosci oporteret, multi eorum etiam qui stipendium acceperant, siue longitudine itineris, seu formidabili barbari elementi specie perterriti, mutato repentè proposito, clanculum se subducunt. Ei

deser-

desertioni vt maturè obuiam iretur, ne latiùs exemplum serperet, conquisiti desertores atque à fuga retracti, seuerè eodem ipso momẽto naues conscendere iubentur. Id.x.die Maij factum est: nos tantisperdum pecorum & farinæ commeatus in naues in salo stantes imponitur, in ea statione vsque ad XXII. diem eiusdem mensis hæsimus. Multitudo eorum qui conscenderant, in quibus aliquot cum familiis suis opifices, trecentorum numerum efficiebat.

QVVM ibi commodum & imperium Legati regii simúlque secundũ ventũ expectaremus, XXII. eius mensis venti repentè vehemẽtes vtrimque ingruunt. Inde inhorrescẽs mare, & concitati ex alto fluctus ictúque contrario inter se horribilem in modum arietantes, nautas quoque ipsos turbauerant. Ergo trepidi & ancipiti malo attoniti nihil opis inuenere, nisi vt incisis ancoralibus, amissis ancoris, nos ventorum arbitrio permitterent. Vehementissimus omnium Aparctias erat: is tãto impetu vela nostra ex alto percussit, vt protinus ad Portum-gratiæ (vulgò *Haure-de grace*, Normaniæ portus est) volantibus similes deferremur. Ibi triduum morati, quoad missus à nobis Dieppam myoparo, nuncia inde referret, ab ea statione XXVI. eius mensis soluimus.

QVVM rectà in Floridam cursum corripere cogitaremus, aduerso protinus vento repulsi ad insulam, cui *Vvich* nomen, Anglicæ ditionis, deferimur. Ibi Angli de nostræ

Expeditionis consilio cognoscere quum voluissent, postquam intellexere, se suáque nobis iuuandis benignè obtulerunt. Ibi à XXVIII. eius mensis ad XIIII. Iunii quum naues in ancoris stetissent, ea ipsa die aspirante Aquilone secundo, sublatis velis rectum in Floridam cursum capessimus, quam velut nouam Franciam appetebamus.

Lucasia magna, vna ex Lucaiis insulis.

TOTOS duos menses Oceanum sulcauimus, priusquam Floridæ oram vllam aut vicinam aliquam ei terram in conspectu haberemus, præterquam Antiliarum vnã (quam indigenæ *Vocaiouques*, Galli Magnam-lucasiam vocant: nostrûm aliquibus eam Catharinam, Regis ipsius matris nomine, numcupare placuit) Eam XXVII. gradibus ab Æquinoctiali circulo in Septemtrionem distare ferunt. Ducentis etiam ab ea leucis in alto nauim quandam animaduertimus, sed ad quam non propiùs quàm quinque aut sex millibus pass. accessimus.

¶ Gallica classis in Floridam appellit. Floridensium cultus, mores, cibi, fruges, potus. Crocodili & Alatæ serpentes. Florid. religio.

CAP. III.

TANDEM

TANDEM XIIII. Augusti Floridæ litora nobis sese aperuere, mox igne, quod Indi nobis signum dabāt, eminus conspecto, phaselum ad explorandum terræ accessum mittimus. Is fluuium quendam exiguum speculatus, ostium ipsius inuehitur. Accurrentes ad litus aliquot Barbari nummos mercibus nostris permutant. Eam autem pecuniam sibi partam aiebant ex naui quadam quæ ab Antiliis reuertens carinam ibi vadis fixerat. Repertum quoque in eo litore Hispanum vnum, qui è naufragio ante viginti annos ibi facto euaserat, in nauim accepimus. Mox sciscitati ex eo, ecquid de Gallis audiuisset & vbi sedes haberent: docemur: Nihil scire ipsum ea de re, nisi quod ab ipsis Barbaris didicisset: Gallos videlicet quinquaginta leucis Septentrionem propius quàm quò appulissemus, consedisse.

Hispanus naufragus à Gallis excipitur.

ERGO inde retro oram præteruecti (quæ nobis depressa, & solo arenoso arbusculis cōsita: leni etiam neque admodum profundo æstu, qui ab Occasu brumali adlabitur, inundari visa est) medio fermè cursu flumen detegimus, quem Maij fluuiū nostri antè numcupauerant, vbi æstus quoque, ab Occasu solstitiali affluentes, modicè intumescunt: ac propter tenuitatem aquę sidentes in vadis ancoræ facillimè conspici possunt. Sex quidem aut octo à litore millibus pass. non profundiorem quàm sex aut septem vlnas aquæ altitudinē comperimus. In aliud præterea flumen nos incurrisse memini, inter Maium & Ayum

Maij fluuius.

fluuios, à Maio Septemtrionem versus quatuor millibus pass. distans: ad cuius os singulis noctibus iactis in profundum ancoris, octo aut nouem vlnas altitudinis arenámque interdum in fundo, nonnumquam calculosam terram, aliquando permistum limo vliginoso sabulum, reperiebamus. Fluuij quoque qui Delphinorum dicitur, iacta bolide altitudinem explorantes, duarum vlnarum esse in aluei faucibus cognouimus: quamquam ibi æstus quatuor super cubitis intumescit.

Delphinorum fluuius.

POST hęc commodum aliquem egressum in ea ora speculati, XXVII. Augusti in statione Maio flumini obiecta, quatuor à litore millibus pass. ancoras ad VII. aquæ altitudinis vlnas iacimus. Vigesima nona die eius mensis tribus minoribus nauigiis flumine aduerso subeuntes, rectà ad Carlinæ Castellũ tendimus. Id propugnaculum nostri paulo antè, vt perfugio ac præsidio Gallis eò appulsis esset, exstruxerant, satis commodo atque opportuno situ. quippe hinc alluente fluuio: ab altera parte vicina silua, campóque inter siluam & munimentum interiecto, cui amœnus collis imminet, quem densa altáque gramina omni ex parte vestiunt. Semita tantùm vna adibatur silua, vnius passus latitudine, vix singulis peruia: quam nostri aperuerant vt ad fontem qui in nemore erat, commearent. Postquam ad eum locum peruenimus, Prætor noster exportari è nauibus cibaria ceterósque commeatus ad recreandum præsidium iubet, nósque opifices cum fœminis ac pueris eò cõcedere:

Carlinæ castellum Caroli IX. nomine numcupatum.

dere:

dere: negotio dato nobilibus viris Vllio, Bellocairo, & aliis vt nos eò educerent, quibus etiam rerum quas in impedimentis preciosissimas habebat, custodiam commisit. Ceterum eos, qui in Castello erant non mediocri lætitia aduentus noster affecit. quippe anxios mæstósque, quòd iamdiu nihil è Gallia audirent. Onerabat dolorem, quòd alimenta etiam defecerant, nisi fortè indigenarum, agrestium & barbarorum hominum, ritu viuere vellent: à quibus etiam nihil, nisi vi & rapto extorquere poterant, sicuti suo loco fusiùs dicemus.

Floridensium indigenarũ habitus & cultus.

SIMVLAC nobis quies concessa est, indigenarum speciem contemplari cœpi, quæ mihi satis liberalis & humana visa est. Quippe viris rectus & quadratus corporis habitus: natiuus cutis colos in rubedinem vergit. Regulos esse illis & singulis pręesse pagis accepi: corpus distinctum coloribus & maculis varium gerere, pro ornamento habent. Nullo vestitu, nec magis viri quàm fœminæ, coluntur: nisi quòd illæ peplo aut plagula ex Ciofi alteriúsve animalis pelle, quam nodus astringit, extremis fasciæ tęniis in sinistrum femur pendentibus, muliebria operiunt. Ceterum plena rotundáque oris specie, nec simi neque chilones sunt: truces vigentésque oculi, promissa cæsaries, quam & concinnè circa caput colligunt: ita innexis comis, quoties bella ineunt, pharetræ illis vicem præbentibus. quippe ibi sagittas condunt, quibus mirum est, quàm procul, quámque certo ictu, destinata feriant.

Ciof, animal Florid.

Floridensiũ mores.

QVOD ad mores attinet, fœdi & flagitiosi sunt: liberos suos, neque vlla domestica erudiunt disciplina, nec coercent: nec rapere, nec pro suo vti quod rapuere, ipsis religio vlla est. Attamen sua cuique vxor & seuera illic matrimonia sunt. Bella aduersus finitimas gentes, sed sermone dissonas, gerunt: tela illis præcipua, arcus & sagittæ. Domus ferè rotundæ vt columbaria nostratia, robustis impositæ arboribus & palmarum foliis contectæ, nec vẽtos, nec tempestates metuunt. Infestis tamen vexãtur culicibus, quos ipsi *Maringones* vocant: neque alia ope quàm crebro igni, maximè sub cubilibus accenso, ab eiuscemodi pestibus se liberant. Acriter ea insecta pungere referunt, & corporis partem morsu ab iis appetitam in lepræ speciem verti. Nihil ferè preciosius aut elegantius ducunt, quàm versicolores auium pennas: pretium etiã apud illos calculis, quos ex piscium ossibus faciunt, & rubris quibusdam ac viridibus lapillis.

CIBI eorum, radices, fructus, herbæ & varii generis pisces. Pinguissimo pisce vtuntur, quem exenteratum fumo durant: patria lingua *Bauquaué* nominant: cuius exemto adipe pro butyro aut alio liquamine vtuntur. Frugum nostrarum nihil habent, sed Milij quoddam genus summa copia, quod in septenûm pedum altitudinem crescens, culmo arundineo, granum pisi crassitudine, spicam seu paniculam pedali longitudine fundit, recentis ceræ colore. Cuiusmodi omnes ferè tum insularum, tum continentis Indiæ Occidentalis

Floridensiũ fruges.

dentalis indigenæ vtuntur, & vulgò *Maiz* vocant in Hispaniola: Brasilienses verò *Auati*. Quum eo vesci libet, primùm tritum in farinam soluunt, mox eo diluto mistóque *Migan* suum (vt ipsi vocant) informant: id oryzę nostræ speciem refert. Protinus corrumpitur. itaque quamrecentissimum edi oportet. Siluestres labruscas magna copia ea tellus alit, quæ, vt multis Galliæ locis videre est, amplexu arborum innixæ sursum reptant: sed cultu mitescere, vinúmque reddere ab incolis non docentur, neque eius rei vsum ipsi norunt. Potum ex multiplici herbarum succo, ipsi sibi moliuntur: *Cassinet* appellant: Ceruisiæ fermè colorem refert, ac ne mihi quidem ipsi bibenti admodum abhorrenti gustu visus est.

Labruscæ apud Floridenses.

Floriden. sium potus.

REGIO mihi montosa ac siluosa visa est: inde ingens ferarum copia, quarum sæuitiæ ipsi indigenæ, nisi acri custodia semet sepiant, obnoxios sæpe se esse memorant. Iam mira multa de animalibus quæ ibi esse auditu tantùm accepi, consultò prætereo. Ea exsequi satis habeo quæ mihi visu comperta, & quæ nunc memoriæ prodantur, satis digna iudico. Crocodilos in primis plures vasto hiatu ex arenis prædam captantes vidimus: in iis mortuum vnum, cuius caro tenera & candida, mihi sociísque vescentibus vitulinæ gustum referre visa est. Is tormentuli globo duas inter squamas adacto, cæsus fuerat: alioquin cute contra omnes ictus inuicta.

Crocodili Florid.

Ore vasto hic erat, maxillis horribilem in modum inuersis, pectinatim stipante se dentium serie: hiatu quidem adeo patenti, vt solidam iuuencam vorare posse videretur. Ceterum XII, aut XIII. pedes longus, breuiora crura quàm pro cetera corporis proportione habebat, vnguibus sæuis armatus: cauda longa & valida, in qua præcipua eius vis robúrque consistit. Nullam in eius ore linguam animaduerti, nisi fortè intra fauces lateret. Ore enim (vti dixi) ita prodigiosè distorto erat, vt superiorẽ maxillam inferioris loco positam haberet, fœdũ planè ac terribile visu spectaculum.

Alata serpens.

ALATAM quoque serpentem, à nostrorum vno interfectam, non procul nemore, vidi: alis, vt videbatur, eatenus instructam vt tolli à terra posse, & demissè volitare, videretur. Eius desectum caput Barbari summa cura abstulerunt: rationem scire nõ potui. Nostrûm aliquibus opinio erat, id superstitione quadã à Barbaris fieri: neque quantum animaduertere mihi licuit, planè religionis expertes sũt. Immò, quemadmodum signis & argumentis quibusdam deprehendi, eos non tantùm ad ciuilem aliquam morum honestatem, sed etiam ad pietatem, si Dominus concederet, assuefieri posse existimo. Quippe simulacære campano in castello signum ad preces datum audiuerant, extemplo in vicinum campum concurrentes, sublatis, vt nos, in cælum manibus, attentionem aliquam ac reuerentiam præ se ferebant.

Floridenses non prorsus à pietate alieni.

¶*Hispa-*

¶Hispanica claßis ad Floridam appellit. Hispani Gallorum castellum de improuiso adorti Gallos viros feminásque promiscuè trucidant.

CAP. IIII.

INTEREA Prætor noster, iniuncti muneris haud immemor, propugnaculo muniendo intentus erat, vt incursionibus Barbarorum sustinendis par esset, si fortè in nos impetum facerent. Verùm vnde minimè metuebatur periculum atrox ingruit. Nam XIII. Septembris, repentè classi nostræ quinque Hispanæ naues superueniunt, Prætoria quadringentorum, vt videbatur: scapha centum & quinquaginta, doliorum capax: tribus dromonibus comitatæ. Ea clasis ad eam ipsam stationem appellit, vbi quatuor nostræ naues in ancoris stabant, circiter horam nonam vespertinam. Noctu nostri in colloquium Hispanos euocant, petúntque quo animo quídve quęrentes suis nauibus adeo propinqui steterint. Illi respondent se Gallis pro hostibus vti, mutuúmque inter eos bellum satis supérque indictum esse. Nostri Hispanorum infesto perspecto animo, neque sibi satis ad resistendum virium, sublatis cōfestim dolonibus altum capessunt. Hispani fugiētes passis & ipsi velis insequuti, assequi tamen nequiuere. Itaque Delphinorum fluminis ostium inuecti, exscēsum ibi facere statuunt. Mox cum Barbaris (vt ex euētu

Hispana clasis infesta Gallis perniciem molitur.

Gallica clasis Hispanicam fugit.

Hispani cum Barbaris de Gallorum nece consilia sociant

apparuit) consociatis de pernicie nostra consiliis, occultos militum globos, quantum satis ad rem patrandam esse visum est, inde ab eo flumine emittunt. Sexcentos in armis fuisse expeditos, à Barbaris postea accepimus.

PAVLO pòst, quum tres naues nostræ è fuga collectæ ad stationem reuersæ essent, (nam Prætoria, Trinitas ea vocabatur, paulo longiùs in altum prouecta à reliquis descesserat) Ioannes Ribaldus Prætor, tribus illis Hispanis vltro occurrere eásque aggredi statuit: postquam vtique ex Consilii sententia instructam in alto classem ostendere hosti, vt necessarium, decreuit, & se toto Oceano defendere, nisi nauium iacturam facere vellemus. Nostris enim militibus in terram expositis, facillimum hosti erat, naues præsidio vacuas, nullo impediente occupare & iniecto vnco abducere: quod sine graui nostro incommodo accidere non poterat. quippe supremo erepto auxilio & sublata vnica ope, qua regem Galliæ de rerum nostrarum statu possemus certiorem facere.

ITAQVE x. Septembris, hora tertia pomeridiana, Prætor lustrato & recensito exercitu, lectísque non iis modò militibus quos ipse nuper adduxerat, sed eorum quoque præcipuis qui Castellum præsidio antè obtinebát: in iis nominatim, legato, signifero, & præfecto ordinum Laudunerii tribuni mil. omnésque ad strenuam Regi operam nauandam cohortatus, simul nauim conscendit. Is tribunus tum quòd iam diu nullũ è Gallia nũcium

acci-

acciperet, tum in ſumma commeatus anguſtia tædio victus, paulo ante aduentum noſtrum inde excedere & reuerti cogitabat: parum interim ſolicitus, nequid Barbaris iniuriæ à ſuis inferretur, quo eorũ animi à Gallis alienarentur. Itaque illi tolerante ipſo, vulgò indigenas vexare, & vi captos in caſtellum trahere: milium, ceteráſque eorum fortunas agere ac ferre. denique omnia facere quæ neceſſitas impatiens legum iubebat. Quibus ex rebus ingens breui Barbarorum odium in noſtros conflatum eſt. Ergo (vt coniicere ex euentu eſt) ſtimulante partim inſita humanis ingeniis vlciſcendi cupidine, partim protegendi corporis appetitu, omni animantium generi à natura tributo, perniciem nobis clam ſtruere & occulta cum Hiſpano conſilia inire, incipiunt.

Galli Barbarorum animos ab ſe alienãt

VNDECIMA die Septemb. circiter octauam horam matutinam, quum iam noſtræ naues haud procul Hiſpanis abeſſent, vehemens repentè turbo exoritur, effuſo imbre miſtus, cum ingenti fragore cæli tonitribúſque & fulguribus præſtinguentibus aciem oculorum, vt penè ipſum cælum continuo incendio ardere videretur. Turbatæ vtrinque claſſes diuerſæ abiere: tres noſtræ naues demiſſis antennis procellæ vim declinare, Hiſpana Prætoria & ſcapha vẽtum ſequi, coactæ ſunt. ea tempeſtas, vſque ad XXIII. Septembris diem tenuit. Interea Hiſpani in terram egreſſi ſatis ocii ad noſtra exploranda habuere, eáque cõparanda, quibus nos per dolũ opprimerent.

Tempeſtas Hiſpanicæ & Gallicæ claſsis cõcurſum dirimit.

Neque eos fallebat, nos præcipuè classe pollere, eóque vires abductas ceterã multitudinem in castello relictam, imbellem numerum, partim ægrotis, nondum ex iactatione maritima recreatis, partim opificibus, fœminis ac pueris constare. Ducenta fermè & quadraginta capita ibi erant, Laudunerij trib. mil. fidei ac tutelæ commissa: militare robur in nauibus: neque is, casus eius qui superuenit securus, vim vllam hostilem ab terra metuebat.

Hispani Gallos de improuiso oppressos fœdè iugulant.

AT Hispanus incredibili celeritate, siluas, stagna, & flumina transgressus, ducibus Barbaris, xx. die Septembris improuisus aduenit, & paulo ante solis exortum, pluuioso admodum tempore, Castellum nullo resistente ingreditur. Plerique vigilum solutis manè excubiis, ad reficienda quiete corpora fœda totius noctis tempestate vexata, dilapsi erant. Hispani portula aperta irrumpentes, sopitos vigiles in cubilibus suis obtruncant: fœda inde trucidatio in castello fit: viri ac mulieres, ægroti & valentes, senes ac pueri promiscua cęde iugulantur. Quis immania eius diei facinora, quis stragem huic parem aut animo assequi queat, aut oratione complecti? At nostri interea tamen in tantis angustiis nõ se deserere: qui maximè impigri erant, è stratis inter tumultum elapsi celeri fuga se in nauigia ad fluminis ripam religata proripiunt, quorum Prætor Iacobo Ribaldo, nauis vnius Præfecto (cui Perla nomen erat) & Ludouico Ballardo legato eius, custodiam commiserat. Alij repentino casu oppressi, vallum transiliunt: in iis

Laudu-

Laudunerius trib. mil. cum domeſtica ancilla illac erupit.

IPSE, vix è tugurio egreſſus, quum ad opus diurnum fabrile ſcalprum gerens proficiſcerer, in hoſtes incido : ac quum neque vlla niſi in fuga ſpes, neque vllum effugium niſi per vallum pateret, & iamiam tergo meo duo Hiſpani cum haſta & fariſſa hærerent : ibi repentè, qua vi neſcio, haud dubiè quidem diuinitus, geminatis in ſenili hoc meo & effœto corpore viribus, vallum nouem ferè pedes altum, quod ægrè aliâs per ocium reptando aſcendere & ſenſim tranſgredi potuiſſem, expedito ſaltu ſupero, & in ſiluā accelero. Ab ea quum non longius abeſſe viderer, quàm quantum telo adigi poteſt, reſpiciens & in caſtellum oculos retorquens, pauliſper etiam in colle ſubſtiti, ídque eo fidentius quòd nemo mihi fugienti inſtaret. Ab eo loco facili in totum Caſtellum & inferiùs adeò hypæthrum proſpectu, ſæuientes Hiſpanos, & horribilem noſtrorum lanienam video, triáque iam hoſtium vexilla munimentis impoſita. Quamobrem omni de noſtris ſpe amiſſa, collectis coniectíſque in vnum Dominum ſenſibus, meam ſalutem eius gratiæ commendans, in ſiluam me proripio. Quippe nihilo immaniores feras experiri poſſe videbar, quàm hoſtes, quorū pluſquam beluinam ſæuitiam in noſtros exundantem conſpexeram.

Hiſpanicæ ſæuitiæ exemplū horribile.

CETERVM horribiles illæ anguſtiæ, in quas coniectus nullam circà ſpem neque viam ſalutis in terris cernebam, niſi Dominus

Errãtes in solitudine, clamãt ad Dominum: & de angustiis eorum eripit eos. Psal. 107.

singulari quadam ope, & præter omnem opinionem, me ex tam præsenti periculo eriperet: erumpere in suspiria & flebiles voces cogebant, atque eiuscemodi clamores, crebro singultu ac gemitu interruptos, ad Dominum edere: O DEVS patrum nostrorum, Deus
" misericors, qui te ex ipsis inferorum faucibus
" & media mortis abysso inuocari à nobis iussi-
" sti, téque nobis laborantibus certò adfuturum
" es pollicitus: quæso vt pro ea spe ac fiducia
" quam in te reposui, viam mihi aliquam osten-
" das, qua exitum tot malis, atque huic infelici
" meæ senectuti, in profundos dolorum gurgi-
" tes demersæ, finem tandem inueniam. Saltem
" hoc vnum cõcedito, ne hinc ex ferarum rabie,
" illinc ex hostium tuorum nostrorúmque sæui-
" tia conceptus pauor, omnem ex animo meo
" fidem & certam de promissis tuis persuasio-
" nem excutiat. Illi nos magis propter sacrosan-
" ctum tuum nomen, quod inuocatum est super
" nos, quàm vllam aliam ob rem oderunt, Do-
" mine. Fer opem mihi Domine, fer opem. nam
" me tot vndique circumuallant mala, vt emer-
" gere nequeam.

DVM hæc mecum anxius agito, inuium interea saltum densísque inter proceras arbores virgultis ac spinis, veluti perpetua sepe obiecta, cõtextum penetrans: vix semihoræ spacio processerã, quum ecce repentè è proximo strepitus hominũ lugubri eiulatu plãctúque permixtus, ad aures meas peruenit. Ego, Dei auxilio fretus, progredior ac circũspectãs, primùm vnum è nostris nobilem, cui Blõderio nomen

erat,

erat, reperio: neque lõgo ab eo interuallo aliũ, quem D. Robertum vocabãt, nobis omnibus facilè notum, quòd ei precum in castello concipiendarũ cura commissa esset. Mox etiam in Vllii nobilis viri pedisequũ, D. Belli nepotẽ, Iacobũ Tusæum, & multos alios vno agmine, incidimus. Ibi collecti & cõmunem miseriam deflentes, quid facto opus esset vt saluti cõsuleremus, vnà deliberamus. Tũ nostrûm vnus, quem vulgò omnes in Sacrarum litterarũ lectione plurimùm versatum atq; exercitatum iudicabant, hunc ferè in modum disseruit:

" EXTREMVM hoc miseriarũ est, Fratres: " quocumque cõuertimus oculos, nihil præter " immanem barbariem cernimus: cælum, terra, " mare, siluæ, homines, omnia nobis aduersa at- " que infesta sunt. Iuuat tamen humanã miseri " cordiã experiri. Ecquid scimus num fortè Hi- " spanus, si nos eius fidei ac clementię permitti- " mus, deditis ac supplicibus parcat? Interficiat " nos: breuis in morte dolor, harum etiam cala- " mitatũ finem afferet. Homines sunt: neq; extra " spẽ est, quin furore placato nos in deditionẽ " accipiãt. Nam quæ alia salutis via aut ratio no " bis superest? Nã prę̃stat subire manus hominũ " quã aut hîc lacerari ferarũ vnguibus aut miser " rima fame tabescere? Ille ita loquutus est: & maior pars, consiliũ approbans, in eam sententiã ibat: me frustrà dissuadente, & cruentas adhuc ab recenti victoria hostiũ manus subiiciẽte. Neque verò eos propter cõmunes regũ ac populorũ discordias, aut humana certamina, tam impotẽti rabie sæuiisse: sed ob id maximè

Hispani ob religionem pios Gallos oderunt.

quòd intellexerint nos ex eorum numero esse qui Euangelio nomen dederint. Non pudere nos in homines potius quàm in Deum conii-cere oculos? qui suorum vitam vel in media morte incolumem prestat, iisque fere, quoties terrena subsidia deficiunt, & humanæ spei locus nullus est, salutarem manum è cælis porrigit. Simul in eam sententiam petita è Scripturis exempla adferebam, Iosephi, Danielis, Eliæ, & aliorum Prophetarum: Apostolorum etiam, in iis Petri & Pauli, qui extraordinariis, & humanæ rationi incognitis modis, periculis erepti sunt. An breuior aut imbecillior nunc, est (aiebam) Dei manus quàm olim fuit? Non meminimus exitus Israelitarum ex Ægypto, quum à Pharaone fugerent? Quæ spes erat populo, vt tam potentis tyranni manus effugeret? Ipse à tergo fugientium vestigiis hærens: mare à fronte, vtrumque latus prærupti montes claudebant. Itaque qui tum mare diuidens, quibus nullæ ad resistendum vires, ac ne effugium quidem patebat, hinc à fronte, hinc ab tergo, inclusis, iis per medios fluctus nouum iter aperuit, non potest idem per inuios ignotæ huius terræ saltus nos in tutum locum deducere?

Esa. 50 1.

HAEC & talia quamuis dicerem, sex tamen ex omni numero minimè assensi, deserunt nos, ac sperantes se aliquid gratiæ apud hostes inuenturos, ad eos se conferũt. Verùm mox tristi experientia didicere, quàm parum prudenter sibi consulant, qui plus fidei in hominibus

Eorum qui hominum fidei quàm Dei prouidentiæ se credere malunt, tristis exitus.

minibus quàm in Dei promiſſis ponunt. Vix enim ſilua egreſſi per cliuum ad caſtellum deſcendebant: quum ab circumfuſis protinus Hiſpanis capti, ceterorum exemplo iugulati ſunt, & ad ripam fluminis tracti, vbi cumulatæ corporum ſtrues iacebant, eorum quos in Caſtello Hiſpanicus furor abſumſerat.

¶Hiſpani Gallis qui in nauibus erant deditionis leges ferunt. Galli deditionem aſpernantur. Hiſpani in mortuos ſæuiunt.

CAP. X.

SINGVLARE ſæuitiæ exemplum hoc loco non prætermittam, Iacobus Ribaldus Perlæ præfectus, (nauigii id nomen erat) naueis in ancoris, centum fermè à cruento illo ſpoliario paſſibus, habebat, multóſq; è carnificina elapſos exceperat. Hiſpani egregia de inermibus victoria inflati, & reliquum Gallorum ſanguinem haurire cupientes, Caſtelli tormenta in naues & lenunculos dirigunt, ſed tum pluuioſo tempore, tum non ſatis paratis machinis, effectum eſt, vt ſine vllo noſtrorum vulnere, omnes eorum conatus in irritum caderent. Itaque tubicinem ad naueis mittunt, qui noſtros ad deditionem compelleret. Verùm vbi his parum moueri Gallos intelligunt, legatum vnum è ſuis remittunt, qui Dom-Petri de Maluendo, huius cohortis Præfecti auto-

Hiſpani quos inſidiis excipere non potuerũt, verbis pellicere conantur.

ritatem præferens, cum illis de pace his conditionibus ageret: vt traditis maioris formæ nauibus, ipsi cum suis rebus atque impedimētis, scaphis & lenunculis ad ceteram classem euaderent, quæ in salo ad ostium fluminis stabat, à Castello quatuor millibus pass. distans.

Galli cordatè omnē cū Hispano compositionem aspernantur.

AD hoc postulatum nostri respondent: Nullum sibi cum ipsis bellum esse, quod pace aut deditione finiri opus sit. Se sextum ante mensem eam nauigationem Regio mandatu ingressos: ac tantum abesse vt eam hostili in quemquam animo, aut prædandi consilio susceperint, vt desertè tum ab Rege suo, tum ab ipsius Almirāte, seu Archithalasso, vetitum sit, ne in vlla Hispanorum litora exscēsionem facerent: immò, quominus illis iustam offensionis causam præberent, ne propiùs Hispanicæ ditionis oras naueis appellerent. Nos
" verò (inquiunt) hoc Regis mandatum sanctè
" atque inuiolatè seruauimus: ac ne id quidem
" vobis relictum est, vt cædem hanc nostrorum
" hominum, quos contra omnia belli iura tru-
" cidastis, nostro vllo merito aut culpa accidisse
" causemini. Itaque nil mirum est, si vos eius rei
" aliquando pæniteat. De cetero, quas petitis
" naues vita potius nostra quàm iis vos potitu-
" ros scitote: ac si vis adfertur, nos arma & cor-
" pora & quidquid à Deo accepimus, opposi-
" turos.

HISPANVS reuersus, Gallos verbis nihil flecti renunciat, immò animos atque arma expedire ad certamen. Tum furiosa illa cohors omnem in cęsorum corpora iram effundere,

dere, eáque procul nostris qui in nauibus erãt, ostendere: vt eorum pectora sauciarent, quorum corpora laniare, vt vellent, non poterant. Nam mortuorum exsculpentes oculos, & pugionum mucronibus pręfixos gestantes, amaro cum risu atque vlulatu in Gallos, quò illis oculi dolerent, versus aquam torquebant.

Hispanii in cadauera sæuiunt.

¶ Galli aliquot ex Hispanorum manibus elapsi, ægrè ad mare perueniunt. In aliquos è sociis incidunt.

CAPVT II.

IAM, vt ad nos qui in silua manseramus redeam, quum porrò ire & ignotum transgredi iter pergeremus, ad mare, quantum ancipiti æstimatione augurabamur, tendentes: tãdem, Deo gressus nostros dirigente, in montis cuiusdam iugum enisi, mare inde prospicere cœpimus. Sed multùm adhuc viæ, & difficillimæ quidem supererat. Mons, quâ descendendum erat, arduus, adeóque præruptus & præceps, vt stabilis gradus vllo loco insistendi minimè spes esset: ita rectis saxis, vt ægrè nemo, nec nisi tentabundus manibúsque retinens virgulta ac stirpes circa eminentes, demittere sese posset. Ergo modò saluti consuleremus, manibus non parcimus, quamquam iam laceras stirpium surculis ac spinis cruráque & totum corpus fœdè cruentatum haberemus.

Galli Hispanorum manus elu ctati, cum locorum difficultatibus certant.

NOBIS tandem ægrè è monte demissis, interiectum nemus, impositum colli maris, conspectum abstulit, quo per ingentem planiciem præalto limo atque vligine informem, palustríque vlua, calamis, & inusitato quodam caricum genere consitam, perueniẽdum erat. quippe earum herbarum caulis duritie ligni, folia etiam præacuta crura nobis & pedes ita incidebant, vt sanguinem elicerent, Nos interea in aqua pube tenus, continuis etiam imbribus adeo perfundebamur, vt hinc paludibus, illinc nimbis obruti, perpetuo quodam diluuio demersi videremur: & quò longiùs procederemus, eo altiores aquarum voragines occurrebant.

Galli ad Deum in perditis rebus confugiunt.

ITAQVE, quum extremum tempus vitæ nobis tum adesse crederemus, vltimo complexu inter nos dato, collacrymantes suum quisque & sociorum casum, multis cum suspiriis & lacrymis clamare ad Dominum cœpimus, & cum serio peccatorum sensu iusta eius in nos iudicia pænásque agnoscentes, mæstas eiuscemodi voces supremos inter gemitus fundere: „HEV Domine, ecquid in vilibus hisce „vermiculis cõterendis, dexterã tuam fatigas? „animæ nostræ ingenti dolorum æstu retorridæ, toties experta clemẽtia tua fretæ, in sinum „tuum semet reiiciunt. O Pater misericors, libera nos ab his angustiis mortis: aut si ad suprema ventum est, & in hac solitudine nos „interire iubes, ne patiaris vsqueadeo sensus „nostros mortis horrore constringi, vt gratiæ „tuæ obliti, cuius tot documenta propter Chri-

Christum Filium tuum nobis dedisti, locum "
demus Satanæ, diffidentiæ ac desperationis "
spiritui. Nam seu moriamur, nos tibi velle mo "
ri, coram Maiestate tua hîc testamur: seu viua- "
mus, non ob aliud victuros, nisi vt miracula "
tua in medio Ecclesiæ & cœtu seruorum tuo- "
rum enarremus. "

His precibus conceptis, ægrè ad nemus contendimus. Sed prius traiiciendus erat ingens amnis, ea prata interfluens: cuius alueus latitudine quidem modica, sed immensa altitudine, trãsiri posse vado spem ademerat: præsertim quum procliui ad mare campo, prærapida celeritate aquas euolueret. Hinc nobis rursus noua laborum facies: nemo nostrum committere se præcipiti alueo & natatu periclitari audebat. In tanta rerum difficultate hęsitantibus, venit mihi in mentem relicta nobis ab tergo silua: itaque socios ad tollerantiam & bonam spem cohortatus cò reuertor & longum ramum fabrili illo scalpro cum quo deprehensus fueram, amputo. Mox ad nostros "
regressus qui me anxij exspectabant, Agedum "
(inquam) fratres: experiamur an huius longu- "
rij ope Deus ad perficiendum iter nos adiuuet. Simul longurium à terra in amnem porrigimus: quúmque non plures vno traiici possent, cui primo obtigit, is ligno insidẽs aquam ingreditur: nos tamdiu perticæ alterum caput retinuimus, quoad ferè ad mediũ alueum enasset: tum ne secunda aqua deferretur, vi in alteram ripam impellimus. Ibi exstantium cannarum aliarúmque herbarum adminiculo

Deus per inuia piis viam facit

in terram euadit. Ita primis ad eum modum expositis, alij deinde repetiti & singuli traiecti sunt: neque id tamen sine ingenti periculo. Quippe & multum salsæ aquæ bibimus, & labore ita debilitati sumus vt propè semianimes in vlteriorem ripam euaderemus.

TANDEM collectis animis progredimur, & ad vicinam illam mari siluam à nobis notatam, quoad eius fieri poterat, vestigia dirigimus. Quúmque aliud par priori flumen obiectum esset, eiusdem perticæ ope, haud minore quàm illud alterum negotio ac periculo, tandem tamen Deo bene iuuante, superauimus. Sub vesperam siluam inimus: ibi quum nox oppressisset, ingenti cum pauore, applicati arborum truncis & stantes, pernoctauimus. Neque nobis, quamquam summa continuati laboris fatigatione affectis, somni vlla cupido. nam quæ animis inter tam ancipites metus, & omnia circà horroris plena, quies esse poterat? Itaque ea nox perpetuis vigiliis nobis extrahitur: ac primo etiam fermè diluculo feram quamdam, quinquaginta circiter passuum à nobis interuallo prætereuntem, cerui magnitudine, conspicimus: cui enorme caput, scintillantes & stantes oculi, aures promissæ erant, posterioribus partibus, velut tubere quodam, eminentibus. Eam velut prodigium quoddam exhorruimus, maximè ob radiantes & enormiter grandes oculos: quamquam ad nocendum propiùs non accesserit.

Feras ne noceant piis, cohibet Dominus.

ORTA

ORTA luce egreſsi è ſilua, mare rurſum proſpicimus, quò ſecundum Dei opem, velut ad vnicum vitæ ſubſidium, contendebamus. Sed nouæ de integro interueniunt moleſtiæ. Quippe rurſum in limum & paludes demerſi, cannis & vlua conſtratas, neque prioribus illis abſimiles, quum non aliud commodius oſtenderetur iter, feſſa illac membra trahimus.

INTER hæc, haud procul via quà tranſituri eramus, repentè hominum agmen apparuit, quos quum primò hoſtes eſſe ſuſpicaremur, qui ad intercludendam nobis fugam ex tranſuerſo incurrerent: poſtquam ex propinquo trepidos ac nudos, pari ac nos habitu conſpicati ſumus, facilè è noſtrorum reliquiis aliquos eſſe cognouimus. Ij verò erant Launerius trib. mil. miniſtra eius domeſtica, Iacobus Morgueſius Diepenſis, Franciſcus Vallius Rothomagenſis, Hoſpitis coronæ ferreæ Rothomag. filius, Nicaſius Crottenſis Nicolaus Minutarius, Ludunerii trib. tubicen, & alii præterea aliquot, viginti ſex omnino homines.

VIX præ fletu vſurpata conſalutatione, & deliberantibus quid facto opus eſſet, duo è noſtris in præaltam arborem conniſi, vnum è minoribus nauigiis noſtris aſpiciunt, cui Mallardus præfectus præerat: Eíque mox ſigno è ſublimi edito, nos ipſius auxilio egere admonent. Is minorem ſcapham ad nos mittit: ſed priuſquam ad litus perueniremus,

carecta rursum & duo fluuij iis pares quos ea ipsa die & superiore traieceramus, nobis superandi erant. Ad eam rem plurimùm longurius ille quem nuper exscideram,& duę pręterea perticæ à Laudunerij comitibus prouisæ, vsui fuere.

Nautarū in miseros Gallos humanitas.

SED quum iam propè ad scapham euasissemus, inedia & labore resoluti, posteaquam linquente animo vires ad connitendum vltrà non sufficerent, propè exanimes collapsi sumus. Ac nisi nautæ, qui nobis tum non vulgarem humanitatem præstiterunt, auxilium ferre properassent, eo loco exanimati essemus. Illi nos exceptos ordine in scapham portarunt, atque inde ad nauim, vbi humanissimè accepti sumus. Mox quum panem & aquam nobis apposuissent, sumto cibo vires animósque paulatim reparare cœpimus: perspicuo erga nos diuinæ bonitatis, & acceptæ ab eo salutis, argumento, qui nos tot præsentibus periculis & mortibus præter spem liberasset, vt ei immortales gratias ageremus. Ergo miraculis Dei enarrandis & mutuis inuicem cõsolationibus perpetem eam noctem traducimus.

Gratiarū actio.

¶ *E Gallica classe duæ naues Galliam repetunt. Hispanicam nauim in fugam vertunt. Ad Rupellæ portum appellunt.*

CAP. VII.

VT

VT primùm lux reddita est, Iacobus Ribaldus, Perlę nauis pręfectus, proximè nos adnauigans, quid factu optimum esset quæue ratio iniri posset ad reliquias nostrorum hominum nauésque seruandas, nobiscum deliberat. Ibi tum quantis commeatuum angustiis laboraremus, quàm debilitatæ vires essent, arma & tela nostra ab hostibus capta: insuper de Prætoris nostri statu incertitudo, in medium adferuntur, quem vtrum naue alicubi vadis illisa periisset, an tempestate procul abreptus erraret, incertum esse. Itaque nihil potius esse decernimus quàm primo quoque tempore in Galliam vela facere. Atque hæc quidem fuit primorum sententia, vt qui è laniena euaserant, bipertito diuisi, pars in naue, cui Perlæ nomē erat, manerent: alij sub imperium Mallardi præfecti concederent.

ITAQVE re non iam vltrà cunctationem recipiente, XXV. die Septembris, vento Septemtrione vehementi ab ea ora profecti, celeriter conspectu terræ ablati sumus: móxque in alto alij ab aliis disiecti, vt numquam inde postea nostræ naues in eo cursu mutuum in conspectum venerint. Quingentas inde leucas satis prospero cursu emensi, tandem manè quodam sub ortum solis Hispanam nauim, quæ repentè ex alto in nos inuecta erat, ita strenuè repulimus, ac tormentorum fulminibus obruimus, vt manantem sanguine alueum per columbaria pérque latera nauis cerneremus. Iámque nobis ab hoste de victoria pro-

Gallorum pars in Galliam è Florida reportatur.

Hispanica nauis à Gallica vincitur.

palam concessum erat : vehementiùs tamen concitato mari propiùs congredi, & nauim Hispanam ferrea manu iniecta abstrahere, non potuimus. hoc vnum ad plenam victoriã nobis defuit. Quum enim ex eo concursu nauium magnum sequi incommodum necesse esset, ac periculum, ne allisa nauigia mutuo attritu demergerentur: sicut ipsi libenter eo discrimine defuncti prælio abstiterunt: ita nos ab iis abstinuimus, & quòd nemo nostrûm ex eo certamine vulnere ictus, aut cæsus occubuisset, præter focarium nostrum, Deo læti gratias egimus.

RELIQVVM deinceps iter pacatum & sine vllo hostium incursu transegimus: iniquioribus tantùm ventis subinde conflictati, qui nauim nostram sæpe in litora Hispaniæ eiecturos minati sunt. quod vnum, veluti calamitatum nostrarum cumulum, exhorrebamus. In vndis præterea quidquid malorum tolerari potest, inopiam, frigus, famem, pertulimus. Quippe nobis, qui erepti carnificinæ è Florida redibamus, pro omni tegmine noctu atque interdiu nihil præter simplex indusium aut lacera quædam pannicularia (miserum aduersus frigora & cęteras aeris iniurias præsidiũ) velando corpori supererat. Panis quãparcissimè dabatur nobis, ísque situ corruptus ac mucidus. Aquæ etiam, quamquam fœtidæ, nõ ad satietatem, sed in diem cyathum duntaxat vnum, & quidem exiguum, bibebamus. Ex hac tam insalubri victus ratione, multi è nostris, vbi terram attigissent, periculosis morbis

Gallorum ex Florida redeuntiũ angustiæ.

bis impliciti, plerique etiam exſtincti ſunt.

TANDEM mæſtam, hanc noſtram & laborioſam nauigationem, lætus, vt in malis, excepit exitus. Quum enim ad Rupellæ litus appuliſſemus, ab eius oræ accolis & ipſius adeò vrbis ciuibus perbenignè &, humaniſsimè excepti fuimus: multa in nos ab illis publicè ac priuatim hoſpitaliter facta, munificéque adeo collatæ opes, vt quæ in ſuam cuique redeunti patriam neceſſaria erant, nemini noſtrûm deeſſent.

Rupella. norũ in miſeros benignitas.

¶ *Io. Ribaldus Prætor Hiſpanicam claſſem quærens, naufragiũ facit. Galli fama & miſerijs conflictantur. Tandem ab Hiſpanis in deditionem accepti fœdè trucidantur.*

CAP. VIII.

NVNC eorũ quæ de Ioanne Ribaldo ſuperiùs retulimus, redire in memoriam oportet. Is, vti antè dictum eſt, cum lecto militũ noſtrorum robore, obuiam Hiſpanis ad certamen egreſſus: eos quidem, quum quinque dies per altum quæſiſſet, non reperit. Sed Prætoriam ſuã nauim (Trinitatem vocabât) quæ à cetera claſſe aberrauerat, fortè nactus: omniũ ignarus quæ in Caſtello nobis acciderant, totius oræ appulſu prohibere Hiſpanos conſtituit. Prætoriam conſcendit, vt facilius inde, ex naualis diſciplinæ more, omnes Prætoris edicta & iuſſa acciperent.

INTEREA aduersam per se tempestatem quum seuire ventus cœpisset, continui etiam imbres fœdabant. Quinto die vento vis addita: geminatur tempestas: neque vlla ope impediri potuit, quominus terræ illatæ naues carinas vadis figerent. Quinquaginta fermè leucis suprà Maium flumen ad oram euecti, fractis nauibus, & commeatu amisso, incolumes tamen ipsi euaserunt. Vnus tantùm Grangius trib. mil. fracto nauis malo insidens, fluctibus haustus est: cuius magnum meritò desiderium fuit. Erat enim in eo homine non summa tantùm ingenij consiliíq. præstantia, sed mirifica etiam in familiari congressu comitas ac dexteritas, qua ceteros ad virtutum suarum imitationem alliceret.

Gallicæ classis naufragium.

CETERVM nostros ægrè emersos vndis, omni tempestate truculentior excipit fames: neque ad eam sedandam, quidquam opis, omnibus amissis, supererat: nisi quæ terra vltrò præberet, herbarum videlicet, radicúmque omne genus, mandere conarentur. Quúmque alia alimenta deficerent, ea necesse erat vbiq. rimari qua latranti stomacho obiicerent. Neque tantùm fames sed sitis quoque miseros fatigabat, cui pellendæ nihil præter veteres cisternas & putres lacunas aderat, ex quibus fœdam adeò & turbidam cœno aquam hauriebant, vt vel solus spumæ eius cõspectus etiam valentissimis nauseam & ægritudinem cieret. Attamen indomita famis sitísque rabies omnia, quamuis spurca & insalubria, ingerere in ventrem subigebat: totos octo dies tam misero

Gallorum naufragorum angustiæ.

ro

ro victu extrahunt.

NONO demum die exiguam fortè scapham reperiunt: lætum id inter mala: eius ope sperant se sociis qui in castello erant naufragium suum significaturos. Quippe ab eo, terrestri itinere, duodecim leucarum interuallo aberant, maritimo quinquaginta. Ad hæc interiectum flumen Delphinorum, quatuor in latitudinem stadia diffusum, profundo alueo & nusquam vada aperiente, non nisi nauigio transmitti poterat. Itaque excepta lætè ea scapha, linteas suas tunicas seu indusia concerpta, stupæ vice, rimis explendis insulciunt, & commissuras eius ferruminant.

Ribaldi ad socios oratio.

TVM Ioannes Ribaldus Prætor pro solita comitate & modestia, multos eorum quorum consilio vtebatur, conuocatos, in eam fermè sententiam alloquitur: HVMANAM patien- "tiam ô socii, miseriæ nostræ vicerunt. neque "in tantis ærumnis vita tolerari diutius potest. "Et multò quidem optabilius esset morte se- "mel defungi, quàm tam perdito rerum statu "centies mori verius quàm viuere, nisi fides ve- "taret prouidentiæ Dei diffidere, cuius vel in "extremis rebus auxilium sperandum atque ex- "spectandum est. Interea tamen, quod nostra- "rum partium est, versanda nobis sunt sedulò "omnia, siquem fortè industria animi & labo- "re inueniamus malorum exitum. Itaque à no- "bis aliquos scapha ad castellum mittendos cē- "seo, qui nostris deploratū rerū nostrarū statū "renuncient, & auxiliū petant. Ac protinus magnam vim lacrymarum profundens, positis

humi genibus, preces ad Deum orditur. Quibus peractis, quem potissimum huic obeundæ legationi deligerent, circumspectant. Thomas Vassor Diepensis ad eam rem maximè idoneus visus: ei negotium dat Ribaldus vt quamcelerrimè possit sociis quàm misero statu sint significet. Ei se comites adiunxere Vincentius Simon, Michael Gouor, & alij vsque ad decem & sex.

NOSTRI, qui (vti paulo antè dictum est) trans flumen erant, eadem die in vlteriore parte Castellum versus cohortem armatorum, expasso vexillo incedere prospiciunt. Postquam coniecturis, quantæcumque ex tanto interuallo capi potuerunt, Hispanos esse innotuit: nostri, qui in tantis rerum angustiis hoc sibi supremum perfugiú superesse crederent, nonnullos è suis ad hostem mittunt, qui cum eo de deditione & vita paciscantur. Legati Galli primò satis humaniter ab Hispano excepti sunt.

Hispani ducis crudelis perfidia in miseros.

HISPANAE illius cohortis præfectus (Vallemandum vulgò appellabant) viri nobilis, equitis & Christiani fide suam in Gallos beneuolentiam affirmans: & eum Hispano victori solemnem semper morem fuisse testatus, vt supplici hosti, Gallo præsertim, clementer consuleret: neque se ab eo instituto discedere velle, aut quidquam grauius in eos statuere, quod postea in mutua vtriusque gentis inter se odia & publicas clades erumperet: omnes liberaliter palàm per interpretem affatus, fidenter venire ad se hortatur. Simúlque instrui scapham

&

& quinque Hiſpanos traiicere in vlteriorem ripam ad noſtros iubet. Hiſpani tranſmiſſo fluuio, Gallos Vallemandi præfecti nomine liberaliter appellant. Ioannes Ribaldus prætor primus nauiculam cum triginta ſuis conſcendit: ipſe à Vallemando ſatis comiter excipitur: ceteros ab eo aliquantulum ſeductos, Hiſpani manibus ponè tergum reuinctis, binos ſimul colligant.

INTEREA Galli, vnoquoque traiectu triginta, trans flumen exponebantur: tantiſperdum Vallemandus Ribaldum, hominem minimè malum, qui de ipſius fide non dubitaret, fallacibus verbis produci & lactari curat. Noſtri interim quum omnes flumen tranſmiſiſſent, bini ad eum modum colligantur, ſimúlque permiſti Hiſpanis Galli ad Caſtellum procedunt. Ribaldus prætor & alii, in primis Ottignii dominus, vbi ſuos ita nexos & iugatos vident, neſcio quid ſiniſtri ex eo augurari & toto ore expalleſcere. Interea tamen rurſum Vallemandi fidem appellant: ille ſedulò confirmat eos, neque aliò indita Gallis vincula teſtatur, quàm vt tutò in Caſtellum deduci poſsint. ibi ſe illis cum fide præſtiturum quæ pepigerit.

Hiſpanus Gallũ fallacibus verbis lactat.

QVVM iam non procul à Caſtello abeſſent, ille tũ ſciſcitatus quinam inter Gallos nautæ, remiges, fabri nautici, tormentarii, aliíque maritimis muneribus vtiles eſſent: triginta eius generis inuentos à ceteris ſecernit,

Nec longo inde temporis ſpacio armatorum cohors Caſtello egreſſa, pleno gradu in noſtros contendit, qui ſeorſum à Vallemandi agmine ducebantur. Gregem ouium ad lanienam agi diceres. Tũ cornua occinere incipiunt, & Hiſpanorum militum furor erumpere: cæduntur vincti & inermes Galli ad fiſtularum, tympanorum & buccinarum cantus, ita vt quiritantium clamor exaudiri non poſſet. Ibi gladiis & haſtis ſtrenuè ſæuire Hiſpani, & quàm fœdiſsimum quiſque vulnus fecerat, tam maximè gloriari. Ergo vix ſemi horæ ſpatio facilem & egregiã ſcilicet victoriam de inermibus ac deditis tulere, quos ipſi in fidem acceperant.

Gallorum inermium laniena.

DVM hæc perpetrantur, Ioannes Ribaldus Vallemandi fidem implorãs, vitæ ſuæ parci orat: ipſe etiam Ottignius ad pedes eius prouolutus, promiſſorum vt meminiſſe velit, ſupplex obſecrat. Sed omnia hæc fruſtra fuere. Nam ille neglectim obuerſo tergo, præteriit: ſimúlque vnus carnificum eius, pugionem in Ribaldi auerſum corpus defigit: móxque eo vulnere prolapſum, vno alteróque ſubinde ictu iacentem conficit.

Ribaldi Prætoris Galli mors.

Hic fuit miſerabilis noſtrorum exitus, quũ ſe in fidem & clementiam Hiſpanorum tradidiſſent, quę Punica religione ſeruata ab illis fides eſt. Neque ſatis habuere ſæuitiam innoxio ſanguine explere, ſed vt omnem barbariem ſuperarent, Legati regii barbam abraſere luculenti facinoris ſpecimẽ: eámque incluſam litteris Hiſpalim miſere, quemadmodum

dum à nauticorum noſtrorum nõnullis, quorum opera Hiſpani ad eum nuncium in Hiſpaniam perferendum vſi ſunt, nuper bona fide nobis relatum eſt: in iis nominatim Chriſtophoro Britone, Portu-gratienſi, qui clam Hiſpali Burdegalam tranſgreſſus, Burdegala Diepam naui reuectus eſt.

POST hæc Hiſpani memorabili victoriæ tropæum imponunt: Legati Regii corpus membratim diſſecant, & eius capite in quatuor partes diffiſſo, miſerabiles illas quadras totidem arrectis cõtis præfigunt, eóſque quatuor Caſtelli angulis ſtatuunt.*

* Hactenus Gallica illa Hiſtoria: nos quæ ſequũtur addidimus.

POSTREMO (quod ex Nobili quodam Britone qui Floridam vidit, ipſe accepi) Hiſpani, vt inſigni aliqua cataſtrophe eã tragœdiã clauderent, lacera illa corpora, truncos artus, putres puerorum, feminarum & virorum formas, exſtructa extra Caſtellum pyra, igni cremarũt, vt facilè appareret id non magis hoſtili rabie quàm veræ Religionis odio, ab ipſis eſſe factum. Sed vtcumque cæſorum reliquias flammis aboleuerint, tam fœdæ rei tamẽ memoriam neque à conſpectu ipſius Dei, neque ex hominum animis delere adhuc potuere, neque vmquam poterunt.

Hiſpani Gallorum cæſorum corpora cremant.

CETERVM in tradenda Gallorum cæde quæ plurimis & oculatis teſtibus memorata ſunt, retuli: ſed non omiſerim eorumdem temporum rumorem validum adeo vt nondũ exoleſcat. Expeditione ſuſcepta, Hiſpanum ab Aulicis quibuſdam per occultos nũcios de re tota certiorem eſſe factum: & qui eò na-

uigarent, maximam partem Hugonotos esse, Regni perturbatores & Regis ipsius hostes, obuiam prædam & quæ impunè inuadi posset. Hæc vulgò tum iactata nec affirmare, nec refellere in animo est. Sed postquam ea gesta sunt, quòd tam atrocis iniuriæ exemplo non Galli tantùm, sed Regis quoque ipsius Maiestas, cuius auspiciis ea expeditio suscepta fuerat, violata esse videretur: etsi ea in feminas puerósque immanitas omnium questus anteiret, cæsorum liberi, viduæ, cognati & amici, vltionem orantes, Carolo IX. regi Galliæ supplicem libellum obtulere. Ac Carolum quidem de eo questum apud Regem Hispaniæ, atque illum facinus pro rato non habuisse satis constat: quum interea non minus impunitas maneret sicariis, quàm mors interfectis: donec senescente facti inuidia, mentionem omnem ac memoriam eius rei maiores casus oppressere.

Porro libelli exemplum infrà scriptum est.

*

SVPPLI-

SVPPLICIS LIBELLI

exemplum, Carolo IX. Regi Galliæ oblati à viduis, liberis pupillis & orphanis, propinquis & amicis, subditorum eius qui ab Hispanis in Francia Antarctica, quam vulgò Floridam vocant, fœdè trucidati sunt, Anno M. D. LXV.

MISERABILES planè personæ atque opis egentes (Christianissime Rex) viduæ & orbati parentibus pueri puellæque propè innumeræ, pedibus tuæ Maiestatis, plenæ lacrymarum & supplices, aduoluuntur: & ærumnas suas apud te deplorantes, lugubre spectaculum patrum, virorum, filiorum, fratrum, nepotum & propinquorum suorum (qui circiter nongenti, misti fœminis virísque pueri, in Florida à ‘Petro-claudio & Hispanis militibus fœdè trucidati sunt) propè præsens oculis tuis exhibent. Id verò facinus quum per se vel auditu fœdum atque horrendum sit: tum hodie maximè subditorum tuorũ sanguis perfidiosissimè fusus, Dei fidem & iustitiam aduersus sceleratos latrones implorat.

‘ Is idem est qui Valleman do sibi nomen fecerat.

ITAQVE iam tuarum partium est, ô Rex, cogitare, ea lege imperio tuo subiectos populos, tum vt eos iustitia regas, tum vt sub præsidio ac tutela Maiestatis tuæ incolumes conserues. In primis verò miseris atque afflictis, qui secundum Dei opem ad tuam fidem confugiunt, præsertim recenti adhuc vulnerũ

dolore ſuccurrere: eorúmque, haud ſecus atque herus fidelium ſeruorum, aut etiam pater filiorum, ærumnis ingemiſcens, orbitatem & lacrymas conſolari. Nam querelæ, quidem quas ad te deferunt, non minus miſeratione dignæ videntur, quàm Petri-claudij Hiſpani immanitas conſuetis belli commerciis omnibúſque diuinis ac humanis legibus aduerſa eſt.

ID quò faciliùs intelligas, nos rem paulo altiùs repetentes patienter, vt facis, audito. Meminit Maieſtas tua ſubditos illos tuos regiis literis fretos, quas Ioannes Ribaldus abs te accepit, tuo mandatu, tuis auſpiciis, in Floridam nauigaſſe. Quò quum perueniſſent, quinque Hiſpanæ naues (quarum maxima octingentarum amphorarum, proxima, ducentarum, ceteræ mediocris formæ, erant, repentè pluſquam hoſtili impetu tuos illos homines adortæ ſunt. Mox claſſiarij earum milites in terram lapſi, Caſtellum tuo nomine atque auſpiciis à Gallis exſtructum irrumpentes, viros, fœminas, pueros, & quidquid obuiũ fuit obtruncant: neque his aut illis ætas aut imbecillitas miſerationẽ attulit. Quinetiam transfoſſa puerorum infantiúmque corpora (horrendum viſu) præfixa haſtis ad ludibrium oſtentabant.

INDE octingentos fermè Gallos, cohortem Ribaldi Prætoriam (quamquam fide data, ſi arma tradidiſſent, abire omnes incolumes paſſuros) manibus poſt tergum reuinctis,

ſeruilibus probris fœdatos: ſceleratos, lepro-
ſos, pædicones & latronos Francos vocantes,
in ore ipſius Ribaldi iugulant. Quúmque is
tam fœdi ſpectaculi horrore perterritus, ad
Petrum-claudium accedere conaretur, vt ſe
in eius fidem ac tutelam, velut aſylum, conii-
ceret, ab eo ſuperbè repulſus, móxque eius
iuſſu à milite, pugione in tergum impreſſo,
percuſſus eſt. Quo vulnere quum corruiſſet,
idem hic miles iacentis pectus vno & altero
ictu hauſit. Mortuo quoque ludibria adiecta:
ceruices incidit miles: barbæ pilos abradit, &
quadrifidum caput quatuor pilis eodem in
caſtello, vbi ceterorum corpora exanima ia-
cebant, præfigit. Poſtremò litteras ad regem
Hiſpaniæ, præclaræ victoriæ nuncias, & in iis
pilos aliquot Ribaldi barbæ incluſos, mittit:
perſpicuè tali ludibrio prodens, quàm pa-
rum Regiam tuam maieſtatē vereretur, quam
adeo ſuperba contumelia, per clientium tuo-
rum iniurias & dedecora, violare auſus eſt.

NEQVE verò credibile eſt, Principem
vllum aut Regem Chriſtianum, imò nec Bar-
barum, tam abhorrenti ab omni humanitate
eſſe animo, vt exſecrabile illud facinus appro-
bet, & eò quidem fœdius quòd media pace
in tuos admiſſum eſt, quum tibi neque cum
Hiſpano, neque cum vlla externa gente, bella
aut hoſtiles inimicitiæ intercederent. Perpe-
trati tamen huius latrocinij Hiſpanos, nulla
iniuria abs te violatos, reos eſſe, noſtrorum
ſanguis & lacrymę noſtræ clamant, & quidem

iis locis ac personis quæ sub nullius iure ac ditione, præterquam tua, sunt. Nisi fortè Petroclaudio impudentiam sæuitiæ adiungere, ac dicere libeat, Ibi ius esse vbi vis & arma plus polleant: licere peregrinis latronibus in præsidia & ditiones tuas, in tuorum fortunas & corpora, cum exercitu imperióque inuadere: licere pro suo iure in eorum ceruices sæuire, quos Deus Maiestati tuæ subditos attribuit, & quidem tam arto fidei & obsequij vinculo tibi obstrictos, vt millies mortem oppetere malint, quàm in noui Principis fidem ac ditionem concedere.

QVAMOBREM si Petri-claudij facinus Hispaniæ rex ratum non habeat, nihil superest, nisi vt vel istius supplicio iniuriam tibi factam expiet, vel tibi eum noxæ dedat: tibíque in posterum ius ac possessionem vacuam Floridæ tradat, quæ pridem tuis auspiciis ab tuis occupata, regni tui finibus ac ditionibus adiecta est. Neque enim subditi illi tui, qui, propagandis imperij tui finibus, eam prouinciam pro virili parte manucepere, pro fugitiuis eò redacti sunt, aut vt rei exsuléſve in vltimas terras deportati: sed eos Maiestatis tuæ legatos, ministros mandatorum tuorum, eò nauigasse iussu & missu tuo, litteris ipsemet regiis Ribaldo datis confirmasti, qui tuam in eo vicem ac personam referret.

INDIGNAS verò illas & atroces in vno scelere per se iniurias, etiam onerat istorum impunitas. Quippe si inultæ omittantur, li-

ceátque

ceátque nefariis latronibus, violatoribus omnis humani iuris ac fidei publicæ, non luce hac tantùm, ſed ſpoliis etiam tuis noſtríſque impunè perfrui: ſicuti dolor ad nos, ſic ad te dedecus, & manante latiùs exemplo, periculum ad omnes pertinebit. Sed vt ab aliis impunitate alatur iſtorum immanitas, te tamen ſubditorum tuorum iniurias, per quorum latera foderis, lentè non accepturum confidimus. Neque verò meritas ab iſtis pœnas expeti, tua tantùm aut noſtra, ſed publici exempli & humanæ ſocietatis, intereſt, quam Petrus-claudius cum ſuis, quantum in ſe fuit, ſoluit.

Poeni ceteríque Afri fidem ac fœdera quoties commodum erat, frangebant. Itaque Punica fides vt illis quondam exitio fuit, etiam vulgò hodie infamis eſt. Romanis contrà adeo ſancta erat fides, vt eam fallere etiam hoſti peius omni peſte fugerent. Vtinam hæc laus meritò à nobis Petro claudio eiúſque ſociis tribui poſſet: quibus adeo vilis promiſſorum veritas & fides fœderum fuit, vt ad eam violandam ſacrum Dei nomen vertere veriti non ſint, ac ſi eum in ſcelerum ſuorum ſocietatem adſciſcere vellent. Deum equidem non ignoramus, interdum improbis frena laxantem eorum quoque opera vti, ſiue ad nos caſtigãdos, ſiue vt ipſi iuſtum ſcelerum ſuorum aceruum, iuſtis pœnis materiem, cumulent. Idq́; ne iuſtitiæ ipſi⁹ & iudiciorũ obliti, paternã eius indulgẽtiã malè agẽdo fatigemus. Sed viciſſim hoc verũ eſt: vt idem ad opus hominũ ſcelera & Dei iudicia concurrunt: ita Deum

graues tandem ab impiis pœnas pro meritis exigere.

QVOD reliquum eſt (Chriſtianiſsime Rex) tot pupillorum orbitas, tot viduarum ſolitudo, ac iuſtæ noſtrûm omnium lacrymæ & ſqualor te moueant, qui parentes, qui fratres, qui propinquos, clientes tuos, per immane Petri-claudij ſcelus amiſimus. Liceat priuatarum iniuriarum obliuiſci: nihil ad te mala noſtra pertineant. Quid auguſto Regiæ maieſtatis nomine ſpreto, quid pollutis auſpiciis tuis, quid non fœderum modò fide, ſed etiam Iure gentium in legatis tuis violato, facies? Fortiſsimis viris, tribunis ac ducibus tuis, contra omne fas & belli commercia interfectis, non iura experiere, non arma capies? ſed horrendos iſtos carnifices tuorum ſtrage ouantes & ſuper impunitatem præmia etiam ferentes ſcelerum, tacitus intuebere?

MELIORA equidem de te ominamur & ſperamus (ô Rex) Deúmque ipſum Opt. Max. obnixè quęſumus vt verè heroicos in te ſpiritus excitet. Iſti cruentos à recenti tuorũ cæde gladios, manantia ſanguine ſpolia, & reliquias infelicis exercitus tui in Hiſpaniam ad triumphum & ludibrium deferunt. Quum ſibi tantum licere in tuis te ſciente ac vidẽte pulcrum ducunt, poſſúntne apertius demonſtrare quid facturi ſint, ſi teipſo potiantur?

QVAMOBREM, vt tuæ Maieſtati & Gallico nomini inuſtum dedecus meritis paricidarũ ſuppliciis deleas, generoſum & dignum te, dignum auis tuis, ſpiritum indue: Deo bene

iuuánte,

iuuante, ſubditorum tuorum cauſam ſuſcipe, ſuſceptámque qua potes ac debes fide tuere: vt coram toto Chriſtiano orbe tuam in protegendis ſubditis fortitudinem, tum etiam tuorum innocentiam, teſtatam facias. Nullo quidem maiore piaculo (ô Rex) tum innoxio noſtrorum ſanguini, tum iuſtæ iræ tuæ parentare potes, quàm latronum pœna: vt non tantùm cæſorum viduæ coniuges, propinqui & liberi deſiderium ſuorum & graues ſuos dolores eo ſolatio leniant: ſed etiam te omnes verè Regem tanto parem nomini, & Patrem populi tui, agnoſcant.

*

NOVI orbis historiæ libro secundo Benzo Hispanos monachos & sacerdotes, aliósque eorum exemplo colonos, in India ea interdiu committere scribit, quæ alios vel noctu perpetrare puduerit. Tantam fœditatem etsi premere quàm mouere multo satius fuerit: attamen quia isti tum in illis terris, tum etiam in hoc nostro orbe, nouam Sodomam instaurare parant, nisi maturè obuiam eatur: Georgii Buchanani, Poetæ clarissimi, graue & ἐπιτιμωρητικὸν carmen in Colonias illas Indicas huc attexere visum est: earum videlicet pœnarũ prænuncium, quæ istorũ capitibus cælitus imminent, ni seriò resipiscant.

IN COLONIAS BRASILIENSES.

DESCENDE *cælo turbine flammeo,*
Armatus iras Angele vindices,
Libidinum iam notus vltor
Exitio Sodomæ impudicæ.

En

En rurſus armis quod pereat tuis!
Luſtrum Gomorrhæ ſuſcitat æmulum
Syrum propago, & exſecrandæ
Spurcitiæ renouat palæſtram.
Pars illa mundi, quam ſibi propriam
Sedens dicauit mollis amœnitas
Luxúſque, ſub fœdis colonis
Seruitium tolerat pudendum.
Abominandis arſit amoribus
Strigoſus æſtu, pauperie & fame,
Glandis vorator, virulentum
E raphanis redolens odorem.
Quem (rêre) ponet nequitiæ modum
Frænis libido libera? & inſolens
Humanioris ferre victus
Illecebras meliore cælo?
O Chriſtiani infamia nominis,
O fœda labes & nota temporum!
O turpium turpíſque cauſa &
Exitus & precium laborum!
Ignota roſtris verrimus æquora,
Gentes quietas ſollicitauimus
Terrore belli, orbíſque pacem
Miſcuimus miſero tumultu.
Per ferrum & ignes & mare naufragum
Secreta rerum clauſtra refregimus,
Ne deeſſet impuris cinædis
Proſtibulum veneris nefandæ.

Gens illa nullos mitis in hoſpites;
Et ora victu aſſueta nefario,
Portenta conſpexit Cyclopum
Sanguinea dape fœdiora.
Nunc Scylla ſæuos exere nunc canes:
Nunc nunc Charybdis vortice ſpumeo
Conuolue fluctus, & carinas
Flagitijs grauidas reſorbe.
Aut hoſce tellus in patulos ſpecus,
Aethérve flammis perde ſequacibus
Turpes colonos, Chriſtianæ
Dedecus opprobriúmque terræ.

FINIS.

ELEN-

ELENCHVS, SIVE INDEX
rerum & verborum maximè insignium quæ in his Historiis tractantur.

A

B

G

H

I

Portus-

FINIS.

HISTORIA

NAVIGATIONIS IN BRASILIAM, QVÆ ET AMERICA DICITVR.

QVA DESCRIBITVR AVTORIS nauigatio, quæque in mari vidit memoriæ prodenda: Villagagnonis in America gesta: Brasiliensium victus & mores, à nostris admodum alieni, cum eorum linguæ dialogo: animalia etiam, arbores, atque herbæ, reliquáque singularia & nobis penitùs incognita.

A IOANNE LERIO BVRGVNDO Gallicè scripta. Nunc verò primum Latinitate donata, & variis figuris illustrata.

EXCVDEBAT

EVSTATHIVS VIGNON.

ANNO CIↃ IↃ LXXXVI.

ILLVSTRISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. VVILLELMO LANDGRAVIO HASSIÆ, Comiti in Katzenelbogen, Dietz, Zigenhaim & nidda, &c. Domino ſuo clementiſsimo.

SEXTVS iam ferè, opinor, agitur annus, Princeps Illuſtriſſime, ex quo doctiſſimus vir Caſſiodorus Reinius mihi ex vrbe Francofurto ſcripſit, ſe aliquāto antè cùm apud Celſitudinem tuam Caſtellis eſſet, ex te audiuiſſe, gratiſſimum tibi fore, ſi liber quem de Americana peregrinatione mea Gallicè ſcripſeram, amplificatus & Latinè conuerſus tibi legendus offerretur. Eũ enim ſemel à C. V. Gallicè perlectum propter nouitatem rerum, & hiſtoriæ mirabilitatem vehemẽter placuiſſe. Ac mihi qui-

dem audita iampridem erat incredibilis illa benignitas & mãſuetudo animi tui ſumma eruditione ac præſertim naturalis philoſophiæ, & hiſtoriarũ cognitione cõiuncta. Nã cùm illius libri mei capita, & memorialia quædam annis ab hinc ſexdecim clariſſimo Iuriſconſulto doctori Hotomano Celſitudinis tuæ ſtudioſiſſimo in oppido Caritea oſtendiſſem (quò propter furiales Galliæ tempeſtates confugeramus) memoria teneo illum ſæpenumero mirificum quoddã tuum in hoc literarum genere ſtudium prædicaſſe: neque ſe Principem vllum noſſe, qui vehementiùs harum rerum cognitione delectaretur. Quod idẽ nuper à me de Reinij literis conſultus multis verbis confirmauit. Ac ſanè acceptis illis literis ſi per tempus locúmque in quo tum eram (eram autem in Burgundia, vbi ſacro verbi fungebar miniſterio, ad quod ſumma Dei miſericordia ſum vocatus) mihi licuiſſet manus operi admouere breui tempore negotium confeciſſem. Magnopere enim cupiebam aliquid præſtare, quod Celſ. V. probaretur. Nunc verò in hoc nouo exilio meo, vt animi dolorem, quem ex renouata patriæ noſtræ laceratione concipio, lenirem, operam dedi, vt meus ille liber Latinè conuerſus, & multis partibus

*bus auctus, atque amplificatus ſub Illuſtriſ-
ſimi tui nominis auſpicijs euulgaretur.*

*Videbit autem celſitudo veſtra narratio-
nem prodigiorum, & mōſtrorum admirabi-
lem, ac ne mihi quidem, niſi oculatus teſtis
ipſe ac ſpectator fuiſſem, credibilem: ſed ve-
rè ac liquidò confirmare hoc poſsum, cùm
multa in illa vaſtitate Oceani monſtra vi-
derim, tum nulla vnquam æquè prodigioſa
vidiſſe, vt illa ſunt, quæ hodie terram olim
omnium amœniſſimam ac florētiſſimam in-
feſtant. Ita ſunt omnia perfidia, periurio,
ac ſceleribus oppleta. Annus iā agitur tri-
ceſimus, cùm Eccleſiæ noſtræ, buſtis atque in-
cendijs Galliæ vſtulatæ, refrigerij aliquid
ſeſe in mari medio & ſolis terris, locíſque
deſertis reperturas ſperabant. Inde Villaga-
gnonis cuiuſdam perfidia reiectæ, rurſus ſe
in portum, vnde exierant, contulerunt. Hîc
dici vix poteſt, in quàm immanes beluas
inciderint. Ac ſanè quis eſt qui audito cæ-
ſorum numero non perhorreſcat? numeran-
tur autem ad quaterdecies centena hominū
millia, qui per hos viginti quatuor annos
bellis ciuilibus interierunt. Sempérne igi-
tur, vt ille apud Salluſtium dicebat, in fuga
in ſanguine, in cruore verſabimur? Verùm
hæc perpetua Eccleſiæ Chriſtianæ conditio*

est, vt semper à Sathana, & Sathanæ ministris quamcunque se in partem conferat, vexetur. Animaduerti cùm sub ea cœli plaga nauigaremus, quæ vulgò Zona torrida dicitur, genus esse quoddam piscium volatilium, quorum mihi naturam & conditionem Ecclesiarum nostrarum calamitas in memoriam reuocat. Nam siue in aquam se immergerent, confestim à piscibus qui Albacoræ dicuntur, & magnitudine sunt vegrandi, crudeliter infestabantur: siue illius periculi vitandi caussa, ex aquis euolarent, tum à diris volucribus, quæ per illa spatia volitant, laniabantur. Simillima nostrarum Ecclesiarum conditio est. Sed tamen, vt Paulus ad nostrã consolationẽ scripsit, dum premimur, non opprimimur, dum ærumnis afficimur, non deserimur: dum deijcimur, non interimus. Quin potiùs prout abundant ærumnæ & perpessiones Christi in nobis, ita per Christum abundat etiam consolatio nostra. Fugamur quidem & plagis cædimur, atque incertis sedibus vagamur: propter Christum interficimur totos dies: habiti sumus quasi oues destinatæ mactationi. Sed hoc certissimo solatio nos sustentamus: idcircò laboramus & contumelijs afficimur, quia speramus in Deo viuo, qui fidelium suorum

2.Cor.4.8.9.

2.Cor.1.5.

1.Cor.4.10.

Rom.8.35.

1.Tim.4.10.

conser-

conseruator est.

Atque optamus quidem ex animo, & Deum toto pectore obtestamur, vt vestras Ecclesias Germanicas, & pios earum Pastores pari consolatione ac Spiritu suo Paracleto sustentet. Sed cùm diuturnum istud quorundam otium & tranquillitatem consideramus, vereri nobis interdum subit, ne vetus illud Poetæ aliquando vsurpare possint:

Nunc patimur longæ pacis mala: sæuior armis
Luxuria incubuit, victúmque vlciscitur orbem.

Nam vt ferrum, si non vtare, rubigine contaminatur: ita vera religio plerũque nimio otio & diuturnitate pacis, & quasi torpore corrumpitur. Quod ne vnquã in Hassicis Ecclesiis accidat, quas Deus tuæ, Princeps Illustrissime, fidei credidit, atque commendauit, spero Celsitudinem vestram pro sua perenni & constãti pietate curaturam: præsertim cùm illam semper audiuerimus Ecclesiarum nostrarum studiosissimã fuisse: tantámque doctrinæ concordiam, quãta inter omnes earum pastores elucet, semper adamasse. Quò lubentiùs in hac præfatione Illustrissimo tuo nomini dicata, sum adductus, vt earum omnium nomine Celsitudi-

nem tuam obſecrarem, ne curam earũ primũ ab Illuſtriſſimo, & beatæ memoriæ Principe parente tuo PHILIPPO *ſuſceptã: deinde tibi tanquam hæreditariam ab ipſo traditam, & commiſſam deſertam eſſe patiare: ſed eam & pietati tuæ commendatã memineris, & Illuſtriſſimo Principi* MAVRITIO *Celſitudinis tuæ filio, ſpei heroicæ adoleſcenti, commendes. Pro mea verò virili parte, Princeps Illuſtriſſime, à tua Celſitudine peto, quæſóque primùm, vt hoc meum munuſculum qualecunque meæ erga te beneuolentiæ pignus, hilari fronte bonámque in partem accipias. Deinde, vt me patiare in tuorum, tuæque Celſitudini addictorum numero locum aliquem obtinere, quo ne vnquam indignus videar, ſedulò quãdiu vita ſuppetet, operam ac ſtudium adhibebo. Vale Illuſtriſſime ac & potẽtiſſime Princeps. Cal. Febr. 1586.*

Illuſtriſs. Celſit. veſtræ

addictiſsimus.

I. LERIVS.

Εἰς Λεραῖον.

Ἐν δοίῃ μάλα θυμὸς ἐμοὶ φίλε, πῶς σ' ὀνομήνω,
　　Ἠὲ Λαερτιάδην, ἠὲ Μελησιγένην.
Πρὶν γὰρ πολλὰ πάθες τ' εἶδές τ', ἰδὲ πόλλ' ἐπαληθεὶς
　　Ὄψ' ἀπενόστησας, ἄλλος ἐὼν Ὀδυσεύς·
Οὐ μέντοι πτολίπορθος ἐών. μᾶλλον δὲ πολίτας
　　Κείνους ποιήσων, οὕσπερ ἵκοιο, Θεοῦ.
Νῦν δ' αὖ Ὠκεανόν τε λέγων καὶ πείρατα γαίης,
　　Καὶ Λαιστρυγονίην, οὐλομένους τε ἀνέμους.
Κύματά τ' ὀκειόεντα, ἀπολλυμένους τε ἑταίρους,
　　Πῶς οὐκ ἄλλος ἔφυς φίλε Μελησιγενής;

Is. Caſ.

AD IOANNEM LERIVM AMERICANÆ HISTOriæ Scriptorem.

IGNOTAS quondam & nostro procul orbe remotas
Gentes, monstrosa Barbariéque feras,
Stridentésque sonos linguæ, ventrésque nefandos,
Humanis saturos carnibus, ecce, refers.
Credo equidẽ, Lerœe: Doces nam visa. Sed euge,
Te dignum nodum vindice solue precor.
Talia, dic, portenta hominum, tam rara benigni
Temperies cœli num generare queat?
Et quos inculta mites creat arbore fructus,
Mite solum indomita fertilitate nitens?

Horrida Monstra hominum, quæris, num gignat amœna
Temperies cœli, fertilitásque soli?
Gignit. Sed causas doceant qui semina rerum,
Quíque arcana tenent interiora viri.
Num maiora vides hominum portenta creari,
Qua cœlum multò mitius atque solum?
Testis culta nouem studijs Europa sororum,
Quæ toto, princeps, erigit orbe caput.
Hîc quã horrẽda vigẽt pudeat memorare, libellis
Vt possit nostris maior adesse fides.

I. I. B.

IN

IN HISTORIAM AMERICANAM AB IOANNE Lerio Conſcriptam.

IMMANES mores tu qui audis & effe
ra monſtra,
Quæ fert terra orbis nomine dicta noui:
Miraris pectus pluſquàm geſtare ferinum
Humanos vultus, oráque ſueta polo.
Primorum ſunt hæc noxæ monimenta parentum,
Infecit triſti quæ genus omne labe.
Hinc veri quondã ſimulachrum numinis, amens,
In ſæuas meruit degeneraſſe feras.
Sunt quibus indulſit cœli clementia larga,
Vnde foret cultu mitius ingenium.
Cultior his mores, ni vitæ temperet vſus,
Omnes conſimilis barbaries teneat.

ST. T.

IN IOANNEM LERIVM EIVSQVE DE AMERI-cana peregrinatione historiam.

TANTA noui Leræe refers miracula mundi,
Támque nouas rerum, tamq́; hominum facies,
Vt cupiam lustrare oculis iam singula, ni me
Terreat vnda furens, Barbariésque virum.
Atqui tolle moras, cupidum pérque omnia deduc:
Nobis Oceano sat via tuta patet.
Tutò inter sæuos, humanáque viscera flammis
Torrentes, fas est viuere læstrigonas.
Oceanum rabie superat gens Galla furentem,
Et superat sæuos, barbara, læstrigonas.

G. M. N.

TOTIVS HISTORIÆ SVMma capita.

Præfatio qua Theueti errores ac fraudes coarguuntur.

Cap.

Cap.

Cap. XV.

Cap. XVI.

Cap. XVII.

Cap. XVIII.

Cap. XIX.

Cap. XX.

Cap. XXI.

AVTORES IN HAC HIstoria citati.

Biblia sacra.
Iosephus.
Eusebius.
Nicephorus.
Plutarchus.
Cicero.
Ouidius.
Appianus.
Osorius.
Gomara.
Benzo.
Calchondilus.
Viretus.
Hist. Ecclesi. Gallica.
Matthiolus.
Bodinus.
Popelinerius.
Theuetus refutatus.

IOHANNIS LERII IN HISTORIAM SVAM PRÆFATIO,

Qua Theueti errores ac fraudes præcipuè coarguit.

MIRABVNTVR fortaſſe nonnulli, quòd cùm annus hic ſit decimus octauus, ex quo ab America, quæ & Braſilia, redij, tãdiu hiſtoriã hãc in lucẽ edere diſtulerim. Idcirco operæpretium facturum me exiſtimaui, ſi ſtatim quibus fuerim cauſis præpeditus exponã. Cùm primùm in Galliam remigraui, & eos quos in ipſa America Braſilica Rubrica conſcripſeram cõmentariolos (quibus quidquid obſeruatu dignum fuerat viſum annotatum erat) cũ quibuſdam cõmunicaui, vlteriùs progredi animus non erat. At illi crebris flagitationibus vrgere, vt ea quę tumultuariè & paucis exarauera m, fuſiùs & ordine conſcriberem: ne, inquiebant, tot & tanta memoratu digna, obliuione ſepulta interirent. Anno itaque 1563. in paulò ampliorem excreuerunt

commentarium: cuius exemplar vnicum vir quidam bonus, cui à me cõmissum erat, cùm ad me mitteret, ecce, Lugduni à custodibus portę est interceptũ, vt de eo recuperãdo quã tumuis diligenter perquisito spes nulla esset relicta. Inde factum est vt aliquantò post repetito ab exscriptore autographo, maculis liturísque obsito, ipse (excepto Americano Colloquio quod exstat huius libri capite 20. cuius exemplum supererat nullum) de integro descripsi. Quod opus vbi ad finem est perductum in Charitẽsi oppido, vbi tum degebam, bellicis tumultibus denuò imminentibus, fuga saluti consulere, libris chartísque relictis sum coactus. Quibus non multò post direptis, periit hic quoque alter Americanus commentarius: itaque sum labore meo & spe rursum fraudatus. Tandẽ cùm de priori illa iactura questus essem apud nobilem quẽdam nec infimæ authoritatis virum, designato illius quoque nomine cuius in manus commentariũ illum incidisse nũciatum fuerat, vsque adeò diligentem huic negotio nauauit operam, vt recuperatum Anno 1576. mihi apud se benignè excepto reddiderit. Sic factum est vt historiam hanc manus meas veluti fugientem adhuc edere nõ potuerim. Sed, vt ingenuè dicam quod res est, accedebant & alia quę me ab editione deterrebant, Quòd nimirum tenuitatis meæ mihi probè conscius eram, vtpote qui iis quæ in graui scriptore requiruntur instructus non essem:

tum etiam quòd, eodẽ quo ab America remi grauì Anno videlicet 1558, inciderat in man⁹ meas Liber Singul. Americ. à Portæo ex breuioribus Theueti commentariis seu potiùs commentis scriptus. Ac sanè quãuis non me latebat (quod Fumæus præfatione in Gener. Indic. Histor. apertè est professus) librum illum singulariter mendaciis esse refertum: Si eo contentus author vlteriùs non esset progressus, nunc etiam fortasse quicquid est huius opellæ à me fuisset suppressum.

At verò hoc Anno 1577. in Theueti Cosmographiam incidens (is forsitan nos omnes qui eò nauigassemus è viuis sublatos, aut si qui essent superstites aduersum se in arenam descendere non ausuros credebat) hominem animaduerti non modò pristinos errores renouare, sed etiam in nos fictis criminibus conuitiisque non ferendis digredi. Quod cur faceret, nõ alia est inductus occasione quàm ea qua feruet in Ministros, atque adeò nos omnes vnà cum illis in Americam deuectos maledicta congerere libidine. Hæc me propè inuitum, vt integram nauigationis nostræ historiam ederem pertraxerũt. Ne cui autem dubium sit iuréne an iniuria de nouo isto Cosmographo conquerar, calumnias quibus nos Cosmographiæ suæ Tom. 2. libr. 21. cap. 2. fol. 908. inspersit describere placet.

Cæterùm (inquit) *penè mihi exciderat, seditionem paulò ante ex dissidiis quatuor Ministrorum quos eò Caluinus miserat vt cruētum suum Euan-*

gelium plantarent exortam esse. Horum primarius nomine Richerius, ante annis non ita multis, Carmelita & doctor Sorbonicus Lutetiæ fuerat. Egregij isti Concionatores cùm eo demum studio tenerentur, vt diuitias ex re qualibet facerent, & quicquid ad manum esset raperent, clandestinis consiliis & factionibus effecerunt vt ex nostris quidam trucidarentur. Verùm capti sontium nonnulli pœnas dedere, quorum cadauera piscibus obiecta sunt. Alij verò fuga saluti consuluere, in quibus erat ipse Richerius, qui paulò post Rupellam, (quo in loco etiamnum agere existimo) Ministerio operam daturus appulit. Non multùm verò abfuit, quin hac tragœdia irritati Barbari impetum in nos facerent, reliquósque interficerent.

Hæc sunt Theueti verba quàm potuimus fideliter reddita: Ad quæ lectorem diligenter attendere velim. Cùm enim, neque ille à nobis, neque nos ab illo in America conspecti fuerimus, nedum vt nostri caussa in vitæ discrimen adductus sit, eum hac in parte nō minùs mendacem quàm impudentem egisse calumniatorem, indicabo. Priùs autem, quò viam præcludamus excusationi quam prætexere posset narrationem institutam non ad illud demum tempus quo in America vixit, sed ad consequens etiam referri, in primis quæro, an posint illius tam expressa verba alia ratione exponi, nisi vt particula (*nos*) quæ se in illo quoque numero fuisse satis indicat, eodem fuisse irretitum periculo affirmet? Si verò instet, in mentem sibi nunquam venisse

vt Miniſtros de quibus agitur in America à ſe viſos affirmaret, quid alio ipſe ſcribat loco videamus.

Cæterùm(inquit)*ſi diutiùs illic mãſiſſem, populi illius miſeri animas lucrifacere conatus fuiſſem potiùs quàm in fodienda terra eruendis à natura reconditis theſauris operam poſuiſſem: veruntamen tum quia eorum linguæ non ſatis eram peritus, tum etiam quòd Miniſtri à Caluino miſſi iſtud onus in ſe receperant, inſtituto deceſſi.* Apage hominem mendaciſſimum. Si autem bonus iſte Catholicus Romanus contempti à ſe ſeculi ex Franciſci Regula quã profitetur, aliud ſpecimen non edidit præterquam quòd Theſauros imis terræ viſceribus reconditos parui fecit: miraculúmque aliud nullum præter Barbarorum conuerſionem, quam niſi à Miniſtris fuiſſet impeditus erat tentaturus, poſtquam luce clarius falſum id eſſe demonſtrauero, metuendum ſanè eſt ei ne in Calendarium Papæ poſt mortem non referatur, néue Sancti Theueti nomine non decoretur. Cæterùm vt quicquid iſte garrit meras eſſe nugas commonſtrem, nolim diſputationem inſtitui an veriſimile ſit necne, iſtum (qui nihil non congerit vt ſuis ineptiis colorem inducat) Miniſtros ſilentio prætermiſſurum edito Sing. Americ. libro, ſi eos in America vidiſſet, nedum vt crimina patraſſent, quorum nomine eos tandem accuſat edita Coſmographia annis pòſt minimum 16. Conuincetur enim ſuo ipſius teſtimonio libr. Sing. Am.

Tom 2. lib. 21. cap. 8. pag. 925.

Libr. Sing. Amer. cap. 1. 24. 25. & 60.

ad Frienſe promõtorium 4. Idus Nouembr. Anno 1555. quatriduo verò poſt ad Ganabaræ ſinum appuliſſe: vnde exceſſit Anno cõſequente prid. Cal. Febr. Nos verò, vt in hiſtoriæ progreſſu docebo, ad Caſtellum Collignium nõniſi Nonis Mart. Anno 1557. appulimus. Quæ cùm ita ſint conſtétque ſatis annum & eo ampliùs à Theueti diſceſſu ad noſtrum aduentum interceſſiſſe, qua fronte conſpectu ſe noſtro illic vſum fuiſſe auſus eſt aſſerere? Annõ potuit intercapedo 400000. paſſuum tam graue periculum ab eius capite remouere? Potuit ſanè, at iſte Coſmographicè mentiri (hoc eſt vniuerſo orbi) geſtiebat. Iam verò, poſtquam primum hoc caput in illum retorſimus, nihil ſupereſt quod reſponſione indigeat. Attamen vt vno verbo quod ab iſto afferri poteſt expediam, ad ſeditionem illam quod attinet de qua ſermonem inſtituere voluit: Primum quidem, quamdiu in America viximus vllam ſubortam eſſe pernego, tantum abeſt vt noſtrûm quiſquã morte ſit affectus: ſi verò inſtet negari non poſſe quin à Villagagnonis domeſticis facta fuerit in eum cõiuratio, cuius inuidiã in nos deriuare conetur: Reſpondeo ante aduentum noſtrum contigiſſe, Quod vt conſtet euidentiſſimè, non defenſorem, non teſtem aliũ quàm ipſum Villagagnonem appello. Quapropter Epiſtolam, qua ad D. Ioannis Caluini literas à nobis in Americam perlatas reſpõdit, licèt iampridem fuerit excuſa, & ad fidem faciendam

dam, exemplar Brasilica Rubrica cõscriptum diligenter asseruetur, in vsum duplicem, hoc loco adscribere visum est: Primò, quòd ea refutatur Theuetus, Deinde quòd cuius religiônis professionem tũ temporis simularet Villagagno, luculenter indicat.

Villagagnonis ad Caluinum epistola.

Exprimi nõ posse puto, quo me affecerint gaudio tuæ literæ, & qui ad me vnà venere fratres: huc me redactum inuenerunt, vt mihi magistratus gerendus esset & munus Ecclesiasticum subeundũ. Quæ mihi res maximam anxietatem obtulerat. Ozias ab hac vitæ ratione me auertebat. Sed præstandum erat ne operarii nostri, quos mercede traduxeram, gentis adducti consuetudine, eius se vitiis contaminarent: aut religionis desuetudine, in ἀποστασίαν deuoluerẽtur. Quam mihi solicitudinem ademit fratrum aduentus. Adiecit hoc etiam commodi, quòd si qua ex causa posthac erit nobis laborandum, aut periculum incurrendum, non deerunt qui sint mihi solatio, & me consilio iuuent. Cuius rei facultatem abstulerat periculi nostri suspicio. Qui enim fratres mecum è Francia traiecerant, rerum nostrarum iniquitate permoti, alius alia causa illata Ægyptum repetiuerunt. Qui fuerunt reliqui, homines egentes, mercede conducti quos pro tempore nancisci potueram: eorum hæc erat conditio, vt

ab eis mihi potius eſſet metuendum quàm petendum ſolatium. Hæc autẽ huius rei cauſa eſt, vbi appulimus, ſimul omnis generis ſe nobis oppoſuere difficultates, vt vix inirem rationem quid potiſſimum eſſet agendum. Regio erat incultiſſima, nulla erant tecta, rei frumentariæ nulla copia. Sed aderant homines feri, ab omni cultu & humanitate alieni, moribus & diſciplina penitus à nobis diſcrepantes, ſine religione, honoris, virtutis, recti aut iniuſti nulla notitia, vt me ſubiret dubitatio an in beſtias humana ſpecie præditas incidiſſemus. Contra hæc incommoda, erat ſummo ſtudio & celeritate nobis proſpiciẽdum, & comparandum remedium, dum naues ad reditum inſtruebantur, ne eo ſubſidio deſtitutos indigenæ rerum noſtrarum cupiditate capti nos imparatos opprimerent & interficerent. Huc quoque accedebat Luſitanorum infida vicinitas: qui etſi quam incolimus regionem tueri non potuerunt, huc tamen nos eſſe intromiſſos ferunt ægerrimè, & inſano odio proſequuntur. Eam ob rem vno tempore hæc omnia ſe nobis agenda proponebant. Receptui noſtro locus deligendus, expurgandus, & complanandus, munitiones circumducendę, propugnacula excitanda, tecta ad impedimentorum cuſtodiam extruẽda, materia conquirenda, & aduerſo colle, locis impeditiſſimis, humeris ob beſtiarum penuriam comportanda. Præterea, quòd indigenæ in diem viuant & agriculturæ non ſtu-

ſtudeant, nullo certo loco cibaria congeſta reperiebamus, ſed erat victus noſter è lõginquo raptim petendus. Qua ex re manum noſtram (quantulacumque eſſet) diſtineri oportebat, & minui. His adducti difficultatibus, qui me amicitiæ cauſa ſequuti fuerant, rebus noſtris diffiſi (vt ſuprà demonſtrauimus) pedem retulerunt. Ego quoque nonnihil commotus ſum, ſed cùm mecum reputarem, amicis affirmaſſe me hac ratione è Francia mouere, vt quam curam rebus humanis impenderam, eius ſtudij comperta vanitate, regno Chriſti excolendo adhiberem, iudicaui me in voces & hominum reprehẽſionem incurſurum & nomini meo iniuriam facturum, ſi labor aut periculi opinio à cœpto me deterreret. Prætereà cùm Chriſti negotium gerẽdum eſſet, credidi non defuturum ſed ad fœlicem exitum perducturum. Ergo me confirmaui, vímque omnem ingenij intendi in rationem eius rei perficiendæ, quam ſumma vitæ meæ deuotione ſuſceperam. hac autem via id aſſequi me poſſe exiſtimaui, ſi vitæ integritate hoc meum propoſitum comprobarem, & quam operariorum manum traduxeram, ab infidelium conſortio & familiaritate auerterem. In eam ſententiam animo meo inclinato non ſine Dei prouidentia factum eſſe viſum eſt, vt in hæc negotia inuoluceremur: ſed ideò accidiſſe, ne otio corrupti libidini & laſciuiæ operam daremus. Prætereа ſuccurrit nihil eſſe tam arduum, quin conan-

do superari possit. Proinde ab animi fortitudine petendum esse auxilium, & continenti labore familiam exercẽdam, huic nostro studio Dei beneficentiam non defuturam. Itaque in insulam, duobus millibus passuum à continenti remotam transmisimus: ibíque domicilio nostro locum delegi, vt adempta fugæ facultate manum nostram in officio continerem, & quòd fœminæ sine viris suis non essent ad nos commeaturæ, delinquendi occasionem præriperem. Accidit tamen vt ex mercenariis 26. voluptatis illecti cupiditate, in meam necem conspirauerint: sed die constituta consilio exequendo, re mihi per vnum ex consciis enunciata, eo ipso momẽto quo ad me opprimendum armati admaturabãt, hoc modo periculum effugimus. Quinque è meis domesticis ad arma conuocaui, & aduersum ire cœpi: tum tãtus coniuratis incessit terror, tantáque perturbatio, vt nullo negotio facinoris authores quatuor qui mihi fuerãt designati corripuerimus, & in vincula coniecerimus. Eo casu reliqui consternati, positis armis delituerũt. Postridie vnum cathenis exoluimus vt causam suam diceret liberiùs: sed effuso cursu in mare se præcipitem egit, & suffocauit. Reliqui vt è vinculis causam dicerent adducti, sine quæstione vltrò exposuerunt quæ per indicem comperta habuimus. Vnus ex ipsis paulò antè à me castigatus, quòd se scorto cõiunxisset, iniquiore esse mente cognitus est, & ab se coniura-
tionis

tionis initium factum esse: atque scorti patrẽ muneribus deuinxisse, vt eum è nostra potestate eriperet, si scorti copula prohibere contenderem. Hic suspendio sceleris pœnas luit. Duobus reliquis delicti gratiam fecimus: ita tamen vt, in cathenis terram exercerent. In aliis quid esset peccati exquirendum mihi esse non putaui, ne compertum scelus inultum omitterem, aut si supplicio castigare vellem, cùm facinus ad multitudinem pertineret, nõ superessent qui opus à nobis institutum perficerent. Itaque dissimulata animi mei offensione peccatum condonauimus & omnes animo bono esse iussimus. Non ita tamen à solicitudine nos abduximus: quin quòd in vnoquoque esset animi ex studio, curáque sua diligenter venaremur. Et cùm labori eorum non parcerem sed assidua mea præsentia ad opus eos vrgerem, non solùm prauis consiliis viam præclusimus, sed breui tempore insulam nostram munitionibus & validissimis propugnaculis sepiuimus. Interim pro ingenij mei captu, eos monere & à vitiis deterrere non desistebam, atque mentes eorum Christiana imbuere religione, indictis à me manè & vesperi publicis & quotidianis precibus. Qua cautione & diligentia reliquam anni partem quietiorem habuimus. Cęterùm eam quam exposuimus curam, nobis ademit nauium nostrarum aduentus. hinc enim nactus sum viros, à quibus non solùm mihi sit minimè cauendum, sed quibus salutem meã

poſſim tutò committere. hac oblata mihi facultate, decem ex omni copia delegi, apud quos imperij noſtri poteſtatem depoſui, decernens vt nullæ res poſthac niſi conſilio gerantur. Adeo ſi quid in quenquam duriùs ſtatuerem, niſi conſilij authoritas & conſenſus accederet, infirmum eſſet & inane. Hoc tamen mihi reſeruaui, vt lata ſentētia ſupplicij veniam dare mihi liceat: Sic omnibus prodeſſe, nemini nocere poſſē. Hæ demùm ſunt artes quibus dignitatem noſtram retinere, tueri & propugnare conſtitui. Dominus noſter Ieſus Chriſtus ab omni malo te tuóſque collegas protegat, Spiritu ſuo vos confirmet, vitámque veſtram ad opus Eccleſiæ ſuæ quā longiſſimè producat. Fratribus meis chariſſimis Cephę, & De la fleche fidelibus plurimā ſalutem meis verbis velim impertias. Collignio è Francia Antarctica prid. Cal. April. 1557. Si ad Renatam Franciæ heram noſtram quicquam literarum dederis, hanc quæſo, meo nomine diligentiſſimè ſaluta.

Addita eſt inſuper ad calcem huius epiſtolę clauſula Villagagnonis ipſius manu ſcripta, quam hoc loco pręcidere non dubitaui, quia in ſequentibus aduerſus ipſum afferēda erit. Nihilominus tamen ex his quæ adſcripſi conſtat ſatis debacchatum falſiſſimè Theuetum in nos, quos affirmat in Caſtello Collignio ſeditionis authores extitiſſe. Patet enim quo tempore exorta eſt, eò nondum nos appuliſſe. Quapropter mirari ſubit vſque adeò di-

digreſſionem hanc homini placere, vt pręter ea quæ iam attigimus vbi de Scotorum fide verba facit quaſi libidinem non poſſit explere, ſic denuò ſcribat.

Quorum fides mihi quoque eſt perſpecta in quibuſdam tum nobilibus tum militibus, nobiſcum in Galliam Antarcticam tranſportatis, coniuratione contra nos facta à Neuſtriis quibuſdam, qui ob barbaræ gentis illius ac propè rationis expertis linguæ peritiam, cum Regulis duobus ſpe prædæ adductis de nobis perimendis conuenerant: cuius cùm facti eſſent certiores Scoti, rem totã Villagagnoni mihíque indicarunt. Pro quo ſcelere meritas dederunt pœnas coniurati: quorum in numero cùm eſſent Miniſtri à Caluino miſſi, participes ſupplicij facti ſunt, in mare ſiquidem ſunt demerſi.

Tom. 2. libr. 16. cap. 8. fol. 665.

Rurſum Theuetus, hoc loco quid ſibi velit ignorat. Is enim tria facinora confundit quorum vnum ementitum, à me priùs eſt refutatum. Quæ ſuperſunt duo, diuerſis temporibus contigerunt. Tantum igitur abeſt vt Scoti coniurationem ipſi indicarint : quin imò cùm ex eorum eſſet numero quos eo nomine accuſat Villagagno quòd in Aegyptum, hoc eſt ad Papatũ rediiſſent (ex quo etiam colligere licet eos omnes quos ſibi ſocios adiunxerat de nomine religioni dando quam tum ſtabilire profitebatur, fidem obſtrinxiſſe) non magis ſecundo hoc & vero quidem periculo, quàm priore fictitio & ementito eſt periclitatus. Ad tertium quod attinet, quo affirmat *nonnullos ſeditioſorum Ri-*

cherij sociorum extremo supplicio affectos, eorúmque cadauera piscibus obiecta fuisse. Respondeo nihil minùs veritati consentaneum, eo præsertim quo à Theueto narratur modo. Quãuis enim à Villagagnone postquã à veræ religionis professione defecit pessimè excepti fuimus: nihilominus tamen, quòd viribus nõ esset superior, in nostrûm nullum ante discessum Philippi & Richerij, quibuscum sum regressus manus iniecit: quin cùm vi retinere nos neque auderet nec posset, ipsius cum venia, fraudulenta tamen, dimissi sumus. Hoc quidem verum est, vt alibi dicetur, quinque ex nostris postquam octauo die naue afflicta ægrè naufragium euasimus, scapha vectos Americam repetijsse. Quorum tres in mare præcipites dedit: non quòd vllius essent seditionis rei, sed (vt testatur Martyrum historia) propter Euãgelij professionem quam abiecerat Villagagno. Porrò, si non malignè saltem imprudẽter, in eo nõ minùs peccat Theuet⁹ quòd Ministros fuisse istos asserit, quàm cùm quatuor Ministrorum missionem vni Caluino tribuit. In quo rursum dupliciter errat: Constat enim Pastorum electiones in Ecclesiis reformatis iuxta disciplinæ apud illas constitutæ normam fieri, nimirùm consensu complurium ad hoc electorum populóque probatorum, ac proinde non vni cuiquam veluti Papæ permitti. Ad numerum quod attinet, plures duob⁹ Richerio & Charterio tum temporis (nec vllos credo posteà)

cò

eò nauigaſſe dici non poteſt. Si tamen inſte-
ſe vſque adeò de rebus iſtis ſcrupuloſè non
egiſſe quin eos omnes qui nauigarant facilè
Miniſtros appeller, Reſpondeo, quemadmo-
dum ſatis nouit in Eccleſia Romana non ſin-
gulis hominibus vſuuenire vt Franciſcani di
cãtur, ſic (abſit verbo inuidia) nos reformatos
quibus confuſionem à nobis arcere eſt in vo-
tis, non omnes fungi Miniſterio. Cæterùm
quia non minùs honorifico Miniſtri titulo
quàm falſo ſeditioſi Richeriũ ornauit. (con-
cedo etiam liberaliter Sorbonicum doctora-
tum ab illo fuiſſe procul abiectum) mali for-
taſſe conſulet nullam ſibi gratiam à me re-
ferri, Franſciſcaníque demùm decorari no-
mine: placet vt illi gratificer Coſmographũ
nominare, nec eum vulgarem ſed vſque a-
deò generalem vt, quaſi in hoc orbe deſint
obſeruatu digna, lunarem adire non dubitet,
vnde nugas in ſuos libros tranſferat. Quæ
me non mediocriter commouent, (Gallus
enim ſum, Regíſq; mei famę ſtudioſus) pręſer
tim quòd hic non modò Coſmographi Regij
nomine inſtitus, ſtipendiiſque peſſimè collo-
catis ſit auctus: ſed etiam quòd nugas ne epi-
ſtola quidem dignas regia autoritate prote-
ctas in vulgus emittat. Ne quid autem eo-
rum quæ ab illo dicta ſunt intactum relin-
quam, quamuis id reſponſione indignum iu-
dicem, quod, dum alios omnes Frãciſci pede
metitur, cuius fratres, cuiuſmodi eſt Theue-
tus, in ſuas peras latioréſque manicas nihil

non conijciunt, ſcripſit *Miniſtros in Americam appulſos diuitiarũ ſtudioſiſſimos, quicquid ad manum veniret rapere ſolitos* : tamen quando iſtud (tam verũ quàm Franciſcanorum Alcorani ementitæ fabulę) aliud nihil eſt quàm vltrò ad certamen eos prouocare, quos in America nec vidit vnquã, nec ab illis vlla eſt contumelia affectus, ex eorũ cùm ſim numero, ſpicula quæ in nos vibrauit vt regeram, agè, alias hominis ineptias detegamus.

Atque vt illum nonniſi ſuo iugulẽ gladio, Quid iã ad hæc reſpõdebit, quòd cùm Sing. Amer. libr. totidem ſcripſiſſet verbis, *ſe triduo tantùm in Friẽſi promontorio mãſiſſe*, tomo verò Coſmographię ſecundo aſſerere non dubitet *ſe in eo loco aliquot menſes egiſſe*? Si ſaltem vnum dixiſſet menſem, diéſque illic eſſe ſeptimana noſtrate paulò longiores, fidem adhibere ſi qui voluiſſent liberum fuiſſet : ſed nondum (quod pace illius dictum ſit) dies ſub torrida Zona longiſſimos in menſes noſtrates tranſmutari didicimus. Cæterùm iſte lectoribus illudere perſeuerat : quamuis enim à me in ſuperioribus ſuo ipſius teſtimonio ſit conuictus non vltra duos menſes cum dimidio in America vixiſſe, nimirũ à 3. Id. Nouembris Ann. 1555. ad prid. Cal. Februar. conſequentis anni, quo quidem tempore, quãtum accepi, vix ac ne vix quidem ab ea inſula quæ à Villagagnone muniebatur exceſſit, tamen tam longè latéque ſermonẽ diffundit vt non modò eum vidiſſe, audiſſe ac obſeruaſſe tot popu-

Cap. 24. fol. 21.

lib. 21. cap. 4. fo. 913.

pulorum mores quartam illam Mundi partem incolentium, ſed etiam tractum omnem Indiæ illius Occidentalis ab ipſo pedibus menſuratum fuiſſe credas: cui tamen labori, ne decem hominis ætates ſufficiant. Ac ſanè nullus erat ex Neuſtrijs interpretibus, quorum tamen nonnulli iam nouem illic annos exegerant, qui ſe vltra 80. paſſuum millia progreſſum fuiſſe diceret: tum quòd deſerta loca & inacceſſa paſſim occurrant, tum ob *Margatium* metum (qui non procul à Tonoupinambaulſijs, abſunt) Nilominus tamẽ Theuetus affirmare non veretur ſe 120. paſſuum millia & eò ampliùs iter feciſſe per ſyluas impeditiſſimas interdiu noctúque cum Barbaris, obuia tamen fera à qua læderentur nulla. Ego verò huic poſtremo de feris facilè fidem adhibeo: Eum enim tam fuiſſe à ferarũ inſultibus ſecurum auſim affirmare, quàm ab ſpinarum rupiúmque incommodis immunem. Illud verò quis non miretur, quòd alicubi iactat, *ea quæ de Barbarorum moribus ſcribit compertiora ſibi fuiſſe, poſtquam eorum idioma didiciſſet.* Cuius tamen adeò obſcurum edit ſpecimen vt vocem, *Pa*, quæ ſonat, ita, interpretetur, *tu quoque.* Hoc igitur in præſentia obſeruare libet, vt non minùs appareat quæ ſit iſtius, quoad idioma Barbarorum, peritia, ac in ſequentibus patebit quanto ſit pręditus iudicio: qui non dubitarit ſcribere ante ignis vſum fumo vti Barbaros conſueuiſſe: Viderit igitur ánnon potiori iure ab eo irridebitur à

Ibid. cap. 5. pag. 916.

Bellefore-stius Epistol. dedicat. Cosmograph. suę præfixa.

quo eo nomine accusatur, quòd vbi duos aut tres menses apud quosdam populos egit horridas quas didicerat voces in medium afferat, quã linguæ istius peritiã sibi arrogauit. Ergo, quisquis es, caue ne diligentiùs percõteris, sed iis indubitatam fidẽ adhibeto quæ confusè de Americanorum lingua effutiet Theuetus. Ille enim suum *Mair momen* & *Mair pochi* in medium afferens, strenuè tibi imponet.

Quid verò dicẽdum, quòd adeò vehementer eos increpet, qui Americam Indiæ Occidentalis nomine vocant? vult enim franiæ Antarcticæ nomen quod illi imposuerit immutatum remanere, (quam tamen nominis impositionem sibi cum Gallis omnibus qui eò cum Villagagnone essent trãsportati communem facit) Ipse verò eam multis in locis Indiam Americanam nominet? In summa etiamsi sibi ipsi non constat, si quis castigationum & refutationum quas alienis laboribus adhibet rationem habere velit, dicat cæteros omnes rerũ omniũ ignaros, vnum verò Theuetũ cucullatum singula oculis perlustrasse..

Sing. cap. 1. pag. 2.

Iam enim præsagio, si quid, hęc nostra legens, animaduertat à se quoquo modo delibatum, statim futurũ vt, pro suo more próque sua arrogantia, in has voces erũpat: heus tu, mihi hoc es furatus. Etenim si Bellesorestius ille, non solùm ὁμότεχνος ipsi, sed & qui istius Sing. Amer. librum Ode prolixa cohonestarat, effugere non potuit quin à Theueto,

ueto, infelix Philosophus, & miser tragicus, per contemptũ crebrò sit nominatus: Si, inquam ferre non potest Theuetus vt Cosmographus alter, qui non rarò, nihilò tamen aptiùs quàm ipse, inuehitur in miseros Hugnonottos secum conferatur, quid mihi, tenui meo calamo immanem hanc colossum aggredi auso? Dubium sanè non est, quin vbi se suis coloribus depictum à me videbit, instar Goliathi illius, diris deuouẽdo me, quasi deuoraturus inhiet, Papæque fulmina iaculetur in me, meúmque hoc opusculum. Atqui licet aduersum me vi Patroni sui Francisci iunioris, ab inferis Quoniambecum suum excitare posset quem duobus tormẽtis æneis onustum quasi tutò hæc displodere posset in sua Cosmographia depingendum curauit, cœpto non desistam, quinimmo in sequentibus, quibus potero modis insequar, quin confido fore vt pręclaram illam suam Henricopolin quam in mediis nubibus Americanis fundauit diruam deleámque. Sed dum ad certamẽ me instruo, dúmque monito per tempus licet vel ad impetus nostros sustinendos apparari, vel etiam si volet in deditionem venire, lectorem rogatum velim vt illud cõdonet quod dum istius nugas, quæ huic nostro opusculo edendo occasionem præbuerunt, suis ipsius scriptis refello paulò fuerim prolixior. Ac sic tãdem finem impono licet, ex quo primùm editus est hic liber, admonitus sim à quodam tum in Papatu degente, nunc verò,

Lib. 21. pag. 952.

abiecta cuculla, ministerio in Ecclesia reformata fungēte, à Theueto in Patriā meā se missum fuisse, quò in me vitámq; meā inquireret, nec defuisse quosdā veræ religionis professionem præ se ferentes qui ea in re suam operam præstare pollicerentur. Hinc fit vt, quod alias dixi, denuò repeto, cùm ne Theuetum viderim quidem, ne dum vt me priuatim offēderit vnquam, nullo alio studio nulláque alia de causa illi me obstitisse, nisi vt criminationes, amouerem quibus Euangelium eiúsque primos in America præcones est insectatus. Idem dictum velim impuro illi Apostatæ Launoeo qui lib.2. quem vt Apostasiam suam confirmaret edidit eò vsque impudentiæ deuenit, vt scribat Ministros, etiamsi de religione nulla esset mentio, in scriptis suis non abstinuisse quin doctissimos quosque viros, in quibus Theuetum ponit, morderent. Atqui apparet quo loco à me est refutatus cum ex professo reformatam Religionem, quíque eam profitētur lacessiuisse. Quare impudentissimus omnium hominum Launoeus, qui me sibi (vt ait) probè notum (in quo à vero longissimè abest, neque enim Dei beneficio commercium mihi vnquam fuit cum illo) mendicum appellat, quíque ipse in Papali culina mendicus, Christo, vera aquarum perennium scaturigine relicto, ad putidas Papæ cysternas potum redijt, de Papatu fortiter tuendo cogitet, donec ipse suíque similes, postquam inutilem suam operam

Antichristo laboriosè nauarint, tãdem debitam mercedem reportet, atque ita corã Deo, & hominibus miserrimus euadat. Sed ad rem vt redeam. Respondeat, si libet, Theuetus quæ aduersus ipsũ scripsi veráne sint an falsa, hic enim est rei cardo, Ne autem subterfugia captet ex inquisitione in me vitámque meam. Me autem non minùs atque ipse, Cosmographus sit licet, exerto capite incedere norit. Porrò si quid à vero alienũ afferat expectet à me ex suis ipsiùs scriptis tam solidas refutationes, vt nõ opus sit in Americã vsque excurrere quo cuius sint farinæ iudiciũ fiat.

Hoc tandem loco prima huius libri editione refutandis Theueti nugis finẽ imposueram: Hoc tamẽ testatus, vt nuper dixi, si quid à vero alienum proferret, responsum à me portaturum. Atqui quemadmodum olim calumniæ impudentissimæ quibus nos iam antea insectatus fuerat, nimirum quòd illũ perimere in Castello Collignio voluissemus, ex quo tamen vt antea demonstratum est, ante aduentum nostrum excesserat, me vt aduersus ipsum hæc scriberẽ pertraxerunt, ita vt si à mendaciis illis & calũniis abstinuisset quęcunque in ipsum dicta sunt, à me fuissent vt πάρεργα omissa: sic etiam nunc postquam non modò non respondit prout erat admonitus sed & ita furiosè in me egit lib. virorum Illustrium ab eo nuper edito, vt arrepta ex eo occasione quod paucis à me de *Quoniambeco* suo dictum fuerat, nihil minùs quàm apposi-

Cap. 149.

Prouer.26.4. tè de me detraheret: Ex Salomonis pręscripto, qui stulto secundũ stultitiam suã respõderi iubet, perficiam vt hic qui vltrò me iterùm lacessiuit meritos audaciæ successus experiatur. Ne autẽ præpostero ordine agam, quod illi omnibus in scriptis est familiare, & disputationem hanc aduersus ipsum recto ordine instituam, moréque meo istum continuo suo gladio iugulem, ipsius verba describere pergã. Quandoquidem igitur Quoniambecus ille post mortem vsque adeò est à Theueto laudibus ornatus vt optimo iure felicior dici hac in parte possit quàm fuerit Alexander Magnus, qui tãto Homeri flagrabat desiderio qui suarum laudum pręco esset. Agè alterum laudum eius pręconiũ à Theueto in libro Sing. Ameri. conscriptũ, quod lepidissimè his verbis est exorsus audiamus. *Vt autem fidem faciã Americanos rarissimis & exquisitissimis tam animi quàm corporis, encausto floribúsque ornatos esse, vnum horrendum illum Quoniambecum in mediũ proferre volo, de quo verba facere meritò possum: qui illum vidi, audiui satísque otiosè obseruaui ad flumẽ Ianariũ quod est ad 23. gradũ vltra Æquatorem situ citráque polum Antarcticum ad gradũ* 66. *cum dimidio.* Ad hæc inprimis lectorẽ attendere velim, valeátne hæc consecutio ánnon. Theuetus vidit, audiuit, satísque otiosè obseruauit horrendum suum Quoniambecũ: ergo Americani encausto & floribus rarissimis exquisitissimísque cùm animi tũ corporis sunt ornati. Omitto quod

quod hominibus encausti florúmque tribuit ornatum, qui aptiùs aruis, pratis, picturis, rebus denique metallicis arte affabrefactis tribueretur. Optimus itaq; Dialecticus vix magno labore pręclarum istud argumentũ Theueticum confirmaret, cui tamen mendacium conclusionis vice apposuit dum affirmat me voluisse flumẽ, quod ipse appellat Ianarium, ego Geneuram ad 23. gradũ citra polum Antarcticum collocare. Ex iis enim apparebit quæ 7. huius lib. cap. de hac re dicentur, non modò istud à me nõ scriptum esse, sed nusquã mihi in mentem venisse. Sed sicut optimè quidam obseruauit Theuetum floridam Regionem cum aliis cõiungere quæ interuallo plus quàm decies centenũ passuũ milliũ inter se distãt, & vice versa alias proximas ab ea remouere: Sic etiam in historiarum narratione mentiri illi est tam familiare vt nihil suprà. Quæ cùm ita sint pudeat censorẽ istũ eos insectari quos falsi cõuincere non potest. Addit *Quoniambecum statura non multum à Gigantibus aliena fuisse, corpore prægrãdi, nec minùs crasso, viribus non vulgaribus, quibus etiam præcipuè ad hostes perdomandos inque suam potestatem redigendos vtebatur*. Huius historiæ cap. 8. qua sint statura Americani, è quibus fuit iste *Quoniambecus* demonstrabo: interim dicam obiter eã respectu nostri prodigiosam censeri non debere. De *Quoniambeco* quod attinet, etsi non eo inficias quin sæpe ab Interpretibus Neustriis, qui vnà nobiscũ erant in Castello Col-

vide Histor. Florid. cap 3.

ſignio audierim iſtum *Quoniambecum* (quem frequentiùs quàm feciſſet Theuetus viderāt) inter fortiſſimos recenſeri ſolitum, tamen à nemine vnquam pro gigante, neque gigãtea ſtirpe prognato, eſt habitus. Nec ſanè ad giganteam ſtaturam propiùs accedebat, quàm ſolent grandiuſculi qui circumſpici inter nos ſolent, homines, in quibus ne prægrandem illum & iam fama ſatis notum, Pariſienſem fabrum ferrarium alióſque conſimiles cōprehenderim. Itaque apparet Theuetum etiam hac in parte lectoribus impoſuiſſe. Idē quoque facit cùm addit quæ ſequūtur de Barbari iſtius *eminētia, qua præ cæteris omnibus conſpicuus erat, quódque hoſtes ſuos ſibi ſubijciebat.* De ſubiectione Barbarorum ſuo loco dicetur non niſi voluntariam eſſe, nullámque aliam præter cultum & honorem quo Iuniores ſolent eos proſequi qui prouecta ſunt ætate, à quibus quòd rerum experientia ſint præditi in bellum deducuntur, hoſtibus verò ſubiectionem aliam non imponunt præterquam quòd, vt Cap. 15. dicetur, poſtquam in vinculis quantum temporis viſum fuerit detinuerunt, eos mactatos vorant. De eo quod addit Theuetus *Quoniambecum vſque adeò viribus valuiſſe, vt dolio vini in vlnis comportando par eſſet*, vtrique iſtorum perforandum & ebibendum relinquo, cùm vt tanto onere leuetur fictitius iſte Vulcanus, cuius humeris cōtinuò impoſita ſunt ænea tormenta duo, tum vt, fugatis hac ratione hoſtibus, genio indulgeant.

geant. Quæ tamen fuga inſciis Deo & hominibus contigit: ac proinde, quod tamen perſuadere nititur Theuetus, nulli vnquam hominum riſum commouit. Meritò itaque ſubiungit, *Hiſtoriam non profectò vulgarem*, (debuit addere nec veram) *nec cuiuis familiarem, ijs tamen qui bono naſo fuerunt præditi nō erit difficile perſuadere rem iſtam ab eo perfici potuiſſe, habita præſertim ratione roboris tāti corporis*. Per me ſanè, ſi qui ſint qui naſo credere aut velint aut poſſint, licet: at ſi pars illa olfactui eſt aptior, vulgóque apud nos bono eſſe naſo de canibus dicatur, quibus nos comparare videtur Theuetus, dignus ſanè eſt cuius naſo plagæ infligantur. Atque hæc pro reſponſione ſint ad ea quæ addit, *mihi non poſſe perſuaderi Barbarum illum, eo modo humeris ſuis tormenta duo imponere potuiſſe, nihilò veritum, vt eorum repercuſſione læderetur*. Quibus aſſentior non inuitus: nam neque perſuaderi iſtud mihi poteſt, nec fidem vllam habeo. Nec ſanè habebunt ij omnes qui, meliùs quàm faciat Theuetus, norunt humanos humeros arcium muris duritie non eſſe pares, ac proinde ne minoribus quidem tormentis diſplodendis aptos. Quare *licet mihi non ſit perſuaſum* (quod ineptiſſimo, hyperbolico ſermone mihi impingit) *oſtrei mei teſtis, vniuerſa noui illius Orbis arcana recludi*: quod ſanè glorioſo & arroganti Theueto optimè conuenit, qui, vt antè dictum eſt, ſibi vni explorata omnia, reliquos verò rerum om-

nium ignaros esse existimat, admitto quod addit: *Nolle se experientia expugnare me*, (cuius nimirum prorsus est expers) *quamuis enim in meum conspectum non venerit is de quo fit sermo: rationi tamen obsequentem me non futurum, sine experientia stultorum magistra.* Inter quos (etsi longè aliter sentiat) non postremum locum obtinet Theuetus. Addit, *Non statim futurum vt causa vincam, quia non consequitur, si vel ego vel alij quipiam Quoniambeco similes non simus, à maximo illo rege* (putà regno experte) *ea non fuisse gesta quæ de eo narrauit fideliter.* Ego verò respondeo, nec etiam futurum vt causa cadam: cuius tamen controuersiæ lectori iudicium omne defero. Absit autem à me cæterísque, quos hoc loco innuit Theuetus, vt vllo modo bardum illum & ferum Quoniambecum referamus, cuius tamẽ gesta posteris tam sedulò mandauit Theuetus. Atqui me rursus lepida, sanè, hac inuectiua petit, *Ne autem diu multúmque in argumentis subtilioribus atque è Philosophiæ penu depromptis immorer, rem totam Lerius ipsemet confirmauit.* Tum claudicans vtroque pede subiungit argumentum. *Primò* (inquit) *dato nec tamen cõcesso, Libros quos sibi vendicat ab ipso fuisse conscriptos, nimirum de obsidione Sancerrana, déque in Americam profectione, quamuis ij omnes quibus est notus* (*in quibus est Spinæus qui duodecim annos in America eodem tempore quo Lerius vixit*) *non possunt adduci vt credant ab eo conscriptos fuisse.* Deus bone, quis est qui audi-

ta tam acuta Philoſophia non obſtupeſcat! Theuetus Leriũ ſibi ipſi committit! Enimuerò ſi,ex vnguibus Leo,vt eſt in prouerbio, apparet profectò iſtum ingenio præditum eſſe incude obtuſiore. Quis enim iſthæc conuertat, *Non concedit libros, quos de Sancerrana obſidiõe, & de profectione in America edidi, à me ſcriptos fuiſſe.* Quid ita vero? *Quoniam*(inquit) *qui me probè norũt adduci nõ poſſunt vt credant, libros illos, induſtria mea fuiſſe elaboratos*. Notandum itaque eſt inprimis, Theuetum, qui ſuo marte, vix ac ne vix quidem, vnam aut alteram paginam accuratè ſcribere poteſt (vtitur enim quorundã iuuenum eruditorũ opera in ſcriptis ſuis ornãdis, quod mihi à iuuene quodam cuius opera vſus erat, eſt renũtiatũ) quíque alieno labore expolitas narrationes ordine digerere noſcit, cęteros ſuo metitur pede. Quare hæc in Theuetum ipſum, cui optimè quadrant, regero: teſtórque (quod ſine arrogantia dictum velim) ſcripta mea aliis expolienda nõ modò non dediſſe, ſed etiam eruditos quoſdam (quibuſcum ea communicaui, vt dignáne eſſent quæ ederentur ipſi diſpicerent) à grauioribus ſtudiis auocare religionem mihi fuiſſe. Quod verò addit *eorum qui me norunt nullos adduci poſſe vt credant tale quid à me ſcriptum fuiſſe*, in genere falſum eſt. Ad Spinæum quod attinet (cuius mẽtionem aſſentatoriè facit Theuetus, prout ſuo virorum Illuſtr. libro gratiam inire magnam à viris quibuſdam non obſcuri nominis ſpe-

rabat,quam tamen nõ eſt conſequutus:quippe talia flocci faciunt)confido fore vt re bene perſpecta,quod illi tribuit Theuetus abnuat, non minùs atque cõſcius eſt Theuetum nobis crimen hoc impingentem vt ipſius & aliorum cędem ſimus moliti,impudentem agere calumniatorem.Sed bene eſt quod dum ſibi defenſionẽ quærit,arma quib' repellatur mihi ſubminiſtrat: ſiquidem meminit probè Spinæus , quem à noſtro ab America reditu non vidi,nihil niſi placidè & modeſtè illic à nobis geſtum fuiſſe. *Cæterùm(* inquit ille) *poſſem , veluti complures alij , eorum quæ ex alienis laboribus in vſum ſuum tranſtulit,non pauca mihi vendicare.* Autores quibus ſum vſus ad libri marginem annotaui : ad Theuetum verò quod attinet,aliũde ſua quàm à ſcriptis meis requirat , etenim ſi quid ineſſet , quòd reliqua conſpurcaret,non patienter ferrem. *Sed ne diuerticulum videar quærere, detur ei qua diximus conditione,* inquit Battologus iſte, *vt ij libri quos ſibi vendicat ab eo ſint ſcripti , dummodò agnoſcat(quod diffiteri non poteſt)ea conditione hominem qua fuit Lerius, adeò narrationibus inſtituendis non eſſe informatum, vt ea poſſit perficere quæ alieno labore edidit.* Mea ſanè refert parum,detne , an admittat quod impedire nequit Theuetus.De cõditione mea autẽ quod addit,duplici expediam reſponſione.Theuetum itaque,qui me ſibi ignotum mendicum dicit,in primis monitum velim,ſi qua ſim oriùndus familia , fide dignis teſtibus eſſet

pro-

probandum, fore vt magno eum interuallo post me relinquerem. Non tamen quòd humanam nobilitatem pluris quàm par sit faciam, nisi adhibito Dei timore omnium virtutum fonte. Præterea si mecum esset iste comparandus, (quod absit) quid quęso sordidius Franciscano isto? qui quòd peram mendicus olim circumgestarit, in rei memoriam, vt est verisimile, Diogenem mendicorũ sordidissimum pera humero imposita, suo Virorum Illustri. libro depingendum curauit? Cæterùm habeo de quo mihi gaudeã, quandoquidem Theuetus eorum omniũ qui hac ætate aliquid scripserunt fastuosissimus spõte agnoscit, se hoc scriptorum genere à me superari: quamuis aliorum omnium respectu minimũ me esse, non inuitus agnosco. Quãobrem suam ipsius confessionem veluti pro me facientem lubens admitto. Atqui odiosissimis suis repetitionibus delectatus, addit, *Ne autẽ existimet, obiici à me sibi nihil posse præter professionis imperitiam:* nõ parum sanè dolerem, si ego, non infimæ, per Dei gratiam, sortis homo, similis essem Theueto, in cuius scriptis nullo respectu habito Cosmographicæ professionis, quam Regum nostrorum facilitate est adeptus, nihil est tam prophanum, tam ridiculum, tam puerile, tam denique à vero alienum quod non legatur: cùm tamen nonnisi grauia, seria, vera, tractare debuisset. Huius autem rei testes eos appello qui lectis Theueticis scriptis liberè & a-

pertè sententiã sunt dicturi: adulatores enim Theueto similes nihil moror, quippe suspectos: & fide indignos esse, res ipsa loquitur. Addit, *Videamus quæso ánnon quædam minùs credibilia scripserit Lerius, quàm sit Quoniambeci historia.* Omnino sanè nulla. Quòd si secus erat, cur non exemplum saltem vnum in medium attulit? aures verò legentium obterere non cessauit his verbis? *Pudet me*, debuit addere quòd impudentissimè sim mentitus, *manum calamo admouere.* Etiamsi tota hęc narratio, quam paucissimis verbis expedire non erat difficile, Theueti ingenium referat, si tamen ingenuè quod res est fateri vellet, non dubito quin alij quicquid est ornatus acceptum ferret. *Vt pro meritis excipiam nugatorem istum, qui fabulis compleuit.* Bona verba Theuete: itáne cæteros tuo metiris pede? *paucula scripta.* Non omnia vidit, hæc tamen nõ moror: iste verò longè sibi meliùs cõsuluisset si aut pauciora, eóque meliora, aut sanè omnino nulla edidisset, *quæ sub illius exstant nomine.* Theuetum tamen, vsque adeò vrunt vt (quantum à fide dignissimo viro accepi) quæ in eum emisi 500. coronatis redempta vellet. At crepet licet: Cur enim Euangelium infamans, eos à quibus ne tantillum quidem est læsus lacessiuit? Addit præterea, *eos qui non omnino malè in me sunt affecti, pudore suffundi:* Ego verò respondeo me nulli vnquam (Dei beneficio) cur in me malè fuerit affectus occasionem præbuisse, nedum vt pudoris vlli cau-

li cauſa fuerim. Det igitur fideiuſſorem Theuetus, quandoquidem iſtud confinxit, ſi fidẽ ſibi vult haberi. Ad ſequentia quod attinet verba, *ineptias, nænias, gerras, fabulas quibus eorum*, inquit, *oculos paſcere volo, qui in legendis meis libris*, quos itidem ineptias vocat, *operam ponunt:* video miſerum hominem in me vehementer exacerbatum, quòd victum ſe ſentiret hæc omnia mihi, tum in hac præfatione, tum in ipſa hiſtoria in ſe ſcripta ſurripuiſſe. Apparet igitur iſtum, qui paulò ante furti crimẽ, mihi affingebat, plumis meis ornatum eſſe: quas tamen, tanquam ipſi accommodatiſsimas, nõ inuitus relinquo. Itẽ de eo quod ſubiicit dictum velim *me eò impudentiæ deueniſſe, vt ſubtilius in nominis mei ſignificationem inquirendo, affirmarim, Leri, Barbarorum lingua oſtreum ſonare.* Quod equidem veriſsimum eſſe affirmo. Norũt enim nautę, cæteríque qui eò nauigarunt Leri-pes dictionem compoſitam, oſtreum ea lingua ſonare. Impudentiam verò quam mihi impingit, ipſi relinquo. Nihilominus tamen mordere non deſinit, ait enim, *Quamuis id mihi cõcedatur*, putà nomen meum Americanorum lingua oſtreum ſonare, *tantus tamen authoritate non erat, quantus videri cupit, quoniam*, inquit, *oſtreum eram teſtis, non ſanè meis, ſed Colligny Caſtelli ſepto à Villagagnone reclusum.* Nonnihil hoc loco de balænis interſerit, de quibus, ſicut etiam de teſtinibus & crocodilis ſuo dicemus loco. Authoritas verò, dę qua agit,

quid ad rem obſecro? Quid item recluſio illa in caſtelli Collignij ſepto? An iſte, qui bonam ætatis ſuæ partem in monaſterio trãſegit, vbi nonnullos ex ſuis fratribus *in pace* repoſitos vidit, ac forſitan ipſe repoſuit, nos veram religionem amplexos, inſtar monachorum, in illo caſtello recluſos fuiſſe autumat? Toto cœlo aberrat ſanè: quinimò Chriſtiana fruentes libertate, quócunque ferebat animus ire licebat: & eiuſmodi hominum hypocriſim palam faciebamus. Ne autem id mihi obijciat quod alicubi à me dicetur, nos nonniſi venia impetrata ex illo loco egredi ſolitos, quòd omnibus erat commune ſi ad me vnum reſtringere vult, tam clarum ſtultitiæ ſuę edit ſpecimen, quàm luculenter ignorãtiam probauit ſuam cùm ſcripſit, *Sacras literas agricultura Abelis mentionem facere*: etenim ſi paulò attentiùs aduertat animum, intelliget Abelem paſtorem, Cainum verò terræ cultorem fuiſſe. Geneſ. 4.2. Etenim fortè in typographum culpam reijciet, cuius excuſationis ope euadere conabitur. Sed non ita ſuccedet in ſexcentis ſuorum operũ locis in quibus manifeſtè falſarius deprehenditur. Tãdem Theuetus quem ſatietas nunquam capit *Quoniãbecum* ſuum efferendi (quem etiam pro meritis excipio) ait, *haud dubiè illum Margaiatibus, Luſitanis & alijs hoſtibus maximo fuiſſe terrori*, Eſto ſanè: quemadmodum enim iam antè dixi peſſimè in eos fuiſſe animatum, ſic quàm crudeliter poſſet ab eo exceptos fuiſſe

Singul. Am. cap. 58.

non

non negarim. Tribuit autem *robur, & vires immani illius corpori* non minores, ac si tale fuisset monstrum quale fuit Athleta ille qui Anno 1582. mensibus Maio & Iunio, Constantinopoli in spectaculis à Sultano Solymano exhibitis admiranda perfecit. Quippe trabem in altum attollebat, quam deinde sine manuū adminiculo humeris excipiebat, quam homines duodecim loco mouere vix potuissent. Preterea humi prostratus, cathenísque ferreis humeros femoráque vinctus, lapidem ab hominibus decem magno labore admotum pectore gestabat. Nec plus ex eo laborabat quàm cùm homines quatuor securibus & massis ligna oblonga ventri illius imposita diffindebant. Alia item prorsus admiranda præstabat quæ nota sunt ex historia hac de re nuper edita. Obsecro vos, si *Quoniambecus* Theueticus, qui statura fuit mediocri, ad istius monstrosum robur & proceritatem admirandam accessisset, num longè ab eo impensiùs fuisset celebratus quàm fuerit vnquā à Poetis Briareus ille? Quod verò affert de prudētia & pietate Barbari istius prætereo, neque enim est quòd immorer. Venio igitur ad ea quæ sequuntur. *Iactator*, inquit, *erat omnium de quibus vnquam audierim summus*. Excepto Theueto, qui fastu & arrogantia plenus, cùm Lutetiæ tum alibi ad libros à se scriptos coemendos neminem non sollicitat. In quo Solomonis præcepto non paret

Exemplum fortitudinis eximiæ

Prou.27.2.Laudet te alienus,& non os tuum: extraneus & non labia tua. Præterea quod addit, *Barbarum istum compluria hostium suorum millia à se perempta fuisse iactare solitum.* Sed perlepidum est quod sequitur. *Illius palatium hostium capitibus fuisse extrinsecus ornatum: ditionem verò admodum populosam, quámque flumina & montes ab alijs diuiderent.* Tantam verò tẽporis iacturam quamuis me pigeat fecisse refutandis Theueti nugis, tamen hoc loco eos omnes qui eò tum appulerũt appellare iuuat, vt apertè dicant annõ quo tempore illic degebat Villagagno ædificiorum genus aliud fuit, præter illud quod à me cap.16.his verbis describitur: instar pergularum hortensium nostratium sunt casæ, oblongæ, humiles & rotundæ: lignis herbísque tectæ: quarum præstantissimam, vix ausim cum haris Europæis comparare.

Quid igitur de tam magnifico *Quoniambeci* palatio à Theueto conficto dicemus? nisi vt cũ sua Herricopoli fictitia, de qua priùs, atque etiam in sequentibus nonnihil sumus dicturi, inter nubiũ Chimæras collocemus? De *ditione* cuius meminit, iam est à nobis dictũ, atque inferiùs dicetur: non modò quoad *Quoniambecum* sed quoad cæteros duces qui à Barbaris in singulis pagis eligi solẽt. Igitur vt huic paraphrasi in Theueti caput hoc 149. libri Viror.Ill. tandem aliquando finem imponam, videamus quid nobis veluti pro bel-

lariis

lariis asseruauit. Ait eo loco quo de flumine vasorum déque illius in America situ agit, *perinde esse atque est locus ille inter Castilionem pagum & Colongæum, qui Ollarum pons ab indigẽis nominatur: rupes enim in ollarum modum excisæ efficiunt vt Rhodanus qui ad radices, credo montis in eas se ingerit, ollæ bullientis speciem referat.* Ad quæ paucis respondeo, Ardelionem istum qui in illas rupes Rhodanum ingerit admodum esse impudentem: quandoquidem iis omnibus qui è Germania aut Heluetia Lugdunum commeant, notũ est Rhodanum ab eo loco duobus passuum millibus esse remotum, quin rupes altissimæ, si illac flueret, essent superandæ è quibus torrens ille quem Valserinam indigenæ nominant, quíque ad Meridianum pagum, quà iter est Geneua Sãclaudium, originem habet. Theuetum igitur, vt hæc loca, nisi malit à describendo prorsus abstinere, veriùs describere discat ad præruptas hasce rupes relinquo. Moneo tamen imprudenter immanem illam testudinem cui à nobis imponetur cap. huius libri 3. periculum esse ne præceps ruat non in Rhodanũ ipsum sed in torrentem illum rapidissimum, citissiméque submergatur. Hæc fuere opponenda iis quas in me non ita pridem emisit Theuetus ineptiis: Intelligit autem futurũ vt quotiescunque me lacesset experiatur, licet cucullam suam cum mitra commutarit, nihilo plus Abbatem se à nobis reformidari, quàm olim

Franciſcanum: etiamſi *Parouaſtium* ſuum Floridæ Regem Leoninis exuuiis amictũ *Quoniãbeco*, vt in me impetũ faciat, eſſet adiũctu-rus. Ac ſanè efficiet fortaſſe vt viri quidam, quibus nullo modo ſum comparandus, calamo tandem manum admoueant, eúmque ita tractent vt notatis craſſis erroribus quæ paſſim in ipſius ſcriptis occurrunt, vniuerſa illius opera, ne excepta quidẽ Coſmographia nec viror. Illuſtr. libro ad aromatarios relegent. In quibus tamen peſſimè collocatam eſſe egregiam operarum tum typographicam, tum cælaturæ operam, nemo non dolet.

Ad finem properanti mihi occurrit Genebrardus, is Chronologiæ ſuæ editione poſtrema, poſtquam nos (quos hęreticos appellat, nec probat tamen) conuiciis proſcidit, ſcripturæque locum in nos detorſit, ſcribit, *nauigationem noſtram infortunium iys attuliſſe, qui ante nos eò nauigarant: infœlicitatem verò motibus à nobis excitatis auctã fuiſſe, vt proinde Villagagno nos partim ſtrangulauerit, partim in patriã puniẽdos præmiſerit mox, ipſe, nempe Anno* 1558. *inſecuturus*. Ego verò reſpondeo quoad *infœlicitatem* illam quam nobis tribuit, Præfationem hanc cæteróſque locos in quibus Thevetus à nobis refutatur iis ſatisfacere poſſe qui rectum de cauſſa noſtra iudicium ferre volent. Addit autẽ me vnum fuiſſe ex authoribus tragœdiarum quas nobis affingit. Atqui impurus ille Apoſtata Launoeus, atque

adeò Theuetus ipse longè humiliori me loco collocat, quàm vt vllius rei author essem, nec sanè tum eram. Videbit itaque Genebrardus quomodo cum sociis illis suis cōsentiat: quibus, si quando concilietur, responsum forsitan audiet. Interim testor tota illa nauigatione talem me (per Dei gratiam) pręstitisse, vt nullus sit à Religione mea quantumuis alienus qui conqueri de me meritò possit.

Cæterùm lectores rogatos velim ne eo offendantur quòd, quasi mortuos excitaturus, Villagagnonis apud Americanos gesta in hac historia palam ediderim: præterquam enim quòd argumento quod mihi assumpsi necessariò cohærent, testor si superstes esset multò plura me adiecturum fuisse.

Tandem verò pauca quædam de meo instituto sunt dicēda. Religionem inter ea quæ diligenti obseruatione digna censentur primum obtinere locum nemo vnquam negauit. Hinc fit vt (quamuis fusiùs quænam à Barbaris colatur huius libri cap. 16. sim dicturus) hoc loco nonnulla obiter attingere mihi videatur necesse: præsertim cùm narrationis initium à quæstione fecerim quam satis suspicere (meo quidem iudicio) nō possum, nedum vt à me soluatur. Video igitur eos qui optimè ex sensu à natura indito de his rebus senserunt, dixisse quidem, notionem illam, quòd à supremo quodam pendeant res omnes hominum, animis ita naturaliter infixam

esse vt auelli nullo modo possit: Itaque quãuis in cultus diuini ratione controuersię nõ paucæ exortæ sint, fundamentum tamen hoc cõuelli non posse, hominem instinctu quodam à natura indito eò pertrahi vt religionem aliquam, seu vera illa sit seu falsa, profiteatur. Attamen istis sapienter determinatis non dissimularunt, vbi ad illud ventum est quò propensiùs humanum fertur ingenium in negotio religionis illud frequenter vsuuenirę quod ait Poeta,

Æneid.9. --- *Sua cuique Deus fit dira cupido.*

Quæ duo vt Barbaris nostris applicemus, constat eos homines cùm sint, notione hac omnibus communi præditos esse, homine aliquid esse maius, à quo bonum malúmque pendeat, tale saltem quale sibi fingunt. Quò referri debet cultus ille quem *Caraibibus* suis exhibent, à quibus statis temporibus bonum malúmue omen sibi adferri credunt. Summũ autem bonum in hostium vltione fortiter persequenda (quod olim Romanis, hodie etiã Turcis vsuuenit) ponũt. Cultus verò ille qui apud alios populos Religionis nomen obtinet apud eos locum nullum habere dici potest: Quin & illud addi, eos (si quę gẽs in totą orbe terrarum) sine Deo vitam hanc transigere. Attamẽ hac in parte minùs fortasse sunt damnandi quòd & miseriam suam excæcationémque aliquatenus agnoscũt, (quamuis nec pœnitentiam agunt, nec remedio vtuntur

tur

tur oblato)ſuámque mẽtem non diſsimulãt.

Ad reliqua quod attinet, ſummæ capitum quas ad libri initium appoſuimus quid in toto hiſtoriæ progreſſu tractetur ſatis indicant: vt & primum caput qua occaſione ad nauigationem iſtam ſuſcipiendam permoti ſimus cõmonſtrat. Præterea typos tres prout prima libri huius editione eram pollicitus addidi: plures etiam dare optabam: at typographus in cælatura ſumptibus faciendis negauit ſe ſuffecturum.

Cæterùm non me latet quod vulgò dici ſolet: Senes, eóſque qui à longinquis peregrinationibus ſunt reduces, quòd nemo ſit qui obſiſtat, non raró mentiendi licentiam ſibi arrogare? Ego verò teſtor me, qui & mendacia & mendaces odi, ſi qui ſint qui fidem adhibere nolint multis ſanè ante hæc tempora inauditis quæ à nobis commemorantur, non eo eſſe animo, quo in rem pręſentem veniãt, vt ad ea loca deducam. Nec magis commouebor iſtis quàm adhuc cõmotus ſum poſtquam mihi renuntiatum eſt non deeſſe qui fidem iis non haberent quæ à nobis de horrenda illa fame Sancerrana ſunt ſcripta, quã auſim affirmare minùs aſperam, quamuis diuturniorem, ea fuiſſe quam in mediis vndis remigrãtes perpeſſi ſumus. Enimuerò ſi iſti, de quibus ſit ſermo, fidem iis derogare non verentur quæ in ipſius Galliæ veluti meditullio, plus 500. teſtibus ſuperſtitibus conti-

gerunt, quidni de iis dubitent quæ in remotiſſimis regionibus viſa ſunt, maioribus verò noſtris inaudita, ita vt nonniſi experientia ipſa hominum animis inſidere poſſint? Me autem hoc loco fateri non pudebit, ex quo in Americam tranſportatus ſum, quæ & incolarum viuendi ratione, & animantium forma ipſáque adeo terræ fœtura à noſtris Europæis, Aſiaticis, & Africanis prorſus alienis reſpectu noſtri nouus Orbis meritò dici poteſt, opinionem abieciſſe quam de Plinio nonnulliſque aliis induerã. Vidi enim permulta non minùs prodigioſa quàm quæ in eorum ſcriptis fide indigna cenſentur. Siquidem ea quæ oculis cernuntur penitiùs animum penetrãt. Ad genus orationis quod attinet, iam ante, tenuitatem meam probè mihi perſpectam eſſe teſtatus ſum. Non dubito autem quin multorum iudicio phraſibus nõ ſim vſus tum ad rem nauticam, tum alias ſatis accommodatis. Illis itaque ſatisfactum non eſſe certò ſcio: præſertim verò Gallis noſtris quorum aures delicatiſſimæ nil niſi terſum ſermonibúſque nouis ornatum admittunt. At verò multò minùs iis placebimus qui libros omnes vt pueriles & ſteriles damnant, niſi aliunde deſumptis hiſtoriis luxurient: Quamuis enim ad ea quæ tractaui multas accommodare facile mihi erat, tamen excepta Gomaræ Ind. Occid. hiſtoria, qua ob rerum multarum cum his noſtris affinitatem non

rarò ſum vſus, vix vllas in medium afferre contigit: niſi quòd poſtrema hac editione nonnulla memoratu digna addidi. Ac ſanè (quantum mihi cernere datur) hiſtoria quæ proprio ſuo argumento ornatur repudiatis aliarum veluti alienis plumis, legentium animos à propoſito minùs remouet, efficit vt authoris ſcopũ lectores faciliùs poſſint aſſequi. Prætereà ab iis quęro qui commentarios iſtius ætatis legunt ánnon tædium parit, allegatio illa ſententiarum propè infinita quãtumuis ad rem accommodatarum? Ne autem mihi quis obijciat quòd vt, Theuetum antè, nunc etiam alios reprehendens in eandem tamen incurram reprehenſionem: Si quis eſt, inquam, qui improbet (quaſi arrogantiùs dicta) quod vbi de vita & moribus Barbarorũ verba facio frequenter has vſurpem formulas, vidi, interfui, accidit mihi, atque alia eiuſdem generis. Reſpondeo res illas ad meum ipſius argumentum pertinere: deinde res deſignare non rumoribus auditas ſed & oculis ipſis & experientia confirmatas, immo auſim dicere à nemine alio vſquã obſeruatas, multò minùs memoriæ proditas. Quod non de vniuerſa America dictum velim, ſed de illa plaga quã per annũ incolui, nimirũ ſub tropico Capricorni apud Barbaros Americanos quos *Tououpinambaulſios* appellant. Denique fidem do iis qui veritatem ſimplici ſermone prolatam mendacio verborum exquiſito ornatu fucato præferunt, fore vt ea quæ à me ſunt

in hac historia tractata verissima esse comperiant, quinetiam nonnulla esse quæ, quòd maioribus nostris fuerunt ignota, admiratione digna sint iudicanda. Deum orbis & tot præstantissimarum rerum conditorem & conseruatorem oro, vt meum hoc opusculum ad nominis ipsius gloriam cedat. Amen.

PLVS VIDERE QVAM HABERE.

PSALMVM CVII HVIC NA-uigationi accommodatißimum, ex D. Th. Bezæ paraphrasi poetica descriptum hoc loco apponere visum est.

EIA Deum cantate bonũ, cantate benignũ,
Cunctísque largum seculis.
Dicite crudeli quos ille redemit ab hoste,
Vos dissipatos colligens,
Quâ sol exoritur, quâ noctis cõditur vmbris,
Quâ mundus æstuat, & riget, (tes,
Vt miseros quondã per inhospita saxa vagan
Fame, sitíque torridos,
Clamantes vos semianimes exaudiit ille,
Malísque cunctis eruit.
Deduxítque viis deserta per auia rectis,
Cultísque statuit vrbibus. (ctis,
Clementẽ hunc, inquã, cantate, & dicite cun-
Res iste quantas gesserit.
Quos miseros vesana famésq; sitísq; necabat,
Potu, cibóque recreans.
Vos quoq; contẽpti tandẽ quos numinis ira
Eius rebelles vocibus, (bras
Carceribus clausit tetris, mortísque per vm-
Vinclis reuinxit ferreis, (lore,
Quos tãdem edomitos longo fera corda do-
Opísque prorsus indigos,
Audiit oppressos tantorum mole laborum,
Potentéque eruit manu, (bris,
Carceris & tetri è tenebris, ac mortis ab vm-
Ruptis reduxit vinculis,

Clementē hūc cātate alacres, & dicite cunctis
Res iste quantas gesserit.
Ingenti abrumpens æratos robore postes,
Vectésque frangens ferreos.
Vos quoque neglecto qui recti tramite, tātæ
Pœnas luitis amentiæ, (tis
Prostratis quib⁹ est cibus omnis nausea, mor
Pulsantibus iam limina,
Quos tamen ad sese clamātes audit, & vnam
Semel loquutus voculam, (chro
Quamlibet oppressos seruat, velutique sepul
Putres iacentes eximit, (ctis
Clementē hunc cantate alacres, & dicite cun
Res iste quantas gesserit:
Huic, inquā, laudes cantate, huiúsque sonoris
Narrate gesta cantibus.
Ac vos tranantes pictis vada salsa carinis,
Maris coloni diuitis
Magna Dei verè miracula cernitis, alti
Dispersa campis æquoris.
Nam simulac iussit, rapidi tota æquora venti
Ad ipsa tollunt sydera,
Abripitur pariter ratis, & nunc nubila tāgit,
Tumente vecta gurgite,
Tartara nunc cōtra prçceps cōtendit ad ima,
Ipsisque iungitur inferis.
Vorticibus miseri titubāt hīc vndiq; nautę,
Ceu turba nutat ebria.
Nil artis præcepta iuuāt, animique, manúsq;,
Spe destitutis concidunt.
Clamant: clamātes superū pater audit, & istis
Angu-

Anguſtiis mox eripit.
Æquora iuſſa cadũt ſubitò, fluctúſque ſilẽtes
Tranquilla lambunt littora.
Incolumes illi optato ſe littore condunt,
Miris ouantes cantibus.
Clementẽ hunc igitur cãtate,& dicite cũctis
Res iſte quantas geſſerit. (terue,
Narrate hũc, inquã, plebíſque ſenúmque ca-
Digníſque ferte laudibus.
Irriguum iſte ſolum ſiccis immutat arenis,
Quæ tota ſorbent flumina,
Et fœcunda priùs ſalſugine rura colonis
Iratus implet impiis.
Hic bibulis contra fontes educit arenis,
Deſertáque madidat ſola:
Infaméſque fame cãpos mortalibus implet,
Vrbis frequentis incolis.
Hic ſegetes,illic aſſurgunt ordine vites,
Hinc meſsis,hinc vindemia. (propago,
Succreſcit numeroſa hominũ pecudúmque
Fauente numine cœlitus.
Et tamen his rurſum caſus,variíque labores
Temporibus imminent ſuis,
Expoſitis varia in ludibria regibus ipſis,
Inque vltima repulſis ſola,
Elatis contra miſeris, multáque beante
Prole ſterilem prius domum.
Hæc hilares ſpectate boni,cogantur ad iſta
Vt impij obmuteſcere.
Ecquis erit verò ſapiens qui denotet iſta,
Bonum vt Deum norit ſatis?

HISTORIA NAVIGATIONIS IN BRASILIAM, QVAE ET AMERICA dicta est.

QVA DESCRIBITVR AVtoris nauigatio, quæque in mari vidit memoriæ prodenda: Villagagnonis in America gesta: Brasiliensium victus & mores, à nostris admodum alieni, cum eorum linguæ dialogo: animalia etiam, arbores, atque herbæ, reliquáque singularia, & nobis penitùs incognita.

CAP. I.

Quæ causa, tam longinquæ periculosæque, in Brasiliam expeditionis, fuerit.

QVONIAM, quæ sit amœnitas, amplitudóque & vbertas, quartæ orbis terrarum sectionis, quę America Brasiliáque vulgò dicitur: quibúsque cingatur insulis, & regionibus conti-

neatur; quas antiqui penitus ignorarunt: quamque multis petita nauigationibus, annis abhinc octoginta, ex quo primùm innotuit: plerique nostra memoria Cosmographi, in explicandísque rebus gestis versati homines docuerunt: illo omni argumento, longè latéque diffuso liberati, hac quidem historia, complecti decreuimus ea duntaxat, quæ inter eundum & redeundum, & apud feros Americanos, quibuscum circiter annum vixi, experiendo & obseruando, visu auditúque percepimus. Quod vt planiùs exponam, ab initio quænam adeò longinquæ, difficilísq; expeditionis, causa fuerit, breuiter, explicabo.

Autoris scopus.

Conatus Villagagnonis.

Anno 1555. Nicolaus Durantius, eques Melitensis, cui cognomen additum est Villagagno, suam in Gallia conditionem ægrè ferens, maximè quòd apud Nannetes, vbi tunc agebat, offendisset: compluribus in locis, cũ honestis omniũ ordinum hominibus cõmunicat, se iamdiu decreuisse, nõ modò lõginquã in terrã discedere, vbi puritatẽ Euangelicã liberè amplexus Deum coleret: verùm etiã esse in animo, iis sedẽ ponere omnibus, qui vt proscriptiones (quę tunc tẽporis erant acerbissimæ, adeò vt multi quotidiè mortales nulla neq; sexus, neq; dignitatis habita ratione, regio passim edicto, senatoriísq; sententiis, bonis fisco addictis, religionis ergò viui cremarentur) euitarent, eò confugere vellent.

Addebat, tũ ijs quibuscum ageret, colloquẽdo: tum absentibus per literas: se mira cum audisset, de eius partis Americæ, quę Brasilia dicitur

tur

tur, pulchritudine atque vbertate, libenter, vt & sedem poneret, votíque compos esset, eò profecturum esse. Qua dissimulatione, hominum quorundam illustrium, qui veræ pietati nomen dederant, conciliatis animis, quòd ea voluntate, quam ille fingeret, istiusmodi receptum desiderabant: maximéque Gasparis Colinij, beatæ memoriæ, qui maris præfectus cùm esset, regíque Henrico, eius nominis secundo, charissimus: docuissétque si Villagagno expeditionem suscepisset, magnas opes inueniri posse, multáque alia, quæ toti regno prodessent: autor fuit, vt duabus instructis nauibus, & armatis, & CCXXVI M. HS. à rege donatus, mari se committeret.

Gaspar Colinius, in Gallia mari præfectus nauigationis autor.

Ad hæc, antequam è Gallia Villagagno excederet, data fide, honestis hominibus, qui ea de causa sequebantur, confirmarat: se, quo in loco consisteret, vt sincerè Deus coleretur, operam esse daturũ. Quibus ita constitutis, comparatáque nautarum & opificum manu, quam secum abduceret, anno 1555. mense Maio, mare ingressus, variéque iactatus, tandem difficultatibus superatis omnibus, Americam Nouembri tenuit.

Cùm suos in terram exposuisset, de munienda rupe, quę ad ostium sinus, qui ab Americanis *Ganabara* dicitur, cogitauit. ille vt postea exponã, tribus & viginti gradibus, vltra Aequinoctialem circulũ, porrectus est: nimirũ sub Capricorni Tropico, vnde nostri fluctib. repulsi, necessariò duo milia passuum progredientes terrã versus, insulã antè desertam tenuêre: quò tormẽtis

expoſitis, impedimentíſque omnibus, vt ſeſe cum à feris gentibus, tum à Luſitanis defenderent, qui iam in continenti multa communierant, aggerem comportare cœperunt.

Villagagno Geneuam ſcribit.

Interea Villagagno, mira ſe propagandi Euangelij cupiditate, ardere ſimulabat, ſuíſque perſuadere nitebatur, ita vt nauibus onuſtis, & ad reditum in Galliam paratis, nuntium literáſque Geneuam mitteret, ab Eccleſiáque peteret, vt ſibi, quoad eius fieri poſſet, in re tam pia auxilio eſſe vellet: vrgebátq;, vt quod in animo habuiſſet, quódq; totis viribus deſideraſſet, perficeretur, non miniſtros modò Verbi diuini mittendos eſſe: verùm etiam, qui ſe ſuóſque in diſciplina continerent, feráſque nationes ad cognitionem ſalutis adducerent, homines in fide Chriſtiana bene fundatos, comites paſtoribus adiungendos.

Quibus literis Eccleſiæ Geneuenſi redditis, primùm actæ Deo ſunt gratiæ, de amplificato Chriſti regno, in tam diſsita regione atque immani, populóque qui in maxima veri Dei ignoratione verſabatur. Deinde, vt iſtiuſmodi poſtulatis ſatisfieret, poſteaquam Colinius apud Gallos Thalaſsiarcha ad quem Villagagno ea de cauſa ſcripſerat Philippum Corguillerium, qui ſe prope Geneuam contuliſſet, eiúſq; fuiſſet iuxta Caſtillionem in Gallia vicinus, per literas hortatus eſſet, vt eos qui ad Villagagnonem ire vellent, deducendos ſuſciperet: is & paſtorũ Geneuenſium quotidianis vocibus excitatus, & ſingulari erga opus tam pium voluntate, non ſene-

Philippus Corguillerius, ſe ad Villagagnonem iturum profitetur.

senectutem neque valetudinem excusans, negotiáque & liberos, qui tot regionibus interpositis essent relinquẽdi, se profecturum esse pollicetur.

Restabat omninò, vt de pastoribus eligendis ageretur: itaque Philippus amicísque cum quibusdam, qui tùm Geneuæ, sanctioribus literis operam dabant, communicat: præcipuè cum Petro Richierio, quinquaginta tùm annis nato, Gulielmóque Charterio. Ii communi sententia respondent, si Ecclesia se legitimè vocasset, non recusaturos esse. Quibus à collegio pastorum Geneuensium, cùm essent interpretati desumptas è sacris voluminibus periodos, de more approbatis, suóque vt fungerentur officio admonitis, duce Philippo se nauigaturos ad Villagagnonem, sponte sua professi sunt, vt Euangelium in America publicarent.

Richierius & Charterius ministri, in Americam missi.

Adiungendi erant etiam comites, qui summa religionis Christianæ capita probè tenerẽt, ex literísque Villagagnonis periti artifices: nihilò secius neminem circunuenire Philippus: demonstrare, longo difficilíque itinere, terra trecentis, mari quadragies centenis milibus passuum superandis, elaborandum esse: delatísq; Brasiliam, panis loco farinã ex radicibus apponendam, vinóque abstinendum, quòd eo Brasiliẽses careant: vtque nouo in orbe, quod & literę Villagagnonis declarabant, nouo victui, dapibúsq; à nostra Europa penitùs alienis, assuescendũ esse. Qua de causa, qui res incognitas audire quàm experiri mallent, neque solum vertere cuperẽt,

Quæ in Brasilia viuendi ratio.

vt & maris tempestates, Zonámque Torridam paterentur, & Polum viderent Antarcticum, de nominibus dandis non admodùm fuere solliciti.

Eorum nomina, qui Geneua profecti, nauigarunt in Americam.

Attamen multùm appellando & conquirendo, cæteris, vt videtur, melius animati, Philippo se, Richerióque & Charterio dant comites Petrus Bordonius, Matthæus Verneuilius, Ioannes Bordelius, Andręas Fontius, Nicolaus Dionysius, Ioannes Gardienus, Martinus Dauid, Nicolaus Rauiquetus, Nicolaus Carmulus, Iacobus Ruffus, egóque Ioannes Lerius, duos & viginti annos natus, qui tum vt Dei gloriæ, pro sua erga me misericordia seruirem: tùm vt nouum orbem cognoscerem: illis tredecim succenturiatus, anno 1556. 4. Id. Septemb. Geneua sum egressus.

Castillionem petimus ex itinere, ibíque Colinium, quem mari præfectum fuisse demõstraui, conuenimus, is non vt incœpto tantùm insisteremus adhortatur, verùm etiam pollicitus se, in iis quidē rebus, quæ ad nauigationē pertinerent, auxilio futurū: in spem nos erigit fore, vt permagnas vtilitates, Deo fauēte, nostri labores afferrent. Inde Lutetiam profecti, dùm mēsem integrum, in vrbe commoramur, tùm nobiles aliquot tùm plebeij, cùm de nauigatione audiuissent, se nobis adiunxêre: Rhotomagóq; tandē præteruecta, Iuliobonæ, qui portus in Neustria obtigerat, in apparādis rebus ad profectionem necessariis, armandáque classe. mensem alterum consedimus.

CAP.

CAP. II.

Ascensus in naues Iuliobonæ: itémque occursus nauium & expugnatio: tempestates, littoraque & insulæ primum obuiæ.

ITAQVE cùm Boisius Villagagnonis nepos, qui antè Iuliobonam aduenerat, pecunia regia tribus instructis nauibus, prouisáque re frumentaria, pro imperio iuberet: 13. Cal. Decembr. in naues conscendimus. Ipse Boisius, ex nauibus vna, quę Roberga minor appellabatur, octoginta nautis militibúsque occupata, legati nomen imperiúmque habuit. Alterã, duce Mario, Robergę maioris titulum pręferentem, gubernatore autem Ioanne Humberto Harefloriensi, vt res ipsa docuit, experientia in nauigando singulari, centum & viginti mortalibus, quo in numero censebar, attribuit. Tertia quæ Rosea, cẽturionis nomine vocabatur, annumeratis sex puerulis, ad linguam Americanorum addiscendam, transportandis: quinque autem, vnà cum moderatrice, virginibus (quę primũ è Gallia mulieres, magna Barbarorum admiratione, qui tantum nudas antè vidissent in Brasiliam delatæ sunt) nonaginta circiter hominibus completa est.

Boisius classi pręficitur.

Eo die ipso, cùm è portu solueremus, tormẽtorum strepitus atq; tympanorũ, buccinarúmq;

E portu naues soluunt.

ſoni, cæteráque eiuſmodi, quæ nauibus in expeditionem euntibus, ſolemnia eſſe conſueuere, circa meridiem audita ſunt. Primùm in mari Cauxio, duobus à portu ſalutari milibus, anchoræ iactę. quo in loco, vt aſſolet, nautis militibúſque recognitis, & profectione imperata: eius nauis quam conſcenderam funis anchorarius abrumpitur, anchoráque labore maximo recuperata, profectio in craſtinum indicta eſt.

Itaque 12. Cal. Decemb. è terra prouectis, & Britanniam ſub dextra relinquentibus, duodecim dierum tempeſtate coorta: pleríque metu & nauſea vehementer conflictati præcipuè qui mare nunquam viderant, ſingulis ſe momentis abſorbendos eſſe cogitabant. Réſque profectò eſt admiratione digniſsima, nauē è ligno quantumuis magnam atque firmam Oceani vim pati poſſe. Nam vt è craſsiſsimis trabibus naues fiant, arctéque fibulis vinciantur: quemadmodum qua eram delatus, circiter centum pedes in longitudinem, in latitudinem verò viginti patebat quænam eſt. cum altiſsimo latiſsimóque Occidentali Oceano, magnitudinis tantulæ collatio? Qua de cauſa cùm nauigandi artem vniuerſam, tùm ſigillatim acum nauticam, ad moderandos curſus maritimos excogitatam, nemo ſatis vnquam laudauerit: quam tamen antè annis ducentis & quinquaginta eſſe in vſu, quidam memorię prodidêre. Igitur, cùm dies tredecim, magnis difficultatibus, nobis eſſet nauigatum, Deo fauente, tranquillitas reddita eſt.

Nauigationis, acuſque adeò maritimæ pręſtantia.

Con-

Consequenti pòst die Dominico, duabus onerariis nauibus Britannicis, ex Hispania redeuntibus occurrimus: parúmque abfuit, quin nautæ nostri, cùm esse quæ eripere possent, intellexissent, eas penitus expilarent. Quemadmodum enim demonstraui, tormentis cæteróque omni apparatu bellico instructi, confidebant, neque si infirmioribus occurrissent, ab iniuria facilè temperabant.

Nautarum rapacitas.

Et quoniam in hunc sermonem incidimus, quæ nautarum sit rapacitas, hoc primo nauiū occursu, declarare visum est. Qui enim robore & armis præstant, quod etiam in continente nimium sæpè accidit, reliquos prædæ habent. Afferunt tamen, cùm vela obuios contrahere iubent, se iamdiu tempestate aut malacia terrā non attigisse, rebus egere omnibus, orántque vt pecunia redimere liceat: qua in colloquutione nauibus occupatis, ne scilicet onere pessum eant, præstantissima quæque extorquent. Obiicientibus (quod sæpè nobis erat vsitatum) iniquissimum esse hostes iuxtà sociósque prædari: solennia terrestribus etiam copiis verba reponunt: more belli accidere, sibi vt quisque prouideat.

Addam, quod exemplis postea comprobabitur, cùm Hispani Lusitaníque, se Brasiliā adiisse primos, omnémque adeò continentē, quæ à freto Magellanico, qui meridiem versus quinquaginta gradibus extenditur, ad Perusium, citráque Aequinoctialem lineam glorientur: eáque de causa possidere affirment, Gallos verò

ſe in iure ſuo interpellare : ſi mari vincant, crudeliſsimè interficiunt, in eamque feritatem aliquando deuenêre, cutem vt viuentibus detraherent, teterrimove genere mortis afficerent. Galli contrà, ſe Americæ participes eſſe demonſtrant: neque ab Hiſpanis Luſitaniſque vinci facilè patiuntur, ſéque acerrimè tuentes par pari hoſtibus referunt, qui eadẽ certè claſſe manum conſerere non audent.

Mire Deus mari, pro arbitrio imperat.

Vt ad nos redeam, iterum tempeſtate coorta, ſex ſeptémve dies mare adeò intumuit, pleríque vt fluctus non tantùm foros ſuperarent; verùm etiam, cùm eius rei periculum faceremus, de qua Pſalmus 107. meminit, ſenſibus penè orbati, ebriorum more vacillabamus: nauis autem ita fluctuabat, nemo vt ex nautis ſtare poſſet. Vt eodemque Pſalmo continetur, cùm ſuprà montes aquarum altiſsimos, maximéque timendos erecti : è veſtigio infrà profundiſsimos hiatus de merſi, tamen inter tot fata conſeruamur: ſentimus profectò admirandam Dei optimi maximi potentiam. Itaque, cùm periculo tam ſint affines, qui nauigant: Poeta qui latitudine lignorum, quibus nauigia facta ſunt, eos à morte ſeparat, videtur, quam par ſit longius ſeiungere. cuius', quòd ſint elegantiſsimi verſus adſcribere viſum eſt.

I nunc, & ventis animam committe, doloſo
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quattuor, aut ſeptem, ſi ſit latiſsima tæda.

Tempeſtate ſedata, cùm Deus qui mari pro arbitrio imperat, ventum ſecundum excitaſſet,

ſet, ad mare Hiſpanum peruenimus, Noniſque Decembr. obiectum habuimus promontoriũ Sacrum. quo in loco, Hibernica naui obuiam facta, arte, de qua paulò ante diximus, noſtri epibatæ ſex ſeptémve Hiſpanienſis vini dolia, ficus, malaque Aurantia exportarunt.

Sacrum Promontorium.

Septimo pòſt die, ad tres inſulas delati ſumus ex Fortunatis: has qui è Neuſtria nauigant, Gratioſam, & Lancilotam, & Fortauenturam nominant, antiquis autem appellabantur, Aproſitus & Iunonia, Ombrióſque: ſeptemque numero ſunt, quas nunc, vt opinor, omnes, Hiſpani occupant. Et quamuis in orbe deſcribendo, quidam Fortunatas inſulas, ſub vndecimo citrà Aequatorem gradu collocent: cùm me preſente, Aſtrolabus litem diiudicaret, inuenimus, ad viceſimum octauum Arcticum verſus ſitas eſſe: idcirco fatendum eſt, ſuo aliorúmque periculo, decem & ſeptem gradibus, iſtiuſmodi Coſmographos aberrare, quibus eas inſulas à nobis remouent longiùs.

Fortunatæ inſulæ.

Hîc ſcaphis eductis, viginti ex noſtris benè armati, ad populandũque progredientes, conſpicati ab Hiſpanis, & repulſi, fuga naues petiẽre. Attamẽ cùm ſe in omnes partes conuerterent, nauigiolo piſcatorio metu ab ſuis derelicto facti obuiã, cùm maximã vim marinorũ canum, circinorúmque nauticorum abſtulêre, nihilque omninò, ne velis quidem exceptis reliquêre: tùm quòd de Hiſpanis peius mereri non poſſent, quos vlciſci percupiebant, ſcaphã vnà cum lintre ſecuribus depreſſerunt.

Dùm tres dies, ob malaciam propè Fortunatas insulas commoramur hamis retibúsque ingentē piscum copiam cepimus: ideóque veriti, quòd aqua dulcis non suppetebat, ne siti premeremur, plus dimidia parte, in mare coniecimus. Genera, canes marini, Auratæ, piscésque alij quorum ignorabamus nomina. erant etiam Trichides, corpore tam paruo, vt caput cum cauda (quæ nihilò minus lata est) cohærere videatur: capite autem galeæ cristatę persimili, satis prodigiosæ. Decimo septimo cal. Ian. mari tertiò intumescente, scapham quæ vni ex nauibus adhærebat, fluctus tam citò compleuit; vt pessum iret: vixque duo nautæ, qui asseruabant, demissis è naui funibus periculum effugerent. Illud etiā cōmemorandum videtur quod accidit, tēpestate dies quatuor desæuiente: coquus quidam laridum in cado ligneo temperans, fluctu supra foros elato, cùm cibum in mare longè proiectum amisisset: fluctus alter oppositus, eundem in locum vi magna retulit, neque cadum subuertit, veréque prādium restituit, quod vt aiunt, præter casam fugerat.

Trichides prodigiosæ.

Admirabilis fluctuum reciprocatio.

Ad 15. Cal. Ian. die veneris Canariam in cōspectu habuimus. consequenti autem Dominico propius facti, erat constitutum ibi comeatū expedire: aduerso tamen vento insulam nō tenuimus. Hæc amœna est admodum, quam & incolūt Hispani, gignitq; saccharum in arundinibus, & vina præstantissima. Cæterùm tanta est altitudine, vt LX passuum milibus interiectis conspici possit. A quibusdam Taneriffe dicitur

Canaria.

citur, opinantibus antiquorum Attlãtem esse, à quo mare vocatur Attlanticum. Alij contrà, autumant duas esse insulas, Canariam & Taneriffen. quæ lis, quod ad me attinet, manebit sub iudice.

Eo die ipso sumus conspicati myoparonem Lusitanum: qui cùm neque fugere posset, quòd vento ferebatur aduerso, neque armis confideret: contractis de more velis, Boisio se tradit in manus. Nec morati centuriones, vt qui iandiu decreuissent, suæ classi nauem adiungere, quã Hispanis Lusitanísve sperabant se erepturos: in myoparonem, ne aufugere posset, quosdam ex suis imponunt. Veruntamen, cùm nescio quibus de causis, Lusitano gratificari vellent, si confestim myoparonem alterũ inuenisset adduxissetque, quem eripuissent, redditum iri promisêre. Ille, vt qui sibi melius esse vellet, quam alteri, accepta, vt postularat, vnà cum armis scapha, viginti autem ex nostris, cũ quibusdam ex militibus suis: prædonis more, pyraticam enim, vt opinor factitabat: vt de improuiso fortunam experiretur, longè classem contendit anteuertere.

Myoparonis deditio.

Tum legebamus oram Africæ, à Mauritanis occupatam, ab ea ferè disiuncti quatuor milia passuum: estque, vt à multis tunc fuit obseruatum, terra valdè plana, humilisque adeò, vt quantum oculi valebant, montibus nullis officientibus, ea nobis videremur altiores, ita vt, breui submergenda crederetur, nauibúsque superanda. Et quamuis, oculo iudice, se ad hunc

Mauritania

modum res habeat, in omnibus ferè littoribus tamen cùm illuſtrius apparêret hoc in littore: cùm tantam ego planiciem, quæ vallis haberi poterat: contrà, mare tranquiliſsimum, quod altiſsimi mõtis effigiẽ præferebat, intuerer : memoria repetens quæ, hac de re, ſacræ docent literæ : illud excellentiſsimum Dei opus, magna cum admiratione, contemplabar.

Iob. 38. 8. 10 11. Pſal. 104. 9.

Vt ad piratam redeam, qui vt diximus, ſcapha erat antegreſſus, ad 8. Cal. Ian. quo die natus eſt Chriſtus, in Liburnicam incidit, quã tormentis petere, viqueretinere contendit, & ad nos adducere. Quæ res valdè noſtris cẽturionibus placuit. nauis erat enim eximia, & plena ſale candido: quam, vt decreuerant, in Braſiliã ad Villagagnonem deduxêre. At in fide Luſitanis præſtanda, de reſtituendo myoparone, crudeles adeò extitere: vt Hiſpanis & Luſitanis, in vnum idemque nauigium coniectis, ne fruſto quidẽ nautici panis relicto, velis dilaceratis, ſcapha etiam ablata, qua deſtituti terrã tenêre nõ poſſent: mitiore conſilio vſi eſſe viderentur, miſeros ſi depreſsiſſent, quam ſi ita dimiſiſſent. Nã niſi alicundè ſcapha laborantibus opitulata ſit, certũ eſt, aut naufragio tandẽ, aut fame periſſe.

Myoparonis expugnatio.

Nautarum crudelitas.

Hoc facinore, compluribus inuitis, perpetrato: longè ſumus in altum prouecti, ſecundo flante Vulturno. Ne autem lectori faſtidium pariam, ſi tot naues expugnatas, ſigillatim commemorẽ: craſtino, tertióque pòſt die, cùm reſiſteret nemo, duas in poteſtatẽ, redegimus. Cùm Liburnicam, quæ prius occurrit, epibatæ noſtri,

Duarum nauiũ deditio.

præ-

præcipuè qui myoparonem Hiſpanicũ aſcende rant prædę habere cuperent:eaque de cauſa eſſent minoribus tormẽtis aggreſsi:ducibus tamẽ vltrò citróq; colloquutis ab iniuria tẽperarunt. Ex Hiſpanienſi altera,vinum,p nis nauticus,aliaque cibaria direpta. Nullius tamẽ rei iacturã magis conquerebatur Hiſpanus, quàm gallinæ. hãc aiebat,cùm procelloſo mari ponere nõ intermitteret, ouũ ſibi quotidie in naui ſufficere.

Die dominico,qui proximè ſequutus eſt:cùm is,qui ſpeculabatur ſignũ de more dediſſet,animaduerſis quinque nauibus (de quarũ magnitudine atq; forma diiudicare nequiuimus) nautæ noſtri, quibus fortaſſe non ſum placiturus, eorũ virtutibus prædicãdis, expediti & ante victoriã pæana concinentes, ſe cõſequi poſſe arbitrabantur. Sed cùm nos aduerſo, illi ſecundo vento delati,velis,vt aiunt, remiſque fugerent: quãuis, magno ne claſsis euerteretur periculo, pedẽ vndique faceremus,ad prædandumq; milites incumberent:fruſtra defatigati manũ conſerere non potuerunt.

Ne quis autem quæ cõmemoraui hactenus, falſitatis accuſet:nos videlicet,cum Braſiliã peteremus,mare infectum habuiſſe:obuiis aut fuga ſaluti conſulentibus aut vela demittentibus: affirmabo tribus omnino nauibus, quæ tormẽtis erãt inſtructiſsimæ, adeò vt quæ me acce piſſet,maiora octodecim ex ære tormẽta,mino ra è ferro plus triginta ſuſtineret: nautas militeſq; decreuiſſe,vt qui omnes ferè eſſent Neuſtrij (gens in naumachiis omniũ quę Occidẽtẽ verſus nauigant,bellicoſsima) ſi Luſitanæ claſſi

Neuſtrii in naumachiis excellunt.

occurrissent confligere, magna spe victoriæ. Animosum certè consilium, si ab iis qui res gestas memoriæ prodiderunt, nominatúmque ab Osorio repetamus, quantum armis Lusitani excelluerint, quas nationes, quámque varias deuicerint: cùm & bello contra Mauritanos in Africa contenderent, & Orientem versus contra Indos dimicarent. opponi tamen posset Gallos Barbaris dexteritate præstare (ex quibus cùm initio peterentur extitêre, qui aluearibus apum in hostes coniectis se defenderent) neque sine sanguine & sudore, tam fortes viros vnquam posse superari.

Osor. in Histor. Lus. lib. 2. & 9.

CAP. III.

Bonitæ, Albacoræ, Aurateque, & sues marini piscésque volatiles, aliique: quos tum vidimus, tum cepimus sub zona Torrida.

EX illo tempore, tranquillitate vsi ventóque accommodatissimo, ad tertium ferè gradū citra Aequinoctialem peruenimus. ibi maximam suum Marinorum copiam & Auratarum, eorúmque piscium cepimus quos Albacoras & Bonitas, qui è Neustria nauigant, appellare cōsueuêre: ex aliisque generibus quamplurimos. Quo in numero erant & piscium volantium. de qui

Pisces volantes.

quibus, cùm nautæ mentionem facerẽt, existimabam nobis imponere velle: donec ita se rem habere comprobauit experientia. Tum è mari emergere, & sublimè volando gregatim petere pisces vidimus, in morem alaudarum sturnorúmque: volatus vero altitudine hastam æquabat, largitudine centum passus. Sæpenumerò ad malum nauium impingentes cadebant, & manu facilè capiebantur. Piscis est, vt eundo & redeundo animaduerti multoties, haleci valdè similis: paulò tamen & longior & rotundior: habétque sub gutture paleolam, alis ad modum vespertilionis toto corpore contextis porrectísque. sapore autem suauissimo & probatissimo. Cæterùm, quoniam huius generis nullum citrà Tropicum Cancri videram, primò existimabam quod calore gauderẽt, sub Torrida Zona degere, in neutrámque partem Polos versus excedere. Sed cùm quidam scripserit marinas hirundines, propè magellanicum fretũ videri: quas opinor easdem esse, rem in medio relinquere visum est. Obseruaui etiã istiusmodi pisces nusquam tutò agere posse. Nam cum in mari degunt Albaioras prædonésque alios è piscibus habent inimicissimos: si subuolando periculum effugere tentant, aues sunt marinæ, à quibus capti vorantur.

Aues marinę.

Dicendũ quoque aliquid videtur de his auibus quę prędam è mari pro victu habẽt. Hæ sunt adeò cicures, vt supra foros funésq; nauiũ sidẽtes, capi manu patiãtur. quarũ certissima, vt qui de iis gustauerim, penitúsque cognouerim, hæc

eſt deſcriptio, pluma ſunt, vt accipitres, leucophæata; magnitudine cornicum eſſe videntur nudati paulò plus carnis habent paſſere: vt mirum ſit corpore tam paruo capere poſſe, atque in vſum vertere piſces multo ſe maiores, atque craſſiores. Denique vno ſunt inteſtino, pedibúſque planis, vt anates.

Bonita piſcis.

Quod ad cæteros piſces attinet, de quibus paulò ante diximus: Bonita nulli ſapore cedit, Cyprinis communibus aſſimilis, cùm ſquamis tamen careat: illas maximo vidi numero, circiter quadraginta dies quibus ferè noſtris nauibus adhæſerunt, ídque accidere veriſimile eſt, quòd pice naues vnctæ ſint.

Albacorę.

Albacoræ autem à Bonitis forma non admodum alienæ, tamen cùm & viderim, & comederim Albacoras, quinque pedum longitudine, craſſitudine corporis humani, quod ad earum magnitudinem, nulla eſſe poteſt cum Bonitis collatio. Deinde cùm nullo modo ſint Albacoræ viſcoſę, ſed carne vt ſalar friabili, nullis aculeis, paucis viſceribus, inter piſces optimos ſunt annumerandæ. Et quamuis quæ ad condiendam Albacoram, neceſſaria videbantur, præſtò nō eſſent (vt accidit peregrè nauigantibus,) ideóque ſale cōtenti, latis orbibus, igne toſtam ederemus: tantillo tamen apparatu erat nobis gratiſſima. Quamobrem ſi Cupidiariorum natio, quæ mare tentare non audet: nihilóq; ſecius (vt de fele vulgò dicitur) ſiccis pedibus, abligurire piſces percupit; Albacoram in cōtinenti tam facilè mercaretur, quàm reliqua genera;

gener ;ecquid dubitatis quin vnà cũ pisce digitos sæpe circumlamberet? vt enim dixi de hirũdinibus marinis, cùm Albacoræ degant inter Tropicos, in altóque mari versentur, nõ ita littoribus appropinquant, vt à piscatoribus integræ ad nos peruenire possint. Quod verò ad Africanos attinet, qui mare ad Orientẽ accolũt, Perusiósque qui Occidentem versus, tum & Albacoras facilè piscari: tum incorruptè suis apponere, credibile est.

Aurata. Aurata, quæ meo iudicio ita vocatur, quòd in aqua luteo esse colore videatur, & auro quã simillima, figurà Sulmoni proxima est; differt tamẽ dorso depressiore. expertus ita pronũtio; Auratã nõ tãtùm cęteris de quibus mentionẽ fecimus, bonitate præstare: verũ etiã nego, in mari fluminibúsq; quicquam inueniri posse suauius.

Sues marini. Suum autẽ marinorum duo sunt genera, vnũ rostro acuto, vt anseres, alterũ tã obtuso, vt cùm è mari attollit, sphæra esse videatur. Idcirco ab ea similitudine, quæ est illi cũ cucullatis, capita monachorũ appellabamus. Ex iis animaduerti lõgos circiter senûm pedũ, cauda lata, biffidáq;, in capite omnib. erat foramẽ, quo spiritũ ducere, & vndã vibrare solebant. Cùm incipit mare commoueri, super aquam eminentes, præcipuè nocte tempestate conflictati, virides apparent, viridémque reddunt maris effigiem: præterea in morem suũ terrestriũ, altè anhelant stertúntque. Quamobrem nautæ illos vagari & respirare conspicati, tempestatem certissimè præsagiunt, quod & sæpe sum expertus. Et quan-

Ingens ſuũ marinorum copia.

uis, cùm tranquillitas eſſet, pelago modò criſpante, vndique ſuum marinorum circum iecta multitudine, quoad proſpici poſſet, totum mare illis conſtratum videretur: tamen cùm nõ tàm faciles captu eſſent, quàm piſces reliqui eſſe conſueuiſſent, prout collibuiſſet in promptu non erant. Itaque, vt lectori ſatisfaciam cumulatius, qua tandem arte capiãtur, explicabo. Qui probè inter eos, piſcandi modum callet, cõſpicatus è prora, harpagonémque ferreum manu tenens longurio reuinctũ longo craſſoque vt haſta dimidiata: qui etiam funi alligatur viginti circiter pedum: gregatim accedentibus, quẽ ferire poſsit eligens, tanta vi harpagonem iaculatur, vt ſi rectè percutiat, ferro ſus adunco teneatur: tum relaxato fune, quo ad fieri poteſt, dum ſe dolore ſaucius in omnes partes cõuertit, ferróque magis induit, ſanguis eum paulatim viréſque deficiunt. Nec morati nautæ cæteri, manu ferrea, quæ & ipſa longurio adhæret captum in nauẽ pertrahunt. Hac ratione viginti quinque in itinere cepimus.

Modus piſcãdi ſues marinos.

Suum marinorum inteſtina.

Quo ad inteſtina, ſi vt porco, ita & ſui marino quatuor tanquam pernæ demantur diuidaturque & viſceribus, ſpina etiam dorſi, coſtíſque ablatis eundem in modum pendeat, hic illi valdè ſimilis erit. Iecur eodem ſapore. Caro tamen recens dulcior & deterior. Pinguedo in omnibus quos vidi, pollicis craſsitudinem non excedebat, nullámque puto inueniri quæ duos ſuperet digitos. Itaque, ne nobis amplius imponat id, quod Lutetiæ alibíque laridum quadrage

ſimæ

ſimę piſcatores appellans, ſuiſque marini pinguedinē eſſe arbitrãtur: Nam ea cùm plus quatuor digitûm craſsitudine pateat, Balænæ cenſenda eſt. Cęterùm quoniam in quarundã aluo quas venati ſumus paruuli ſunt reperti, quos vt lactentes aſſos apponebamus, nulla contrariæ opinionis habita ratione, magis exiſtimo ſues marinas vt ſcrophas, viuos quàm oua parêre. Qua de re ſi accuſer, ad arbitrium eorũ qui experti ſunt potius, quàm qui ſcripta tantum legêre prouocans: vt rem diiudicare mei non eſt inſtituti, ita nemo, quin ea quæ viderim certa eſſe credã, iure interdicturus eſt.

Requienes.

Per multos etiam Requienes, vt à Neuſtriis appellantur cepimus. Ii quoque mari ſedato virides apparent: quibuſdam longitudine quatuor pedes ſuperantibus, craſsis pro magnitudine corporis. Tamē quòd eorũ caro minus probetur, neceſsitate cõpulſi & meliorum inopia, nautæ Requienē attingunt. Pelle ſunt aſpera ſerratáque, capite plano atq; lato. ore patulo tamquã lupi Moloſsíue Britannici. Cum hac de cauſa monſtroſi ſunt, tum dentibus accutiſsimis dãnoſi: quemque ſemel corripuerint, aut dilacerant: aut in mare deprimunt, Qui lauant in Oceano ſibi à Requientibus valdè timere coguntur. Nec cùm eſſent educti ſupra foros nauium, quod ſæpe accidit, hamis è ferro digitali craſsitudine minus ab iis cauendum erat quam à feris canibus. Quapropter cùm neque capti, neq; liberi ab iniuria tẽperarent: parũque ad veſcendum accommodati cenſerentur: quos eramus

Requienes damnoſi,

piſcati lancinantes, atque cruciantes, vt damnoſis animantibus dignum erat, claua ferrea mactabamus. Deciſis aliquando branchiis, doliíque circulo per caudam traiecto, in mare proiiciebamus: tum ſe ipſi iactantes quòd diu non mergebantur, ingenti nos voluptate perfundebant. Cæterùm, etſi ſub Zona Torrida, non ſint ea magnitudine teſtudines, qua in Rubro Indicóve mari Plinius eſſe dicit, vt ſingularum ſuperficies contegendis habitabilibus caſis, parandíſque cimibus accommodetur: tamē cùm tantæ ibi exiſtant, vt parum ſit credibile, breuiter attingere viſum eſt. Proponam igitur ſpecimen, quo de magnitudine lector iudicare poterit, vnam videlicet in naui Boiſiana captam, adeò grandem extitiſſe, vt octoginta hominibus, quos nauis acceperat, more nautico prandentibus, largè ſuffecerit: ſuperior teſta ouali effigie, lata duos pedes cum dimidio, & iuſta craſſitudine centurioni Mario ad clypeum data eſt. carne tam proximè ad vitulinam accedunt, vt lardo traiectæ, toſtæque, eodem ſapore videantur. Hic quoque vt animaduerti, earum eſt piſcatus. Tranquillo mari, aliâs enim raro apparent, in ſumma pelagi euectis, Sol teſtam accendit, vt pati non poſſint: itaque ſe inuertunt ad tēperandū calorem, diúque in gyrū verſant: hoc cōſpicati, manu ferrea commiſſuræ teſtarū impacta, vi magna nautæ quatuor aut quinque connitentes, in phaſelum pertrahunt.

Marinæ teſtudines.
Plinius lib. 9. cap. 10.
Modus piſcādi marinas teſtudines.

Hactenus de marinis teſtudinibus ſcripſerā: At Theuetus in ſua virorum illuſtrium Hiſtoria, Quoniambeci mentione facta gigantis fi-

ctitiis graphicè ostendit perculsum ingenium. Quemadmodum enim patet huiusce Commẽtarij exordio in me inuectus ineptissimè tandẽ exclamat. *Quid dicemus de prodigiosis testudinibus illis, quas tam horrenda magnitudine sub Torrida zona finxit, vt octoginta homines vna impleuerit (qui fortasse non esuriebant) testa autẽ superior contegendæ habitabili casæ suffecerit, quã destinasse hominibus nõ arbitror, sed insectorum generi.* Cùm igitur Theuetus plagis se denuò induerit, cadat sanè in foueam, vndè nunquam poterit emergere. Itaque audiamus quæ scribat cap. 14. Singular Amer. de testudinibus loquens, quas dicit esse in insulis pertinentibus ad viride promontorium. cuius quidem hæc sunt verba. *Inter illas testudines*, ait, *quædam reperiuntur tam ingenti magnitudine, vt homines quatuor vnã retinere non possint: quod tum vidi, tum ab exploratæ fidei auctoribus didici. Plinius etiam tradit, tam immanes in mari Indico testudines existere, vt casam testa integat, intérque insulas Rubri maris eisdem testis ad cymbas vtuntur. In mari Persico fretóque Carmania similes inueniri Plinius idẽ author est, Deinde Theuetus quot modis capiãtur explicatis cogitandũ relinquo, ait, quãta testæ sit crassitudo si cũ amplitudine cõferatur. Nã qui & fretũ Magellanicum incolunt Barbari & qui flumẽ Argenteum iis ad excipiendos ictus hostium pro scutis vtũtur: Similiter & pro vallo Amazones (has commentus est Theuetus, nusquam enim apparent) mare Pacificum accolentes, cùm oppugnata tugriola defendunt, Testámque asseuerare ausim*

Plinius lib. 9. cap. 10.

adeò esse firmam vt minusculi tormenti, quod manu gestatur, glande traiici non possit: Insulani circa viride promontorium affatim vescuntur testudine, vt apud nos bubula aut veruecina: Nam & vitulinæ similis est, eiusdemque saporis. Hæc ille: quæ vt cętera prætermittam, per se satis aperte accusationem qua me, iocando aspergere conabatur in autorem retorquent. Et quoniam, parum de prouerbio cogitauit, quo fecit mendacem esse memorem oportere, quàm perfricta fronte calamniatorem agat, demonstrandum est clariùs. Ac primùm lectoribus animaduertendum est, quod Theuetus accusat, nempe testudinis testa posse casam contegi, non à me sed à Plinio quem laudaui esse dictum: Hunc etiam locum citauit prolixius, bonus ille reprehẽsor. Et si vitio vertenda est auctoris prolatio, primus peccauit Theuetus scilicet. quamobrẽ vno verbo tùm ego à culpa liberor, cum ille cõuincitur. Restat vt purgem id, quod insimulat esse commemoratum elatiùs nimirum testudinẽ in naui Boisiana captam octoginta mortalibus largè cibũ præbuisse. Quid tum? An magis vero est simile Theuetũ vidisse tã magnas testudines, vt à quatuor piscatoribus retineri nõ possent: qui non modò porcum retinerent, tãta corporis mole: verùm etiam bouem, vnde homines plus mille quingenti lautè prandcrẽt. Si tamen robore cum celebri Quoniambeco essent comparandi, quem ineptissimus ille censor cõmẽtus est. Alias enim vt iocãdo ait, se nõ arbitrari, casas testudinis coclea intectas, me ho-

mini-

minib. ſed inſectorũ genere deſtinaſſe: (quãuis Pliniũ accuſet) ſi aut Pigmæi, aut deplorata valetudine homines piſcarentur, magnum eſſet periculũ ſcilicet ne prodigioſa illa teſtudo effugeret. Itaque vt coerceatur preſſiûs, dandum eſt homini conſilium, vt aſcendat beſtiam, aſſumpto etiam è teſta clypeo, qui minuſculi tormenti glande tranſuerberari non poſſit, accerſat quoque Amazonas (quæ nuſquam ſunt) infinita multitudine ad opem ferendam conuocata, ſi monſtrum illud ſæuiat. Denique ſibi egregiè prouidebit, euocato nominatim Quoniambeco, qui permagnum vini dolium vlnis amplexus, & facillimè ſuſtinens, ſingulâque humeris maiora ex ære tormenta, miniſtris comitantibus, ad præbendos calices, ignémque tormentis admouendum, ita primam firmet aciem. Quare, quoniam in confutationibus præſtigiatorem illi agere viſum eſt hac veſte indutum, decreui hominem dimittere. Hæc habui de teſtudinibus breuiter explicanda & aliis piſcibus, poſtea mentio fiet de Delphinis, atque etiam Balænis, pluribúſque Cetaceis.

Theuetus ſuis coloribus depingitur.

CAP. IIII.

De Aequinoctiali circulo, tempestatibus, ventorum inconstantia, pluuiis corruptis, caloribus, siti, aliisque incommoditatibus, quas circa illam mundi plagam sustinuimus.

Ventorum inconstantia circa Aequatorem.

VT de nauigatione absoluam, tribus aut quatuor citra Aequinoctialem lineam gradibus, vento destituti, tẽpestate aduersa non modò vsi sumus, pluuia malaciáque inuicem succedentibus, verùm etiã (vt nauigatio difficilis atq; periculosa est circa Aequatorẽ) obseruaui ventorũ inconstantia sæpe accidisse, vt tribus nostris coniunctim hærentibus nauigiis, vnumquodque subito peculiari flatu raperetur, figurámque trianguli Orientẽ Occidentémque versus & Septentrionẽ delata, efficerent: nulla nautarũ industria prohibente. Illa ventorum conflictatio, erat momentanea, erumpebántque vortices, qui & subitò cursum remorabantur, & è vestigio vela tam impotenter inflabãt, vt mirum sit nauem non inuertisse millies.

Pluuia fœda & contagiosa. Aestus maximus.

Præterea quæ sub Aquinoctiali circulo decidit pluuia, fœda contagiosáque est, vt si collapsa corpus attigerit, enascantur pustulæ, vestésque maculentur. Sol autem mirè feruet, qua de causa caloribus presi maximis, ingenti quoque siti la-

laborabamus: quòd aqua dulcis, poculẽtáue alia (si prandioli tempus demas & cęnulę) nos omnino deficeret. Vnde accidebat, quod mihi vsu venisse memini, halitu consũpto, vt hora plus obmutescerem. Hac necessitate cõpulsi nautę, nihil magis habẽt in votis, quàm vt aqua salsa cũ dulci commutetur. Si quis opponat (repudiato in vndis pereunte siti Tantalo) fieri posse vt aqua marina bibatur, aut humectando saltẽ palato inseruiat: Respondeo nullis omninò remediis aquæ salsæ per ceram colandæ, alitérue distillandæ (præterea quàm fluctuationes nauiũ instituendis fornacibus, lagænísque conseruandis minimè conueniunt) effectum esse, nisi quis vellet, simulátque ori admouisset, ipsa etiã euomere viscera, vt ea degustationi accommodaretur, & potui multò minus. Attamen vitro infusa splendore & puritate nulli cedit. postremò aqua marina (quod & sum admiratus & Philosophis examinandum relinquo) si lardum, halecem, aliáue carniũ & piscium genera valde salita temperes, & magis dulcia fient, & citius quã si fontana.

Nautarum desiderium. Aqua marina minimè potabilis.

Vt vnde sum digressus eò redeam, fastigium nostræ, sub Zona Torrida, miseriæ fuit, quòd maximis & continuis imbribus ad carinam vsque permeantibus nautico pane corrupto & mucido, quo tamen vtebamur admodùm exiguè vermes vnà cum pane, tot inerant enim, quod micæ, nihil abominati ne siti conficeremur, edebamus: vitiata quoque aqua dulci oppletáque vermibus

Nauticus panis corruptus.

cùm è vaſis effunderetur ſtomacho nullùs erat tam firmo quin expueret. Qui autem bibebant, vna manu tenêre poculum, altera ob fœtorem nares comprimere cogebantur.

Aduerſus delicatos inuehitur.

Interea quid vobis in mentem venit, hominum delicatiſſimi, calorem exiguum ferre non poteſtis, tunicáque interiori, commutata, benè ter ſi, opaco in conclaui & ſplendido, cathedra lectúloue impoſiti, otium agitis? vobis cordi non eſt ad menſam accumbere, ſi lances nitidiſſimæ, vitra benè lota, candidiora niue ipſa mantilia, dapes conquiſitiſſimæ apparatiſſimæque, vinum deeſt Smaragdo clariùs? Vultis nauigare vt ad hunc modum vitam traducatis? vt autor vobis nequaquam ſum futurus, eáque de re minus cogitabitis, | cùm quid in reditu acciderit audietis: ita cùm de mari mentio incidit, & nauigationibus tam longis, vos vellem oratos qui ex libris tantum ſapitis, quódque multò eſt deteriùs, ex eorum fabulis, qui mare nunquam viderint vt elato ſupercilio Mineruam non doceretis: hoc eſt vt interpretor, iis paululum cederetis, qui tot incommoda perferendo ea ſunt experti, quæ nullo certè modo in animum irrepunt, niſi periculum ipſe fecerit.

Gubernator nauis egregius ſine literis.

Addam cùm ad ea quæ ante commemoraui de varietate ventorum atque tempeſtatem, inbribus fætidis & caloribus: tum quæ in Oceano generaliter fiunt, præſertim ſub Aequatore: vidiſſe me Ioãnem Meunium Hareflorienſem, ex noſtris gubernatoribus, qui cùm literas neſciret, cognoſcẽdo Aſtrolabo, chartíſq; nauticis,

&

& Baculi Iacob assecutus est tantam nauigandi peritiam, vt sæpenumerò, maximéque cum esset tempestas, silentium, imponeret viro benè docto, quem nominare non habeo necesse: cùm iste tamen pacato mari explicandis Theorematis excelleret. Nec interea propositum est, quicquam detrahere de iis artibus, quæ in scholis docentur, & literarum monumentis conseruatæ sunt. Sed magnoperè vellem, nulla vt hominum autoritas, & ratio cum experientia contenderet. Veniam igitur à lectoribus efflagito, si in memoriam reuocans nòs aqua putri, & mucido pane vixisse, permultásque rerum incommoditates perpessos esse: misera illa conditione, cum lautis censorum istorum dapibus comparanda, sum ab incœpto sermone paululùm digressus, & in eos inuectus. Accidit sæpè ob eas de quibus antè diximus difficultates, quæ posteà demonstrabuntur fusiùs absumpto omni commeatu citra Zonã torridã, retrò naues abiisse quod æquatorem superare non possent.

Cùm hac miseria conflictati circumeundo, & paulatim appropinquando, triginta quinque diebus transmittere tentassemus, pridiè Nouembr. Febr. Deo propitio, Aequatorem attigimus. Aequator autem dicitur, non tantum quòd sub hac linea, dies noctibus perpetuò sunt æquales: verùm etiam quòd cùm Sol ad eam redit, quod in anno bis accidit, nimirum ad 5. Cal. April. & Id. Septembr. eadem toto in orbe dierum & noctium existit æqualitas, ita vt qui sub Arctico & Antarctico degũt, duob. illis demũ in anno dieb. lucẽ noc-

Aequator quarè dictus.

Eleuatio Poli Antarctici.

témque participent, euestigiò Sole ab eorum conspectu alternatim recedente ad sex omninò menses.

Quo igitur die mundi Zonam sumus prætervecti nautę solemnia vsurpauere: Etenim ad memoriam eius rei conseruandam, qui nunquam sub AEquatore fuerunt, eos funibus alligatos in mare demittunt: aut panniculis cacabo affricatis atro vultum inficiunt, vectoribus tamen se pecunia redimere licet, quod & mihi contigit.

Historia vniuers. Ind. lib. 3. cap. 98.

Itaque Iapyge secundo delati sumus ad quartum gradum vltra AEquinoctialem. Hic Polus Antarcticus primùm à nobis est visus (quem Neustrij Stellam Su appellabāt) quibusdam stellis, vt ab illo tempore animaduerti, in modum crucis depictū: ideóq; sydus integrū in stellā *Su* nominant. Retulêre, vt quidā scribit, qui hoc primùm iter sunt aggressi, albidam circa Polū Antarcticū nubeculam perpetuò videri quatuórque stellas, crucis forma, cum tribus aliis, quæ Septentriones valdè referunt. Iamdiu Polus Arcticus à conspectu nostro aberat: obitérque dicam, non modò sub AEquinoctiali Polum vtrumque non apparere, quemadmodum pleríque arbitrātur, sed neutrū, nisi duobus emensis vltrà citráue gradibus.

Sol pro Zenith.

Id. Feb. cùm sudum esset, Nautæque Solis altitudinem Astrolabo deprehendissent, affirmant ad perpendiculum radiare. Idcirco, quamuis periculi faciendi gratia, pugiones, cultellos, aliáque id genus supra foros defigeremus,

mus, nostris in celocibus eo die, meridiano præsertim tempore, vmbra nusquam est visa. Duodecim ferè gradus prouectis tẽpestas tres, quatuórue dies aduersa extitit: paulò pòst è contrario tanta malacia facta est, ut interea celocibus immotis, perpetuò híc manssissemus, nisi ventus flauisset.

Toto itinere nostro nondum Balænæ obuiam erãt factæ, tum verò propè vidimus. Quo in numero vna, quæ facillimè potuit conspici, iuxta nauim emergens, quoad se commoueret, scopulus credita est, vt metuerem ne impacti, fracta celoce periremus: obseruaui cùm se in mare absconderet, antè caput exerentem, ore plus doliis aquæ duobus eiecisse, demergentémque tantum excitasse fluctum, denuò vt vererer ne in gurgitem nos ad se pertraheret. Estque profectò res horrenda vt in Psalmis, Ioboque legimus, eiusmodi monstra tam facilè in Oceano ludere.

Balænæ.

Psa. 104.26.
Iob 40.26.

Vidimus etiam Delphinas compluribus piscium generibus comitatos, & militari ordine incedentes: in mari subrubido esse colore putantur, ex istis vnus sexies septiésue, tanquam gratulari vellet, celocem qua eram vectus circundedit: nos inuicem nihil non tentauimus, is vt caperetur, sed cautè cùm refugeret capi nunquam potuit.

Delphinas pisces alii comitantur.

CAP. V.

De primo Indiæ Occidentalis conſpectu, et incolentium Barbarorum: déque iis quæ in mari acciderunt ad tropicum vſque Capricorni.

Dies quo primùm America nobis detecta eſt.

INDE ſecundo diu flante Fauonio, ad v. Cal. Mart. anno 1557. manè circiter octauam horam, in conſpectu Occidentalem Indiam habuimus: quæ & Braſilia, & quarta orbis ſectio antiquis penitus incognita & America dicitur: eius nomine, qui circiter annum 1497. primus eam detexit. Explicare ſuperuacaneum eſt, quam læti quanque alacriter Deo egimus gratias, tam propè intuentes continentem optatiſſimam, breuíque adeundam. Explorato igitur, quod eramus conſpicati terram eſſe (decipi enim facilè eſt nubibus in aerem abeuntibus) eo die ipſo, flatu ſecundo, & prora in altum conſtituta, cùm Boiſius eſſet antegreſſus, anchoræ iactæ ſunt mille paſſibus interiectis, à regione aſpera *Huuaſſou* Barbaris appellata tum educta è naui ſcapha, & tormentis aduentu ſignificato, vt aſſolent, qui illas regiones adeunt: virorum mulierúmque ſtatim manus ingens viſa eſt ſtare in littore. Hi omnes, vt à quibuſdam ex noſtris, qui loca illa iam antè cognouerant, eſt animaduerſum: erant natione *Margaiates* Luſitanis confœderata, Gallis autem inimi-

Americus Veſpucius in Americam primus noſtra memoria nauigauit.

Huuaſſou locus aſper.

Margaiates Gallis inimiciſſimi.

cissima: vt captis nulla liberationis merces sol uẽda esset alia, quàm vt mactati concisiq. bar baros saginarẽt. Tũ quoque vidimus mense Februario (qui ferè tota in Europa est frigidissimus, gelúque impedit, ne quid è terra prodeat) nemora & lucos, herbásque tam esse virides, quàm sunt in Gallia, Maio & Iunio mẽsibus, quo vere perpetuò fruuntur Brasilienses.

Nemora, herbæque semper virent in America.

Hostilis *Ouetacatium* atque Gallorum inter se animus, quem vtríque vehementer dissimulabant, impedimento non fuit, quominùs è naucleris vnus, qui eorum linguam mediocriter nouerat, cum nautis aliquot scapha conscensa, littus peteret, vbi magna multitudine Barbari constiterant. Nec tamen intra teli iactum accedere, sed vereri ne à feris hominibus capti, interfectíque torrerentur. Ita eminus ostendere cœperunt cultellos, specula, pectines, aliáque id genus, cum quibus ad victum pertinẽtia, commutare si vellẽt, petebãt. Qua re à quibusdam qui propius accesserant, intellecta, nec rogati pluribus, mira celeritate quæsitum excurrêre. Mox redeunte Nauclero farina quapiam ex radice, qua panis loco vtuntur Brasilienses, pernæ, carnésque ex aprorum genere, aliáque ad victum necessaria, fructus etiam magna copia, quales gignit regio, allati. Præterea vt & dona offerrent, & aduentum gratularentur, sex, vna comitãte fœmina Barbari scapham ingressi, spontè sua nos inuisêre. Quos cùm primùm vidissem, lectoribus cogitandum relinquo, quàm eos sim

Farina ex radice, aliáq; Barbarorũ cibaria.

Primi Barbari ab authore visi, & descripti

attentè contemplatus, de quibus etsi commodius & fusius agendum est suo loco, hic tamen attingere obiter nonnulla decreuimus. Principio tum viri, tum fœminæ nudi æquè agunt, atque quum ex vtero prodiêre, ad ornatum toto corpore atrati. Cæterùm viris est familiare sinciput attondere in formam coronæ monasticæ, occipitis verò crines dimittere, quos tamen vt hi solent qui apud nos alunt comam, circa collum resecant. Ad hæc pertuso inferiori labro, viridi colore politulum lapidem, capitati argentei latitudine atque crassitudine insertum gestant, quo dextræ foramen illud aperiunt claudúntque. Hunc ad venustatem vsurpant: quo tamen auulso, & in labro inferiori, tanquam ore altero hiante apparent turpissimi: fœminæ labrum minimè perforant, sed vt nostrates crinem valdè summittunt, auriculas autem adeò traiiciunt, vt digitum accipiant: vnde candida ossa pendêre & supra humeros fluctuare solent. Aliò reiicienda videtur eorum confutatio qui Americanos esse villosos falsò sunt opinati. Antequam autem Barbari à nobis discederent, duo senes qui auctoritate præstabant, demonstrant, illa in regione maximam esse vim Brasilij optimi, cui & secando, & exportando suam operam pollicentur, résque ad victum necessarias: nihílque prætermittunt, quò persuadeant, vt manere vellemus. Præterea quàm aliò tendebamus, manendi ratio non erat: quod cùm inimici essent, & multitudine vin-

Astutia Barbarorum ad decipiēdos Gallos.

vincerent, hoc consilio inuitabant, vt si terrã tenuissemus, more suo, vulneribus confectos deuorarent. At cùm *Margaites* tormenta & quicquid adeò naues nostræ aduexerant, valde essent admirati: neque (maximis de causis, præcipuè ne Gallorum periculo fieret, si fortè illuc appellerent) in animo haberemus vim facere, ad suos qui expectabant in littore, veniam redeundi postulant. Itaque, quoniam nullus est apud eos pecuniæ locus, cũ rebus quas attulerant, hamos, indusia, cultellos, specula, idque genus quamplurima commutauimus, quæ quidem sunt ad negotiandum apud Brasilienses accommodatissima. Ad extremum vt quum nos adiêre Barbari, pudenda liberaliter ostenderant, ita, quum exire, & in scapha sedere vellent, indusia quę à nobis accepissent, ad vmbilicum vsque colligentes, atque ne macularent veriti, in natibus demonstrandis nequaquam parci fuêre, mira certè vrbanitas & digna quæ legatione fungatur. Nam etsi prouerbio feratur apud nos pellem indusio esse chariorem: illi contrà, excellenti erga nos magnificentia fortasse, nates aperiendo, pelle arbitrantur indusium esse præferendum.

Pecunia Barbari carent.

Vrbanitas verè barbara.

Hoc in loco paululùm immorati, quamuis noua illa cibaria primùm aliena viderẽtur, necessitate coacti, tamen auidè comedebamus. At postridie eius diei, qui Dominicus erat, sublatis anchoris, vela fecimus. Terram legentes viginti ferè millibus passuum interpositis, obiectum habuimus Castellum

Spiritus Sāctus Castellum Lusitanorum.

Lusitanorum, quod illi Spiritum Sanctum, Barbari *Moab* appellant. Hi celoces nostras, myoparonémque adeò conspicati, quem suis ereptum esse facilè coniecerunt, tormentis vtrimque ter aut quater displosis: quòd extra iactum essemus, pilæ abierunt innoxiæ.

Tapemiry.

Igitur littoribus appropinquante cursu continuato, plagam præteruecti sumus quam *Tapemiry* appellant: hîc quâ in continentem mare influit, paruæ sunt insulæ, quíque has incolunt Barbari, vt mea quidem fert opinio, Gallorum socij fœderatíque sunt.

Paraibæ.

Vlteriùs paulò circiter gradus viginti, habitant *Paraibæ* quorum in regione, quemadmodum prænauigando animaduerti, tumuli eminent in caminorum figuram abeuntes.

Breuia & Syrtes.

Calendis Mart. Breuia & Syrtes legimus, scopulis & lingulis intermixtas, quæ loca, ne illisæ naues pereant, maximoperè nautæ solēt effugere.

Ouetacates

Ex aduerso Breuium planiciem sumus cōspicati, amplitudine triginta miliarium: hanc incolunt *Ouetacates* homines adeò feri, vt neque pacem inter se colant, & cum finitimis omnibus aduenísque bellum gerant. Cùm verò ab hostibus premuntur (à quibus tamen nunquam iugum accepêre) mira pernicitate morti se eripiunt, qua & inter venandum, feras ex ceruorum genere quodam assequuntur. Omnium Brasiliensium more, nudi penitus agūt, nihilo tamen seciùs ad nates vsque comam demittunt, contrà quàm reliquorum fert consuetudo

udo, qui, vt paulò antè diximus, dicemúsque postea fusiùs cùm sinciput attondent, tũ circa collum crinem resecant. Denique efferati *Ouetacates* illi, regiunculam inuicti habitantes cruda carne vescuntur in morem canum, luporúmque, lingua etiam dissidẽt à finitimis, vt inter Occidentalis Indiæ populos immani tate ac sæuitia insignes meritò censendi esse videantur. Cæterùm quòd nullum cum Gallis, Hispanis, Lusitanísque commercium habeant, aliisque transmarinis, carent nostris omnino mercibus. Attamen vt postea audiui à quodam interprete Neustrio, si eas finitimi cũ *Ouetacatibus* communicare desiderant, hac vtuntur permutatione, *Margaias*, *Caraias*, aut *Tououpinambaultius* (quæ gentes sunt vicinæ) aliíve Barbari, seipsi *Ouetacati* non credentes, ostentant eminus falcem, cultellum, pectinémve, aut speculũ, aut alia eiusmodi, nutúque conquirunt an permutationem velit facere. Tum si consentiat, vicissim plumas depromit, aut virides lapides, qui, vt demonstrauimus, labris includuntur, aut quædam non absimilia. Deinde locum designant ab hinc trecentisquadringentísve passibus: hic alter in lapidem stipitémve quæ putat esse commutãda reponens, longè abit. Nec moratus *Ouetacas* ad tollendum accedit, quæ ille deposuerat, eodémq. in loco relinquendũ, quæ ipse ostenderat. Fidem hactenus seruant, permutatione verò facta, cùm alter eò rediit, vnde primò visus est, violatis induciis magna cõtentione certatur, quis cuique permutatum eripiat. Nec

Ouetacates inter Indos gens immanissima

dubium eſt quin *Ouetacas*, venatici canis leuitate, primâs ferat. Itaque noſtris hominibus qui arthritide laborant, claudis, tardíſque ſũt pedibus, nequaquam cenſeo, ſi de conſeruandis mercibus cogitant cum *Ouetacatibus* negotiationem inſtituendam eſſe. Cantabri tamen, quorum etiam lingua differtà cæteris, vtq. notum eſt, agilitate præſtant, optiméque ambulare videntur: cum duobus his rationibus cum *Ouetacatibus* comparandi ſunt, tum eos quis meritò digniſſimos exiſtimet, qui vnà diſcurrerent. Quin & annumerari poſſent, qui Palmarum flumen accolunt, quadam in regione Floridæ. Hi (vt memoriæ proditum eſt) ceruum aſſequi, totúmque diem irrequieti ſolẽt currere. Prætereà Gigantes ad flumen Platã (eodem authore) tanta velocitate, vt fugientes capreas ſæpe manu retineant: Sed age dum relaxatis habenis, veredos bipedes illos dimittentes. Sed vt ſi libet, Euro citius euolent, interdum etiam vt eſt veriſimile non ſine graui lapſu, tribus in plagis Americæ (diſtantibus inter ſe tamen Platenſi præſertim & Florida plus tricies centenis paſſuum milibus) & in quarta Europæ, niue ſtipatis concidant ad inſtitutum ſermonem reuertamur.

Hiſt. vniuer Ind. lib 2. cap. 46. & 84.

Ouetacatium tranſmiſſa regione, aliam in conſpectu ſtatim habuimus, quam *Maq-he* appellabant, incolitúrque à Barbaris, quos tãtùm dicam, ob eas rationes quæ modò explicatæ ſunt, minimè in vtramque, vt aiunt, aurẽ dormire: cùm ad incurſionem faciendam, paratiſſimos habeant finitimos. Hoc in littore,

Maq hé.

tore, magna rupes in turris modum se attollit: quæ sole tacta lucet adeò & radiat, vt quibusdam Smaragdi genus esse credatur. Idcirco à Gallis & Lusitanis hâc prænauigantibus *Mag-hensis* Smaragdi nomen habuit. Ferũt hanc rupem nauibus adiri non posse, quòd ad libellã summæ aquæ scopuli eminentes, plus quatuor millibus passuum excurrant in pelagus: terra etiã negant vllam inueniri semitam, qua rupes ascendatur.

Rupes Smaragdus credita.

Paruæ ibi sunt tres Insulæ, *Mag hensès* appellatæ, quarum ex aduerso cùm iactis anchoris noctem quieuissemus, postridie sublatis dolonibus Friense Promontorium tenêre cõtendebamus. Vento tamen reiecti, eò vnde manè profecti essemus, reuertimur: quo in loco ad Iouis diem in anchoris stetimus, parúmque, vt audietis, abfuimus à naufragio. Etenim postridie eius diei ad VI. Non. Mar. quo Bachanalia celebrantur ab hominibus malè feriatis, ante ieiunium Quadragesimæ, hora vndecima pomeridiana, cùm primùm acquiesceremus, adeò repentè procella extitit, vt cùm tempestatem ferre non posset funis anchorarius abrumperetur, nauis autem fluctuans, & vi vndarũ littus petẽs eò delapsa sit, vt cùm aqua duabus vlnis & dimidia non esset altior (qua breuiore ne parua quidẽ nauis sustineri poterat) nihil propius fuerit quã vt in vado adhæresceret. Tũ gubernator iacta bolide, cùm eò rẽ deuenisse intelligeret, quãquã illi munus incũbebat, vt bono essemus animo iubêre, bis aut ter exclamauit, Actum est, Actum est. Nautæ

Proximum discrimen ex quo euasimus.

verò cùm diligentissimè alteram iecissent anchoram, quæ, Deo fauente, substitit ne in scopulos vnius ex Maghensibus insulis (profligata salute, si id quidem accidisset, quòd mare commotius illisam nauem confregisset) deferremur impedimento fuêre. Hoc periculo trium ferè horarum spatio sumus defuncti, nec interea proderant nautica keleusmata, quæ commodiùs in alto vsurpantur, quàm propè littora, vbi tempestates maximè sunt timendæ. Cùm autem, sedato mari, dies illuxisset, propterea quòd, vt diximus, aqua dulci vtebamur vitiata: quidam ex nostris aquatum profecti in desertas *Maghenses* insulas, non modò terram ouis auibúsque multigenis (& tamen ab iis, quæ sunt apud nos valde forma dissidentibus) constratam inuenêre, sed quòd non essent hominibus assueti tam erant cicures, vt manu capi, fustibúsque interfici sustinerent, ita vt à nostris aquatoribus in scapham constipatę magna copia exportarentur. Ea de causa, cùm superiori nocte laboribus extrahenda, nautæ famem excitassent (quamuis in diem, qui à cineribus nomen habet incidissemus) ne Catholicis quidem Romanẽsibus exceptis, aues illas promiscuè comedêre. Ac profectò qui contra veritatem Euangelicam, Christianis, stato tẽpore, carnis vsu interdicit: cùm signa in regiones illas nondum intulisset, in quibus etiam nulla erat mentio de superstitiosæ abstinentiæ legibus conseruandis: locus ipse ab eis solutos esse nautas plus satis admonebat. Die Iouis quo *Maghenses* insulas reliquimus, vento vsi

Auiũ multitudo in Maghẽsib. insulis

se-

secũdo, postridie quarta pomeridiana Friense Promontorium attigimus, qui portus est oræ totius, ob Gallorum nauigationes, nobilissimus. Hîc anchora iacta, tormentísque aduentu significato, centurio & nauis magister, quum aliquot militibus in terram egressi, obuios habuêre, magna multitudine, Barbaros, ij vocabantur *Tououpinambaultij* Gallorum socij atque fœderati. A quibus cùm accepti sumus comiter, tum quid ageret *Paycolas* (sic enim Villagagnonem appellabant) didicimus, quæ res nobis quidem longè accidit gratissima. Eodẽ in loco, hamis retibusque pisces multos cepimus, complurium generum, & ab iis qui in nostro mari degunt, valde forma dissimiles. In quibus maximè varium, atque prodigiosum genus erat, quod ea de caúsa describã. Hornũ magnitudine vitulum ferè æquabat, rostro quinque pedes longo, lato sesquipede, vtrinque dentes acuti, tanquam serræ prominebãt. Quum verò eductus in terram, rostrum adeò ingens, huc & illuc vibraret, mutuò alter alterum appellans, admonebat, tibias vt remoueret. Cæterùm carne est durissima, vt enim essemus famelici, ea tamen, quatuor & viginti horas, cocta vesci nũquam potuimus. Hic etiam primũ vidimus, non tantùm sublime volãtes Psittacos, & gregatim, vt in Gallia cornices, columbæque: verùm etiam vt ex illo tempore obseruaui, binos in aere sibi cohærentes, quẽadmodũ apud nos turtures solẽt. Cũ igitur sexaginta fere millia passuum itineris superessent, quámq. citissimè fieri posset, cõtenderemus: ad

Friense Promontoriũ.

Tououpinambaultij cum Gallis fœderati.

Prodigiosus piscis.

Agmen Psittacorũ volantium.

Friense Promontorium, breuior quàm erat in votis, mora facta est. Itaque eo die ipso subiatis vesperi dolonibus, tam prosperè nauigatũ vt sequenti Dominico, Non. Mart, anno 1557. Oceanum sub dextra relinquentes, in sinum ingrederemur, à Barbaris *Ganabara* nuncupatum, à Lusitanis verò Geneurensis, quòd Calend. Ianu. quem ita vocant, cum primò sinum adierant. Posteaquam honoris Villagagnonis causa, quingẽ ũm ferè passuum interuallo, tormenta displosimus, & nobis ille respõdit: (Castra enim fecerat in parua quadam huiusce sinus insula, vt ante demonstrauimus:) anchoræ sunt in propinquo iactæ. Hæc igitur summa est eorum, quæ inter nauigandum in Brasiliã, tum passi sumus, tum vidimus.

Sinus Ganabaræ.

CAP. VI.

Qui noster fuerit aditus Castelli Coliny apud Brasilienses quemadmodũ à Villagagnone accepti: séque ille gesserit, tum in negotio religionis, tum in reliquis imperij sui partibus.

Appulsus in Castellũ Colinium.

ITAQVE cùm naues in portu starent, sinus *Ganabara*, non longè à continenti, quisque impedimentis in scapha collocatis, castellum Colonium petimus. Egressi, quòd non tantum à frequentibus periculis ereptos, sed etiã felicissimè deductos in terram optatissimum cogitaremus: primùm Deo egimus gratias, deinde Villagagnonem

adimus, expectātem nos in platea. Quē cùm ſingillatim ſalutaſſemus, ille vultu ſereno, vt videbatur, vnūquémque amplexus, perhumaniter appellauit. Tum qui nos deduxerat, Philippo, Richerióq., & Chartierio miniſtris, breuiter cùm demōſtraſſent, quænam cauſa nos ad nauigationem tantis difficultatibus ſuſcipiendam excitaſſet: nempe, vt ex literis, quas Geneuam ſcripſerat, Eccleſiam ad verbum diuinum exactam in Braſilia conderemus: excipiens ille ad hunc modum loquutus eſt: Ego certè cùm diu totóque animo illud ipſum deſiderarim, vos iſtis conditionibus accipio libētiſſimè, quódque noſtram Eccleſiam, puritate velim antecellere, ab eo die ipſo vitia coerceri, ſumptuoſa veſtimēta & quicquid adeo nos à Dei cultu reuocare poſſet, tolli iubeo. Tum ſublatis in cœlum oculis & manibus: Habeo tibi grates, ait, ſumme Deus, quod ea nunc mihi, quæ à te tandiu, támque ardēter expectaui, dederis. Móxque cœtū alloquēs, filij, ait, (vobis enim ſum pater) quemadmodū Chriſtus nihil ſua cauſa fecit, ſed omnia pro nobis, ita enim ſpero Deū me in viuis cōſeruaturū eſſe, donec munitione perfecta, me carêre poſſitis: quicquid nūc agere decreui, tū veſtra, tū eorū gratia molior, qui huc, eadē, qua vos, mēte vēturi ſunt. Conſtitui enim ſedem ponere fidelibus expulſis Gallia, Hiſpaniis, & tranſmarinis regionibus: quo metu Regíſque ac Cæſaris, reliquorúmque principum liberati, purè Deum colere poſſint. Ita nos primùm Villagagno affatus eſt die Mercurij ad VI. Id. Mart. 1557.

Quemadmodum nos Villagagno acceperit.

Quibus nos primùm verbis affatus eſt Villagagno.

Prima concio in America.

Quo sermone peracto, imperat vt cùm suis paruo in conclaui, quod construxerat in meditullio insulæ conueniremus, ad rem sacram. Tum precibus ad Deum fusis, quintóque Psalmo in cœtu modulato: verba illa XXVII. Psalmi interpretans, *Vnum petij à Domino, illud requiram vt habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*, primam concionem in America Richerius habuit. At Villagagno, dum ille cõtextus exponebatur, frequenter manus iungere, ad cœlum tollere oculos, altè crebrò suspirare, aliáque eiusmodi facere, quæ in admirationem vnum quémque raperent. Ad extremum, Gallicarum Ecclesiarum formula, quæ quidem reformatæ sunt & dicuntur, precibus conceptis cœtus dimissus est. Nos tamen qui nouissimè adueneramus, eodem in conclaui prandimus, dapes appositæ farina ex radicibus *Boucanatus* piscis, hoc est assus in morem Barbarorum, aliæque radices in cineribus coctæ (de quibus rebus omnibus, earúmque natura ne orationis confundatur series alio loco dicemus) potus autem (quod fons tota insula nullus, neque puteus, aut aquæ dulcis flumen existat) è cisterna aut colluuione potius deciden tis pluuiæ, tam subuiridis atque fœdæ, quàm illa est quæ in veteri fossa, oppletáque ranunculis stagnare consueuit. Nihilo tamen secius, ad stomachum facere videbatur, quod in nauib. pessimã corruptissimámq. biberamus. Bellaria fuêre, otiúmque à laboribus tantæ nauigationis: statim à prandio, ad communiẽdum Castellum, quod de nomine Colinij voca-

Villagagnonis gestus inter audiendũ concionem

Quàm bene prandiosimus à Villagagnone accepti.

cabatur deducti sumus. Ita nos perhumaniter accepit Villagagno, primo aduentus die. Vesperi cùm ad quietem domicilia quærerentur, Philippus & Pastores duo vile cubiculum nacti sunt in vmbilico insulæ, vtq; pietati faue re crederetur casa nobis attributa: hanc è Villagagnonis mancipiis Barbarus porrò herbis contegere, atque in littore extruere satagebat. Tum, vt Americani solent, suspensis è xilino culcitris in sublime quieuimus. Postridie cùm necesse non haberet Villagagno tam longa nauigatione debilitatos atque æstu, qui est ferè semper in Brasilia maximus, adeò vehementer vrgere: ad hæc malignè cibum præbere, videlicet bina in diem acetabula ex crudæ farinæ radicibus (quam partim aqua putri è cisterna subigentes, vt pulticulã edebamus, partim crudam, vt Barbari) labor idem, vt & diebus, qui postea consequuti sunt, renouatur. Ea certè diligentia, vt tot incommoditatibus cõflictatos, atque à mane ad vesperam in opere esse coactos, paulò inclementius accipere videbatur, quàm officium boni patris (qualem se nobis aduenientibus demõstrarat esse futurum) postulabat. Desiderio tamen arcis illius muniendæ, quàm se fidelibus extruere præ se ferebat: quodq; Richerius è ministris ætate prouectior ad excitandos omnium animos demonstraret, in Villagagnone nos alterum habere Paulum (qui tum profectò de Christiana pietate propaganda excellentissimè disserebat) nemo est inuẽtus quin vltra vires mẽsem integrum in opere uersaretur assiduè, quod ta

men præter consuetudinem accidisset. Itaque Villagagnonem pernego iure conqueri potuisse, quamdiu ad Euangelij pręscriptum vitā composuit: vnquam illi pro arbitrio nostram operam defuisse.

Disciplina Ecclesiastica primùm à Villagagnone constituta.

Vt autem ad rem redeam, prima nostri aduentus hebdomade, non tantùm Villagagno suffragatus est, verum etiam instituit, vt ad publicas preces, quę opere, singulis diebus, absoluto, fiebant: binę Dominico, singulę diebus reliquis horarię conciones adderentur, séque omnino velle docuit, purè vt sacramenta ex Dei verbo administrarentur, nulláque additione humana violata. vigêre prętereà disciplinam Ecclesiasticam contra eos qui delinquerent. Quibus Ecclesiasticis tanquam legibus die Dominico ad 12. Cal. April. cùm sacra Iesu Christi Cœna esset primùm celebranda, in Castello Brasiliensi Colinio, eósque ministri antè interrogassent, qui admitti debebāt: quòd in suspicionem venisset quidam Ioannes Cointas qui Hector etiam vocabatur, quō damè Sorbonę doctoribus, ab eo petiêre, vt antequā ad Cœnam accederet, publicè fidem edere vellet. Ac obsequutus ille coram omnibus Papismum eiurauit.

Dies quo cœna Domini primū in America celebrata est.

Papismum Cointas eiurat.

Villagagno etiam concione peracta, zelo se ardere simulans, erectus in pedes docuit, centuriones, magistros nauium, nautas, reliquosq. qui concioni cùm interfuissent, Religioni tamen puræ omina nondum dederant, huiusce mysterij nō esse capaces, ideo egredi iussos sustinere nō potuit vt administrationē panis,

atque

atque vini cernerent. Preterea vt Castellum, sicuti aiebat, Deo dedicaret, fidémque coram Ecclesia ederet, genibus in puluinum è bombyce (quē illi perpetuò ferebat minister) positis, alta voce duas preces pronuntiauit, quarū exemplum nactus, quò quisque intelligat certiùs, quàm istius hominis difficile fuerit ingenium pernoscere, hîc ascribere fideliter visum est, ne immutata quidem literula.

Preces Villagagnonis antequam Domini cœnam perciperet.

Deus oculos aperi, ósque mentis meę dirige, te vt laudent, precentur, tibíque agant gratias, pro bonis quę tu in nos excellenter effudisti. Deus omnipotens, viuus, immortalis, pater ęterne Filij tui Domini nostri Iesu Christi, qui tua prouidentia, omnia in cœlo & in terra cū Filio gubernas: quemadmodū infinita bonitate tua, Electis à condito mundo patefecisti: & nominatim per filium tuum, quem in terram misisti, & per quem nobiscum te communicas, vt qui alta voce dixeris, Illum audite, ac post eius ascensionem per Sanctum Spiritum in Apostolos effusum: tuæ maiestati corde cō fiteor coram Ecclesia tua quam hîc ædificasti, me omnibus externis viribus meis & prudentia cognouisse, quicquid inde boni emanare videtur, mera tenebrarum esse opera, sapientia carnis, zelo vanitatis polluta, solius corporis cōmodo atque vtilitati seruiēs. Quare spōte mea profiteor me adēpta tui Spiritus lāpade, ad peccādum modò esse idoneū, remotáq. omni gloria, prędico, si qua luce ac scintilla virtutis commendari potest, illud à me opus inceptum, ad solum te bonorū omniū autorē

pertinere. Hac fide præditus, toto corde, Deus meus, tibi ago gratias, quòd me à negotiis huiusce mundi auocato, in quibus vitam ambitiosè traducebam, me tamen illuminatione tui spiritus hîc constituere dignatus sis, vbi totis viribus palam tibi seruiam, sanctúmque regnum tuum adaugeã. Præterea mihi sedẽ pacatã iis optare liceat, qui nomẽ tuũ publicè inuocare nõ possunt, te vt sanctificẽt atque adorẽt in spiritu & veritate agnito Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, qui vnus est mediator, vita nostra atque dux, solumq́. nostræ salutis meritum. Tibi etiam ago gratias Deus optime, quòd me in loca ista deductum, inter eos qui de nominis tui excellẽtia nunquam audierãt, à Satana autem tanquam illius hæreditas possidebantur, ab eorum tamen improbitate conseruáris, quamuis humanæ vires deficerent, atque etiam vt nostro tantùm audito nomine timerent, effeceris: nosq́. palantium & dispersorum laboribus educaris. Ad ferinósque impetus coercendos, immissis atrocibus morbis, eos qui erant magis cauendi è medio abstuleris, cæteris ad eam paucitatem redactis, vt res nouas moliri non audeant. Qua de causa, cùm sedẽ nobis huc rectà, duce te appulsis, tutò ponere licuit: tùm Ecclesiam inter nos ædificare, vt in vnitate ac timore sancti nominis tui ambulantes, ad vitam æternam deduceremur. Itaque quoniam tibi complacitum est, Domine, regnum tuum in nobis stabilire, oro te per Filium tuum Iesum Christum, quem hostiam esse voluisti, nos vt in tua charitate cõfirmet,

Hoc additum est, quòd eo anno Barbari extra ordinem febre pestilentiali laborantes multos ex suis amisêre.

adauge

adauge tua dona in nobis, in primis verò fidem, nósque tuo Spiritu sanctificatos illumina, vt toto animi affectu tuæ gloriæ seruiamus. Benedic etiam Domine & Pater, huic castello Colignio Galliæque, Antarcticæ, quò inuictum sit iis receptaculum qui citra omnem hypocrisim, vt te glorificent, huc sunt appulsuri: Itaque ab hæreticorum perturbationibus liberati te vnum verè colamus. Fac etiam vt Euangelium hoc in loco vigeat, tuósq; seruos erige ne in errores cùm Epicureorum tum aliorum Apostatarum labantur, sed in vero tuæ veritatis cultu ad verbi tui normam constanter perseuerent. Tu quoque Deus Optime Regem nostrum (qui quod ad hanc vitam supremum in nos habet imperium) eiúsque vxorem & familiam protege, eósque quibus vtitur à consiliis, Gasparem item Colignium cum vxore ac liberis, eiúsque studium iuuandæ huius Ecclesię magis ac magis inflammato. Mihi verò seruo tuo humillimo prudentiam quæ me regat largire, ne à recta via deflectam, sed omnibus Satanæ auocamentis tua gratia adiutus possim occurrere, téque Deum misericordem perpetuò agnoscere cum Filio tuo Iesu Christo, qui tecũ regnat cum Spiritu Sancto in Apostolos effuso. Creato igitur cor rectum in nobis, mortifica nos peccato, regenera in hominem interiorem vt iustitiæ viuamus, carnem domito vt actionibus animæ à te inspiratæ apta sit, tuæ vt voluntati in terra pa-

reamus quemadmodum in cœlo Angeli. Ne autem eorum penuria quæ ad vitam ſunt neceſſaria in bonitatem tuam diffidentia peccemus, tua prouidentia & victum largire, & ſanitati prouide. Ac veluti cibus terrenus calore ventriculi coctus abit in ſanguinem & alimentum corporis: ſic noſtrum omnium animas Filij tui carne & ſanguine paſcito, cúmque nobis nos in illo forma, denique expulſa omni malicia (qui à Satana eſt cibus) ſubſtitutis autem charitate ac fide, nos in filiorum loco habeas. Cùm autem in te peccauerimus, pro tua miſericordia, ſanguine Filij tui peccata ablue (noſti.n. naturaliter in nobis Adami rebellionẽ hærere) peccatum nec poſſe animam tibi ſanctè parere im perfecto repugnãti corporis organo. Quamobrem tui Filij merito ne peccata nobis, imò ſacrificium mortis eius imputato, quam fide cum illo perpeſſi ſumus in illo nempe inſiti perceptione corporis eius in Euchariſtiæ myſterio. Præterea concede, vt exemplo Chriſti qui pro *interfectoribus* precatus eſt, ſi qui in nos deliquerunt, eis parcamus, ſimúſque non vindictæ, ſed ac ſi amici eſſent de eorum cõmodis ſoliciti. Si quando autem felicitatis mundanæ ſplendoris & honorum recordatione perculſi fuerimus: contra verò paupertate atque onere crucis fermè oppreſſi, quãdoquidem nos ita exercere tibi viſum eſt, ne mũdanis ſaginati deliciis in te rebellionem moliamur: erige nos, & afflictionem acerbitatem

tatem

tátem tempera, ne quam seuisti in cordibus nostris sementē suffocēt. Te oramus etiā, Pater cœlestis, vt à conatibus Satanæ nos custodias, quos à te abalienare molitur. Serua nos ab eius ministris, atq; infesta barbarie, cuius in medio nos collocasti: abige etiā qui fidei Christianæ Apostatæ huc & illuc vagantur, ad tuam obedientiam illos reuoca, datóque vt tandem resipiscant. Euangelium salutare tuum per orbem vniuersum publicetur, Qui viuis & regnas cū Filio tuo, & Spiritu Sācto in æternum. Amen.

ALTERA PRECATIO AD Dominum nostrum Iesum Christum, quam continuò Villagagno pronuntiauit.

IESV Christe Fili Dei viui, æterne, consubstantialis, splendor gloriæ Dei, & imago viua, per quem omnia condita sunt, qui genus humanum rato Dei decreto damnatū quòd rebellasset Adamus, (is enim vt vita æterna frueretur, à Deo è terra desumptus, nequaquam virili semine contaminata vnde peccandi necessitatem hauriret, omni virtute libero etiam arbitrio præditus perfectionem conseruādam, carnis tamen concupiscentia iactatus telísque Satanæ inflammatis excitatus, peccato inferior in se iram Dei prouocauit:) vnde certissima cōsequebatur hominum perditio nisi te pro immensa tua & inenarrabili charitate, Deo pa-

tri obtulisses, te enim pro Adamo substituisti, atque vt nos purgares, fluctus omnes maris illius indignationis paternæ tulisti. Quẽadmodum autem Adamus è terra minimè quidem corrupta eductus est absque vllo virili semine: ita cõceptus es è Sancto in vtero virginis, ad similitudinem carnis Adami tentationibus obnoxiæ assidueque vexatę supra omnes homines absque peccato: denique tuo corpori voluisti Adamum eiúsque posteros inserere dum pascis eorum animas carne tua & sanguine tuo, mortémque subiisti vt tanquam corporis tui membra in te alantur, Deóque Patri tuo sint accepti, tuam enim mortem ac si perpessi essent perinde satisfacientem pro eorum peccatis offers. Quemadmodum autem diffusum est in posteros Adami peccatum, & per ipsum mors: sic à Patre impetrasti vt credentibus iustitia tua imputaretur, quos manducatione carnis ac sanguinis tui tecum vniuisti, ac in te ipsum trãsformasti tanquam nutritos carne tua, quę verus est ad vitam æternam cibus, quo filij sint iustitiæ non autem iræ. Quãdoquidem igitur tot bonis nos cumulasti, ad dextrámque Patris sedẽs ęternùm pro nobis intercedis, summóque sacerdotio fungeris secundùm ordinẽ Melchisedech, miserere nostri, serua nos, fideíque incrementum dato, Patri offer confessionem quam corde non minùs ac ore coram Ecclesia tua edo, sanctifica me tuo Spiritu, quemadmodũ his verbis es pollicitus,

Non

Non relinquam vos orphanos, hîc etiam Ecclesiam promoue vt tranquillè degentes purè te colamus qui viuis & regnas cum patre & Spiritu Sancto in secula seculorum. Amē.

His duabus recitatis precationibus, ad mensam Domini primus accedit Villagagno, genibúsque in terram positis, è Ministri manu panem & vinum recipit. Atque vt paucis expediam non multò pòst, cuiusdam ex antiquis dictum comprobauit, difficile esse diu virum bonū simulare. Illi enim & Cointæ, quamuis vterque Papismum eiurasset, (ac sanè iam tum nemini non patebat quicquid ab illis factum esset, ostētationem redolere,) litigare quàm doceri magis erat in votis. Quo factum est vt breui spatio interiecto de nonnullis doctrinæ capitibus, præsertim verò de Cœna Domini, disceptare cœperint. Quamuis enim Transsubstantiationem Papisticam repudiabant, commentúmque illud crassissimum, & absurdissimum esse prædicabant, Consubstantiationem verò minimè probabant, ab iis tamen erant longè alieni, quæ à Ministris ex Dei verbo docebantur: nimirum panem & vinum, in corpus & sanguinem Domini nullo posse mutari modo, nec rursum hæc illis includi: sed in cœlis Christi corpus esse, vnde seipsum vi Spiritus Sancti signa percipientibus fide in alimentum spiritale communicat. Quicquid sit (aiebat vterque) hæc verba, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, non alium admittunt sensum, nisi vt

Ad Cœnam Domini accedit Villagagno.

Disputatio Villagagnonis & Cointæ aduersus Ministros.

No.

corpus & sanguis Christi signis contineātur. Quòd si quærat quispiam, quo tandem sensu Transubstantiatione & Consubstantiatione repudiata? Illud equidem nescire me non diffitebor: ac sanè ipsos nō minùs ignorasse existimo. Etenim, cùm euincerent nostri ex complurium Scripturæ locorum collatione, huiusmodi loquēdi formulas nō nisi figuratè accipi, Scripturámque consueuisse Sacramentorum signa pro rebus signatis vsurpare: illi verò quid contra afferrent solidi nihil haberent, nihilò tamē secius obstinatis animis in hæresi permanebant: ignoratáque qua id fieret ratione non tantùm carnali modo Christi carnem, sed etiam in Ouetacatium morem crudam deglubere volebant. Interim Villagagno animum suum dissimulabat diligenter. Itaque sibi optatius nihil esse, quàm vt rectè doceretur, testatus, Charterium è Pastoribus alterum, naui Brasilio, Americanísque mercibus onustę impositum (quæ prid. Non. Iun. soluit) in Galliam eo consilio remittit, vt super quæstione de Cœna Domini, sententias nostrorum afferret Doctorum, in primis verò Iohannis Caluini, cuius arbitrio acquiescere se dicebat omnino velle. Ac sanè ab eo nō semel verba hæc audiui, D. Caluinus ex iis est vnus qui ab Apostolis extitere doctissimi, nec vllum legi Doctorem, qui meo iudicio rectiùs, puriúsue Scripturam eo exposuerit. Vt autem se reuerentia in Caluinum duci testaretur, nō modò

Charterium Pastorem in Galliam remittit Villagagno.

Dictū Villagag: de Caluino

proli-

prolixè quo in ſtatu eſſet iis narrauit literis quas ad Caluinum reſcripſit, ſed etiam peculiariter manu propria (quod à me in Præfatione eſt commemoratum, atque ex epiſtola data prid. Cal. Apri. 1557. videre eſt) Braſilico pigmento quæ ſubiecimus verba adſcripſit. *Addam conſilium quod literis tuis adhibuiſti: ſumma animi contentione operam daturus vt ne vel tantillum ab eo deflectamus: hoc enim certè nec ſanctius, nec rectius, nec ſanius vllum eſſe, perſuaſum habeo. Quamobrem etiam literas tuas in Senatu noſtro legendas, deinde in acta tranſcribendas curauimus: vt ſiquando à curſu aberrare contigerit, earum lectio ab errore reuocet.* Quinetiam Nicolaus quidam Carneus, cui literæ illæ erant commiſſæ, cùm ad Cal. April. profecturus, valediceret, nobis renuntiauit ſe in mãdatis à Villagagnone habere, vt Caluino ſignificaret, conſilium quod dediſſet in perpetuum monimentum in æs inciſum iri. Itémque vt aliquot ex Francia viros & mulieres, & pueros ſecum rediens adduceret, ſumptibus ſe ſuffecturum. Priuſquam verò vlterius progrediar, prætermittendum minimè exiſtimo, puerulos decem Barbaros nouem circiter annorum in Galliam miſſos. Hi ab hoſpitibus noſtris bello capti à Villagagnone verò empti, poſtquam Richerius paſtor à cõcione manus illis impoſuiſſet, precéſque ſimul omnes ad Deum fudiſſemus, vt eſſent tanquam primitiæ miſeri illius populi, nauibus impoſiti ad Nonas Iun. tandem in Gal-

Pueri decẽ Barbari in Galliã miſsi

liam deuecti, Henrico tum Regi oblati ſunt, qui primariæ autoritatis viris bonam partem donauit, nominatim verò Paſſio vnum, quem Baptiſmo quoque initiandum curauit, eúmque ego poſt meum in Galliam reditũ apud illum agnoui. Præterea ex Villagagnonis domeſticis iuuenes duo ad 3. Non. April. iuxta Eccleſiarum reformatarum ritum vxores duxerunt puellas duas, ex earum numero, quæ nobiſcum tranſportatæ fuerant. Quæ à me propterea commemorantur, quòd non modò nuptiæ Chriſtiano ritu tunc primùm in America ſunt celebratæ: ſed etiam quòd è Barbaris plerique, qui ad nos eo die acceſſerant, mulieres indutas (cuiuſmodi nullas ante id tempus conſpexerant) maiori cum admiratione contemplabantur, quàm Eccleſiaſticas ceremonias, ipſis alioqui planè incognitas. Cointa itidem ad 16. Cal. Mai. matrimonium contraxit cum adoleſcentula, Rothomagenſis cuiuſdam cognata, cui nomen Roqueto: hic non multò poſt noſtrum in Americam appulſum puellam hanc mercium omnium quas aduexerat teſtamento hærede facta, vita functus erat, merces verò erant cultelli, pectines, ſpecula, panni criſpati, hami, aliáque id genus commercio cum Barbaris habendo accommoda. Quæ quidem hæreditas commodùm Cointæ obuenit: quippe vniuerſam in vſus ſuos tranſtulit.

Nuptiæ primò in Braſilia Chriſtiano ritu celebratę.

Reliquæ duę (nam quinque numero fuiſſe, in

in deſcribenda nauigatione noſtra, à me antè demonſtratum eſt)non multò pòſt duobus è Neuſtriis interpretibus nupſere: atque ita nullæ inter nos puellæ mulieréſue Chriſtianæ ſuperfuerunt innuptæ.

Porrò, cùm hîc de matrimoniis mentio inciderit, ne id duntaxat videar, quod in Villagagnone vituperandum eſt, attingere, quod verò laudandum ſilentio præterire, aliquid obiter in eius commẽdationem dicam. Neuſtrij quidã naufragi inter Barbaros agebant, multò antè quàm illuc appuliſſemus: hi abiecto Dei timore, ſeſe cum indigenis mulieribus & puellis crebris ſcortationibus cõtaminabant:de quibus liberos quos ſuſceperãt annos iam quinque natos vidi.Itaque Villagagno, cùm, vt iſtorum profligatam libidinem coërceret, tum etiam vt eorum omniũ, qui noſtram inſulam incolebant, à tanto facinore patrando animos auerteret: ex totius Senatus ſentẽtia legem tulit, qũa Chriſtianis omnibus ſcortationem cum Barbaris mulieribus capitalẽ fecit: addita legi exceptione, tum demum licere cum illis matrimonium contrahere, ſi ad Dei cognitionem vocarentur, Baptiſmóque initiarentur. Sed vt nulla extitit, quæ ferinis moribus exutis Seruatorem Chriſtum vellet agnoſcere, licet crebris cohortationibus Barbaræ illius gentis aures quotidiè perſonarent, ita tantiſper dum ego in terris illis ſum verſatus, Gallorum nemo exſtitit qui vllam in vxorem duxerit. Ac

Optima lex à Villagagnone lata.

quemadmodum lex illa verbo Diuino dupliciter nitebatur: ita etiam, cùm ab omni Villagagnonis familia, tum à nobis vniuersis studiosissimè fuit obseruata. Quinetiam, etsi post meum in Galliam reditum, acceperim solitum esse Villagagnonem in America stupris & libidinibus cum Barbaris mulieribus se inquinare: nihilò tamen seciùs ingenuè profiteor eum ne in minimam quidem huius criminis suspicionem quamdiu ibi viximus, incurrisse. Quinetiam legem à se latam adeò inuiolatè obseruandam curauit, vt ex interpretibus quendam suspendio adiudicare voluerit, quòd scortationis cum muliere, quam antè compresserat reus peractus esset. Verùm amicis apud eum intercedentibus, capitali pœna liberatus, pede catena vinctus est, ac pro mancipio habitus. Itaque quantum cernere mihi datum est, hac in parte laude dignus est Villagagno. Vtinam verò in cæteris eodem se gessisset modo, Ecclesiæ magno cessisset emolumento, quo boni cõplures hodie fruerentur. Sed ille tanto veluti oestro contradicendi transuersus agebatur, numquam vt in ea simplicitate acquiesceret, quam accuratè retinendam esse quibuslibet verè Christianis Sacræ docent literæ, cùm de administratione Sacramentorum disseritur.

Cœna secundò à nobis in propugnaculo Colignio celebrata, obiectionésque Villagagnonis.

Is enim, quæ consequuta est, Pentecostes die, qua Cœnam secundò celebrauimus, palinodiam recinens, apertè iis est refragatus, quæ ipse proposuerat, cùm Ecclesiasticam institueret

tueret disciplinam:(quo tempore, quemadmodum in superioribus dictum est, volebat humana omnia procul amoueri figmenta, & facescere:) Asseuerabat enim ex authoritate Cypriani, atque Clementis, aquam in Cœnæ celebratione vino infundendam esse, nec, vt id modò fieret, præfractè, ac necessariè iubebat: verùm etiam credendum esse impudenter affirmabat, panem consecratum æquè corpori, atque animæ prodesse. Sal præterea, & oleum Baptismi aquæ immiscendum censebat: neque licere Ministris ad secundas nuptias conuolare: ad cuius sententiæ confirmationem, locum Diui Pauli ad Timoth. detorquebat, *Episcopũ oportet vnius vxoris virum esse.* Tandem consilio alieno penitus repudiato, à se vno duntaxat in posterum pendere voluit, nullóque fundamento nitens, in iis quæ perperam ex Scriptura proferret, omnia sus déque inuertere pro arbitrio aggressus est. Atque vt cuilibet patefiat, quàm validis vtebatur argumentis, ad ea, quæ semel probare instituerat, confirmãda: è Scripturę pluribus, à me vna duntaxat in medium proferetur sententia. Id igitur quod ex ipsius ore audiui aliquando, cùm quendam è suis ad hunc modum erudiret.

1. Tim. 3. 2.

Nunquámne legisti in Euangelio historiam illius leprosi, qui Christo dixit, Domine, si velis, potes me purgare: cui simul ac Iesus respondit, volo, purgator, statim purgatus est? ita etiam (aiebat insignis ille Scripturæ interpres) cùm Christus de

Locus Scripturæ à Villagagnone adaptatus.

pane dixit, Hoc est corpus meum, nulla adhibita interpretatione alia, credendum est illud in ipso pane inclusum esse: neque est quod moremur Geneuenses illos. Præclara scilicet vnius Scripturæ loci ex alio interpretatio. Tam sanè acuta atque illius qui in Concilio quodam, ex illo Geneseos, vbi docemur Deum creasse hominem ad imaginem suam, neruosissimè concludebat, habendas igitur esse imagines. Itaque sententia feratur ex isto Villagagnonis (qui tantum posteà de se sermonem excitauit) festiuæ Theologiæ præclaro specimine, an nō præstantissimus ille Theologus (quod de se, repudiata Religione vera thrasonicè prædicare non erubuit) Caluino silentium imponere, quíque illius partes tueri vellent, vincere disserendo facilè potuisset. Alia insuper ex illo quamplurima de Sacramentis audiui non minùs ridicula, quibus tamen commemorandis supersedeo: propterea quòd, post reditum eius in Galliam, non modò Petrus Richerius suis eum coloribus depinxit: sed & alij deinceps ita detersum, depexúmque dedêre, vt palmam, idipsum in posterum præstare cupientibus, præripuisse videantur.

Duo ista depectendi & detergendi verba libellos duos aduersus Villagagnonem designant.

Eodem tempore ad eruditionis venditationem publicè prælegere Cointas cœpit: ac Euangelium secundum Ioannem exorsus, (cuius quàm difficilis & ardua sit explicatio, iis est cognitum, qui Theologiam profitentur) tãto cũ iudicio enarrabat, vt tertio quoque verbo extra oleas (vt aiũt) vagaretur, nihílque

hílque fermè nisi alienum afferret: quo tamen vno administro tunc vtebatur Villagagno ad veram Euangelij doctrinam oppugnandam. Quid ergo? obiiciet aliquis, Franciscanus ille Andreas Theuetus, qui grauissimè conqueritur in sua Cosmographia, *cùm Ministri à Caluino in Brasiliam missi, summa erga se inuidia flagrarent, munerísque suo se interponerent, impedimento sibi fuisse, quominùs miserorum Barbarorum errantes animas Christo lucrifaceret*: (hæc enim sunt illius verba) ob mutescebátne tunc temporis? An saluti Barbarorum animosiùs incumbebat, quàm Ecclesię Romanæ defensioni, cuius se veluti fulcrum, & columnam iactitat? Hanc Theueti vanitatem refellere procliue est. Superiùs enim demonstrauimus, eum in Galliam ante nostrum in eas terras appulsum rediisse. Itaque monitos iterum lectores velim, vt quemadmodum in explicandis nostris cum Villagagnone, Cointáque disputationibus, ad castellum Coligniũ in Brasilia habitis, nulla Theueti mentio facta est, neque posteà fiet: ita Theuetum à Ministris, de quibus tamen loquitur, conspectũ fuisse neque Ministros ab illo. Quamobrem veluti præfatione in hunc librum, à me demonstratum est, cùm egregius iste Catholicus Romanus à nobis abesset eo tempore, maríque quadragies centenis millibus passuum interiecto vallaretur: quò tutior esset à Barbaris, quos in suam necẽ à nobis excitatos fuisse, non erubuit falsò prodere: nugis o-

Tom.2.lib.21.cap.4.

Theueti vanitas.

Cosmog. cap. tom.2.lib.2. cap.2.

mnibus valere iussis, zeli, quo se erga Barbaros flagrasse profitetur; cùm interpellatus est à Ministris, exemplum afferat multò certiùs denuò enim affirmare libet, tam illud esse falsum, quàm quod maximè.

Villagagno Caluinum vituperat, quem antea laudauerat.

Verùm, vt vnde sum digressus, eò redeam: statim post Cœnam Pentecostes die celebratam, Villagagno se opinionem, quam antea de Caluino conceperat, prorsus exuisse demonstrat: eum teterrimum hæreticum à fide aberrantem pronuntiat, nec responsum sibi expectandũ arbitratur, quod ab eo per Charterium Pastorẽ postularat. Exinde nos toruè intueri, animúmque à nobis abalienare, cõcionibus interesse raro, quas etiã sub Maij mensis exitum vltra dimidiam horam prorogari vetabat. Ita Villagagnonis simulatio & hypocrisis quæ diu in pectore latuerat, tandem foras erupit, vt cum planè (vt aiunt) intus, & in cute nosceremus. Ac si quæratur quænam horrenda istius defectionis causa fuerit: non ita planè constat. Quidam enim nostrûm sibi omnino persuadebant, inde id accidisse quod à Cardinali Lotharingo, aliísque qui ad eum è Gallia scripserant per quẽdam nauarchum qui circa id tempus ad Friense promontorium sexaginta millibus citra insulam, in qua morabamur, appulerat, grauiter fuisset reprehensus, quòd à Catholica Romanensi Ecclesia desciuisset: hísque literis eũ ita perterritum fuisse, vt sententiam repentè mutauerit. Post meum tamen reditum acce-

Defectio Villagagnonis à Religione reformata, illiúsque defectionis occasiones.

pi,

pi, Villagagnonem cum Cardinali Lotharingo consilium iam iniuisse, antequàm è Gallia excederet, de vera Religione simulanda, vt faciliùs authoritate Colignij maris præfecti abuteretur, Ecclesiæque Geneuensi, & Caluino præsertim imponeret: quemadmodum initiò diximus, ad manum colligēdam, vtrisque scripsisse. Vtcunque res se habeat, id verè affirmo, eum post defectionē, conscientia, veluti à carnifice quodam excruciata, ita tetricum, & morosum euasisse, nemo vt ad eum vellet accedere. Ac identidem per corpus Diui Iacobi (hanc siquidem deierandi formulam crebrò vsurpabat) deierans se caput ei brachiáque, & crura comminuturum esse minabatur, qui vel tantillum sibi stomachum moueret. Verùm enim verò cùm se hic locus offerat, vt de eius crudelitate aliquid commemorem, insigne eius exemplum demonstrabo, quod præsente me tunc edidit in quendam Gallum Rochæum nomine, quem catena vinctum tenebat. Huic resupino, atque humi abiecto prælongis fustibus ventrem adeò per satellitem cecidit, vt miser ille spiritum ægrè duceret. Quibus minimè contentus, altera corporis parte contusa ictibus, ita truculentus ille miserum compellabat per corpus D. Iacobi, scelestè, alterum porrige latus: præterea infelici hominem sorte, abiectum humi, confectum plagis, mortíque proximum coëgit arti operam nihilò dare seciùs, quàm antè consueuisset: faber autem

Villagagnonis conscientia excruciata, eiúsque ordinaria deierandi formula.

Villagagnonis crudelitas.

O Judas.

erat lignarius operis inteſtini. Eadem animi lenitate, ac manſuetudine erga pleroſque vtebatur, qui etiam erant in vinculis, quòd eandem cum infelici Rochæo illo cauſam ſuſtinerent. Cauſa porrò erat, quòd cùm eos indignis modis antequàm appuliſſemus, Villagagno tractaret, communi conſilio decreuerant eũ in mare præcipitem dare, vt qui grauiùs multò premerentur, quàm ſi ad triremes amandandi fuiſſent. Ex quibus fabri quidam lignarij ob eius crudelitatem, ſe cum Barbaris in continentem recipere maluerunt (à quibus etiam benigniùs habebantur) quàm cum eo verſari diutiùs. Eum etiam crudeliorem triginta, quadragintáve, tum viri, tum mulieres Barbari ſunt experti, lingua ipſorum Margaiates appellati. Ii à confœderatis Tououpinambaulſiis bello capti erant, ac Villagagnoni pro mancipiis traditi. Cuius in Barbaros feritatis exemplum proferre viſum eſt. *Mingantius* quidam ex iis vnus erat: hunc præſente me, tormentum vlnis complecti cùm adegiſſet, lardo igne liquefacto, ac in clunes guttatim diſtillante cruciauit, cùm ne culpam quidem obiurgatione dignã admiſiſſet. Tot, ac tantis calamitatibus Barbari conflictati, ad hunc ſæpe modum querebantur. Si tot ærumnis nos ab iſto *Paycola* (hoc enim nomine Villagagnonem compellabant) expoſitum iri duxiſſemus, longè ab hoſtibus dilaniari, deuorariq; maluiſſemus, quàm ad iſtum abduci. En obiter humanitas

Barbari Villagagnonis mancipia malè ab ipſo tractati.

eius

eius particulam paucis attigi. Hæc verò satis esset attigisse, nisi, vt supra commemoraui, primo aduentu nostro, velle se diffluentem in vestibus coërcere luxum disertè denuntiasset.

Itaque necessariò dicendum videtur, quàm egregio cæteris exemplo hac in re præluxerit: nempe vt, cùm non solùm è bombyce, lanáque pannis, verùm etiam vndulatis complurium colorum abundaret: in arculis tamē à teredinibus, ac tineis corrūpi mallet, quàm vestiendæ familiæ distribuere, cuius plerique nudi ferè incedebant. Sibi verò diebus hebdomadæ singulis, mutanda comparauit sena vestimenta: suo singulis colore attributo, rubro, luteo, ceruino, albo, cæruleo, viridi, congruentibus inter se perpetuò tunica, & femoralibus: quæ quàm bene tum ipsius ætati, tum dignitati quadrarent, cuiuis existimandum relinquo. Inde tamen id commodi capiebatur, quòd ex colore illius vestimenti, quo indutus erat, facilè conijciebamus, qualis eo die futurus esset: adeò vt viridis & luteus color mali perpetuò quiddam portēderent. Inprimis verò cùm talari vndulata veste, nigro è bombyce lymbo circundata, indutus esset, mirum dictu quantam de se ridendi materiam præberet: ita vt non illepidè à suis histrionis effigiem præferre diceretur. Proinde, si de hac veste quicquam audiuissent, qui ad summum maximè illius ruentis ollæ labrum Barbari cuiusdam instar, nu-

Villagagnonis habitus.

dum delinearunt: minimè dubium eſt, quin pro inſigni ornamento veſtem illam ei impoſuiſſet, vt & ſuam ei crucē, fiſtulámque collo appenſam reliquerunt.

Ac ſi quis reprehendat nimis me curioſè iſthæc rimari (prout etiam fateor, quæ attigi poſtremò, eſſe indigna quæ memoriæ prodantur) facilis eſt reſponſio. Etenim cùm Villagagno furētis Herculis, maximè poſtquàm in Galliam reuerſus eſt, perſonam induerit, aduerſus eos, qui Religionem ex verbo Dei reformatam profitentur: demonſtrandū exiſtimaui, in ſingulis quas ille amplexus eſt religionibus, quàm inculpatè ſe geſſerit: maximè cum ob eas, de quibus in prefatione dixi, rationes, pauca elegerim è multis.

Cauſa noſtri à Villagagno ne diſceſſus

Internuntio tandem Philippo ei denuntiauimus, quòd Euangelicam profeſſionem exuiſſet, neque vlla conditione alia eius imperio eſſemus obnoxij: nos in poſterum operam, in muniendo præſertim Caſtello denegaturos eſſe. Qua audita re, interdixit, ne bina illa farinæ ex radicibus confectæ acetabula, quæ (vt à me commemoratum eſt) diebus ſingulis dabantur, nobis ampliùs præberentur: ſperans hac ratione futurum vt in ſummum diſcrimen adduceremur, aut fame etiā necaremur: tantum verò abfuit, vt noſtrûm quiſquam id ægrè tulerit, vt contrà lætaremur: multò enim plus farinæ à Barbaris falce vna, vel duobus, tribúſue cultellis mercabamur, quàm ſex ille menſibus diſtribueret. (Ii

ſiqui-

ſiquidem noſtram ſæpe inſulam lintribus adibant: vt & nos ipſi mutuò Barbarorum pagos ad commeatum expediendum, petebamus.) Itaque quòd cibaria non eſſent attributa, nos ab eius ſacramento penitus eſſe liberos duximus. Ac certiſſimum eſt rem vi aggreſſurum fuiſſe, niſi vehementer ſuis diffiſus eſſet, quorum primarij nobis apertè fauebant. Tamen rem tentare voluit: cùm enim ego, Ioannéſque Gardienus è continente reuerteremur: (vbi tũc circiter quindecim dies inter Barbaros egeramus) is veniæ ignorationem ſimulauit, quam impetraueramus à Barreo ipſius Legato, antequam ex inſula egrederemur. Itaque acceſſit legi, quam ipſe tulerat, violatæ: hac cauebatur, ne abſque venia Caſtello quis excederet. Quare nõ modò eam ob rem nobis manus inijci volebat, verùm etiam eò crudelitatis procedebat, vt pedibus, tanquam mancipiis catenam aptari iuberet. Cui pœnæ eò magis fuimus affines, quòd qui nos deduxerat Philippus, quíque, vt nõnulli aſſerebant, demiſſiùs Villagagnoni, quàm eius ferret dignitas obtemperabat, non modò non opitularetur: verùm etiam oraret, vt ſupplicium illud vnum, alterúmue diem ſuſtineremus, à vinculíſque nos liberatum iri polliceretur, vbi primum ira Villagagnonis paululùm deferbuiſſet. Attamen nos id nunquam eſſe paſſuros diſertè reſpondimus: tum quòd lege nõn teneremur, tum verò præcipuè quòd, (vt diximus) cùm fidem

Villagagno nititur nos in ſeruitutẽ redigere.

fregiſſet,qua receperat,ſe inter nos religionis verę diſciplinam conſeruaturum eſſe,addicti eius eſſe imperio in poſterum recuſaremus. Accedebant eorum exempla,qui catena vincti, indigniſſimè, crudeliſſiméque palàm accipiebantur.Quo ille reſpõſo ceſſit: animaduertebat enim quindecim eſſe, aut ſexdecim è noſtris tanto amicitiæ vinculo inter ſe cõiunctos,alter vt alteri iniuriam fieri ægrè pateretur:adeò vt difficillimè, ſi vlteriùs progrederetur, in ſuam nos poteſtatem redigeret.Præcipui etiã inter ipſius milites (quemadmodum ſuperiùs attigi) quòd religionem veram profitebantur,iniquo animo illius defectionem ferebant. Ita vt niſi eſſent veriti, ne Colignius,qui authoritate regia fretus eũ miſiſſet, neque qualis poſteà extitit cognouiſſet, offenderetur, quidam ex noſtris hac occaſione oblata hominem in mare præcipitem dediſſent.Eius carnem,& latos humeros piſcibus nutriendis aptos eſſe iocabãtur. Maxima tamen pars benigniùs cum eo agendum ſatiùs eſſe duxit. Conciones etſi publicè ſemper haberentur, (quas vel non audebat,vel non poterat interturbare:) attamen ne ampliùs nobis offendiculo eſſet Cœnam celebrãtibus,ab eo tempore noctu eo inſcio celebrabamus.

Queſtio vtrũ Cœna ſine vino poſſet celebrari.

Et quoniã in poſtrema in illis terris Cœnæ celebratione, nobis ex vino illo quod ex Gallia aduectum fuerat, cyathus tantùm ſuperfuit,cúmque aliũde habere minimè poſſemus,

ſemus,exorta fuit quæſtio inter nos, vtrùm ſcilicet,vino deficiente, poſſet alio potus genere celebrari. Quidam præter cæteros Scripturæ locos,hunc etiam afferentes,quo Chriſtus in Cœna inſtituenda,poſt gratiarum actionem, Apoſtolis expreſſè teſtatus eſt, ſe *non amplius ex vineæ fructu bibiturum eſſe*: cenſebant deficiente vino,ſatiùs fore abſtinere à ſigno,quàm illud ipſum mutare. Alij contrà aſſerebãt,cùm Chriſtus in Iudæa verſaretur, eum mentionem vſitati potus feciſſe: credi verò par eſſe, ſi inter Barbaros verſatus fuiſſet,non modò Americanam ceruiſiam:verùm etiam farinam ex radicibus,qua illi pro pane vtuntur, Cœnæ Sacramento adhibiturum fuiſſe. Ac proinde concludebant,vt,quemadmodum ſigna panis, ac vini mutare nollent, quandiu ea præſtò eſſe poſſent: ita minimè dubitaturos,pane,ac vino deficiẽtibus, Cœnam celebrare iis rebus adhibitis, quæ ad vitam hominum fulciendam,panis,ac vini locum vſúmque obtinerent. Et quamuis plerique in poſtremam ſententiam inclinabant, quia tanta rerum penuria non fuit, quæſtio illa remanſit ſub iudice. Verùm enimuerò hæc placida diſputatio nullius inter nos diſſidij cauſa fuit,qui per Dei gratiam perpetuò fuimus animis coniunctiſſimi, vt libentiſſimè optarem, inter eos omnes, qui religionẽ verè Chriſtianam profitentur,tam bellè cõuenire, quàm eo tempore inter nos conueniebat.

Matt.26.26.
Marc.14.25.

Causa ob quam Villagagno in munitione sua nos diutiùs manere non permiserit.

Vt verò finem imponã iis quæ de Villagagnone dicenda fuerũt, sub exitum Octobris, iuxta tritum illud prouerbium, quo fertur, In amicitia dissuenda, debere homines fucum facere: magis ac magis nos, Euangelicámque doctrinam execratus, apertéque significans sibi ampliùs in animo non esse, vt in sua Insula, Castellóque moraremur, statim egredi iussit. At si collibuisset, quemadmodum suprà demonstrauimus, à nobis Villagagno pelli insula facilè poterat. Verumtamen, tum vt de nobis omnem conquerendi materiam præcideremus: tum ne nota Euangelio inureretur, ad cuius præscriptum nos vitã instituere velle, eáque de causa in Americam venisse, iam antè Gallia, cæteræque nationes audierant, sine vlla contentione ei loco cessimus. Itaque cùm octo circiter menses apud Insulam, Castellúmque Colignium mansissemus: cui etiam muniendo vehementer nostræ desudauerant operæ: in continẽtem exacti progredimur, ibíque expectauimus mẽses duos, dum è portu Salutari appulsa nauis, (cuius cũ magistro conuenimus, in Galliã nos vt transportaret) onustáque Brasilio vela faceret. Interim Ganabaram *sinum* ingredientes sinistro in litore, locóque à Gallis Laterana dicto consedimus, mille passibus à Castello Colignio. Quemadmodum verò frequẽter, & familiariter inde apud Barbaros commeabamus, inita cum Barbaris consuetudine, vnà cominari, agere, ambulare: illi se humanissimos

Locus quem in continẽte Americæ incoluimus.

mos præbere,(vt cũ benignitate facilè superarent, qui ne dicto quidem violatus à se nos expulisset) hospites inuisere, cibariis etiam, rebúsque necessariis adiuuare cœperũt. Hactenus quæ Villagagnonis fuit in religione inconstantia, quàm crudeliter sub religionis specie nos accepit, quæ eius disputationes, ad Euangeliúmque repudiandũ extitêre causæ, qui sermones quotidiani, quæ sæuitia in domesticos, qui cultus corporis, breuiter dictũ sit: quem autẽ dedit nobis cõmeatum, quámque proditoriè nos dimiserit in tempus illud reijcio, quo ad reditum in Galliam naues ascendemus. Interea Villagagnonem suos in Castello miserè afflictãtem paululùm relinquens, primò eius propugnaculum describã, sinúmque cui imminet.

CAP. VII.

Descriptio sinus Ganabaræ, qui & Geneurensis appellatur: Insulæ, Castellique Coligny, atque insularum adiacentium.

CVM sinus iste à Barbaris Ganabara dictus, eo tempore, quo illic agebamus, inter cæteros eius regionis portus, nauibus Gallicis notissimus fuerit: abs re non existimaui alienum, si peculiarem eius descriptionem hoc

loco proponerem. Ille à Lusitanis Geneurensis appellatur, quòd Calend. Ianuar. primò eum intrasse credatur: trib úsque viginti gradibus iacentem vltra Æquinoctialem lineã, sub Capricorni tropico: Cuius rei meminisse Lectorem cupio, vt Theueti agnoscat impudentiam. Is in libro vir. Illustr. *Quoniambecum* laudans, ait, me, aut alium impostorem, hunc sinum ad tres & viginti gradus, prope polum Antarcticum collocasse, quum tamen nunquam aliter, quàm hîc scripserim. Quæ alij de sinu isto scripserunt, prętermitto, eúmque quatuor & viginti passuum millibus patêre affirmo. In quibusdam verò locis in latitudinem crescere, donec 14. aut 16. conficiat. Et quamuis ij montes, quibus iungitur, non adeò sint excelsi, atque ij sunt, quos Geneuensis lacus alluit, rectè tamen cum eo comparari potest propter vicinitatem vndique terrarum.

Comparatio lacus Geneuensis cum fluuio Genabara in Brasilia.

Ostium eius periculosum est, quia relicto mari trium Insularum incultarum oræ legendæ sunt: vnde magnum nauibus periculum imminet, ne scopulis allisæ penitus frangantur. Deinde præternauigandum est fretum, quod cùm trecentos in latitudinem passus non habeat, enascitur sinistrorsum è monte, ac rupe pyramidis formam imitante: quæ nõ modò est immensę magnitudinis: verùm etiam eminùs artificio quodam elaborata videtur. Propter eius autem rotunditatem, & quòd ingenti turri persimilis esset, hyperbo-

licè

licè à Gallis *le Pot de beurre*, appellata fuerat. Paulò vlteriùs intra ſinum ipſum rupes extat ſatis plana, quæ in circuitu patet circiter centum & viginti paſſus. Hæc à nobis *Le Ratier* dicebatur, quam Villagagno cùm primùm appuliſſet, impoſita primùm ſupellectile, ac impedimentis, muniri poſſe ſperabat: vi tamen vndarum inde pulſus eſt. Ea porrò, quam incolebamus inſula, duobus eſt paſſuum millibus vlterior: hęc (vt cõmemoraui) erat inculta ante Villagagnonis aduentum. In circuitu circiter paſſus mille complectitur, latitudinẽ ſexies ſuperante longitudine: ſcopuliſque ad libellam ſummæ aquę extantibus cingitur, qua de cauſa naues citra tormẽti iactum accedere nõ poſſunt: éſtque ideò naturâ munitiſsima, vt adiri ne nauigiolis quidem poſsit, niſi è portus latere ex aduerſo ingredientis Oceani. Hæc ſi diligenter cuſtodita fuiſſet, nec expugnari, nec intercipi potuiſſet, quemadmodũ à reditu noſtro fuit à Luſitanis occupata, eorũ qui relicti eſſent culpa: ab vtraque parte eminebat colliculus, cuius in faſtigio tuguriolum Villagagno extruxerat: rupi verò quinquaginta, aut ſexaginta pedes in altitudinẽ porrectæ, & ad inſulæ cẽtrum ſitæ, ſuũ impoſuit prætorium. Reliqua in planiciem redacta, domiciliis continebantur, quæ, annumerata omni Villagagnonis familia, octoginta circiter homines incolebant. Illa omnia ſi prætorium excipias aliquot fabrilibus lignis ædificatum & propugnacula qualicunque cæmento ſuperin-

Rupes vocata vas butyraceum.

Muſcipula.

Deſcriptio Inſulæ & propugnaculi in quo Villagagno habitabat.

propugna: Colignianum p[...] discessum Villega: a lusitanis occupatum

ducta, parua erant tuguriola, prout Americani solent, lignis extructa rotundis, herbáque contecta, dum paucis artificium munitionis illius, quam Villagagno nuncupauit Colignīū in Gallia erectum Antarctica. Id autem ab eo factū est, vt Gaspari Collignio Galliæ Thalassiarchę gratularetur: néque immeritò. Nunquam enim sine illius fauore, ac ope (vt anteà commemoraui) cùm iter illud agere, tum vllam in Brasilia munitionē exædificare potuisset. At cùm illius viri longè nobilissimi memoriam immortalitati commēdare velle, præ se ferret, (Nam, vt eius defectionem taceam, violatámque fidem qua receperat, antequam è Gallia excederet, se verum Dei cultum in Brasiliensi ora instauraturum esse:) quantam quæso ansam Lusitanis arcem à se desertam, nunc obtinentibus præbuisse putatis erigendi trophæa de nomine Collignio, Galliǽque Antarcticæ, quod illi tractui fuerat impositum?

In quibus commemorandis satis mirari nequeo, Theuetum Anno 1558. biennio post suum in Galliam reditum, vt Henrico secundo adularetur, qui regnum tunc temporis administrabat, in describendo sinu isto, & propugnaculo Colignij, ad dextrum latus in continente vrbem depinxisse, quam Henricopolin nominat. Et quamuis tempus ei satis superfuerat ad illius erroris emendationē, nihilominus in sua eum Cosmographia extare voluit. At ego vehementer affirmo, cùm

è

è Brasilia migraremus, id quod contigit plus octodecim post Theueti profectionem mẽsibus, pagum nullum, vrbem verò multò minus, eo vnquam in loco fuisse, vbi suam falsò Henricopolin collocat. Atque etiam fluctuans vrbis sæpe nomen inuertit, quam primò vernaculo sermone Ville-Henry, secũdò Henry uille nominat, idẽ etiã tertiò facturus, si ea de re loquatur in posterum. Inde apertè liquet, hominem somnia tantùm afferre, ac vanam quandam picturam. Cæterùm quis non animaduertit, multò magis Theuetum nomine Regis Henrici abusum esse, quàm Villagagnonem Colignij, quod imposuit propugnaculo suo? Errore autem denuò repetito, videtur Principis memoriã prorsus conspurcare voluisse. Rectè, Plutarchus, Augustum Cæsarem excandescere, ait, solitum, si quid de se nisi grauiter, & à viris præstãtibus memoriæ proderetur: eum quoque magistratibus in mandatis dedisse, ne paterentur nomen suum à morionibus, histrionibúsque haberi ludibrio. Alexander publico edicto cauit, ne ab alio, quàm Apelle pingeretur: regium quippe nomen in pretio esse debet. Vt autem obuiam respondenti Theueto eam, locum cuius meminit, eum esse nego quem nos Laterariam vocabamus, in quo operarij nostri tuguriola quædã ædificauerãt. Attamen fateor, vbi primùm Galli consedere, montem extare, quem de Regis nomine, Henricum appellarunt: vt alterum

Vrbs imaginaria in operibus Theueti.

Augustus Cæsar

Alex: Magnus.

etiam posteà Corquillercum diximus, de cognomine Philippi Corquillerci, cuius ductu illuc appuleramus. Sed si tanta est inter mõtem, & vrbem discrepantia, quãta inter templum, & vaccam, Theuetum in describenda Vrbeurica, aut Henricurbe delirasse quis dubitet, aut imponere Lectori⁹ voluisse? Ego autem, ne de his præter veritatem loqui videar, eorum appello testimonium, qui iter illud confecerunt: sedeãt etiam inter iudices, qui Villagagnonem simul comitati, quorum adhuc nonnulli supersunt, an in eo loco extiterit quoddam vrbis vestigium: & non potius totum illud figmentum poetarum somniis valde sit affine. Quoniam autem (vt in præfatione dixi) Theuetus, me, sociósque sine causa est adortus, molestè ferre nõ debet, si vnius facere iacturam vrbis hac mea defensione cogatur. Cæterùm multos in eo prætere errores notaui, quos singillatim exponam, nisi se his contentum esse demonstret. Malè me certè habet quòd interrupta sermonis serie, huc delapsus sum, sed cùm id veritatis tuendæ gratia fecerim, liberum facti mei iudicium Lectoribus relinquo.

Vt igitur quæ restãt de Ganabarasim persequamur, sciendum est vltra propugnaculum, decem ferè millibus pulcherrimam, fertilissimámque insulam iacêre: ea cùm in circuitu duodecim passuum millibus pateret, Magnæ insulæ nomen à nobis sortita est. Quinetiam quòd à Tououpinambaulsiis fœderatis

Magna insula.

deratis

deratis incoleretur, eam frequenter petebamus, ad exportandam farinam, aliáque necessaria.

Sunt præterea in illo sinu maris multæ insulæ incultæ, in quibus prestantissima ostrea reperiuntur. Barbari quidem in litoribus se submergentes, manibus adferunt lapides ingentes exiguis ostreis (illi *Leripes* vocant) circumdatos, quæ sic petris adhærent, vt vix sint auellenda. Horum plenos lebetes coquebamus, & in quibusdam exiguas gemmas reperiebamus.

Leripes ostrea.

Hic fluuius multorum piscium genere abundat, in primis mulis quàm optimis, suibus marinis, & mediocribus aliis, quorum nonnullos, in capite de Piscibus, describam. Hic verò ingentes, ac monstrosas Balenas silentio præterire nolo, quæ pinnis aquam superantibus, nobis ita fiebant obuiæ, vt tormentulis facilè peterētur. Veruntamē istiusmodi globis eas valde lædi non existimo, tātum abest, vt interfici possint: eáque de causa recedebant à nobis innoxiæ, quòd pelle sint durissima, crassáque pinguedine. Harum vna, quatuor, & viginti à Castello miliaribus Friēse promontorium versus in vadis adhærescens, Oceanum repetere, quòd eā aqua profundior defecerat, non potuit: ad quam tamē accedere ausus est nemo, antequàm expiraret, quippe cùm suis conatibus vicinam terrā concuteret, & à quatuor millibus passuū exaudiretur. Postquam verò vitam exhalauit,

Balenæ.

Balena in vadis.

multi ex Barbaris, & noſtris fruſta quædam carnium deciſarum abſtulerunt: reliquum autem eo in loco remanſit. Eas verò carnes parui faciebamus, propter inſipidum guſtũ: pinguedinem verò colliquabamus, vt oleo expreſſo ad lucernas vteremur. Lingua verò, quæ pars exiſtimatur præſtantiſſima, ſale condita fuit, Thalaſſiarchæ in Galliam tranſmiſſa.

[Lin]gua Balenæ, pars [pr]æſtantiſſima.

Fluuij dulces.

Duo ſunt etiam flumina, quæ ad extremitatem ſinus terra vndique circundata, cum eo coniunguntur. In iis ego aliquoties cum Gallis nauigaui, & multos Barbarorum vicos in vtroque littore ſitos inuiſi. Hæc ſunt quæ in hoc ſinu præcipua cognoui; atque etiam arcis poſſeſſionem Gallis ereptam eſſe, tantò magis doleo: quantò hæc rectè cuſtodita, vt erat facillimum, tutum nobis perfugium, & Gallis commodiſſimam nauigandi occaſionem præbere potuiſſent. Vltra quadraginta, aut ſexaginta paſſuum millia Platam verſus, & fretum Magellanicum, alter eſt ingẽs maris ſinus, à Gallis Vaſarum dictus, ad quem appellunt, illuc qui nauigant, ſicut & ad Friẽſe Promontoriũ, quod & primùm tenuimus cùm Braſiliam peteremus.

CAP.

CAP. VIII.

De ingenio, robore, ſtatura, nuditate, ornamentis corporis virorum, & fœminarum Braſilienſium, apud quos annum ferè ſum commoratus.

HACTENVS ea quę in mari vidim', dũ Braſiliẽſiũ regiones petijmus, deſcripſi: quis fuerit in Inſula, & Colignio Caſtello rerum ſtatus, tantiſper dum illic viximus: qualis denique ſit Ganabara ſinus demonſtraui: Nunc antequàm naui conſcenſa reditum in Galliã parẽ, vitæ genus, & alia hîc à noſtris incognita, paucis deſcribere volo.

Vt autem ordine cuncta exequar, Barbari Americani, qui terram Braſilij incolũt, *Toupinambaulſij* nominantur, quibuſcum ego circiter annum familiariter ſum verſatus. Ii corpus nec prodigioſum, nec monſtroſum habent, ſed noſtro, qui in Europa viuimus, perſimile, quod ad ſtaturam ſpectat. Sunt quidem fortiores, robuſtiores, ſaniores, & minùs obnoxij morbis. Pauci apud eos ſunt claudi: pauci altero priuati oculo: deformes ferè nulli: licet etiam centeſimum, ac vigeſimum ætatis annum ſæpe attingant, (per lunas enim annos numerare norunt) pauci tamen caneſcunt. Id verò regionis illius temperiem indicat, quæ quum nullis frigoribus,

Statura, ac diſpoſitio Barbarorum

AEtas Barbarorum.

aut pruinis torreatur, virides herbas, agros, & arbores ſemper habet: ipſi quoque moleſtiis, ac curis omnino vacui, iuuentutis in fonte labra rigaſſe videntur. Et quoniã fontes lutoſos, & ſcaturigines peſtilentes non adeũt, è quibus mala omnis generis oriuntur, quæ nos ante tempus attenuant, macerant corpus, animum excruciant, denique perimunt: vtrumque nihil eorum ad illos pertinet: diffidentia, auaricia, litibus, inuidia, ambitione denique non laborant. Colore prorſus nigro non ſunt, ſed tamen ad nigredinẽ accedente, propter ſolis vehementiã, quemadmodũ Hiſpanis, ac Prouincialibus vſuuenire videmus.

Barbari rerũ mundanarũ neglectores.

Nuditas Barbarorum in genere.

Cæterùm viri, fœminæ, infantes nudi prorſus incedunt, nec vllas corporis partes vnquam tegunt, nullo eius nuditatis pudore. Attamen villoſi non ſunt, vt quibuſdam viſum eſt, imò ſimul atque pili in corpore apparent, aut vnguibus, aut forcipibus paruulis, quas à Chriſtianis accipiunt, euellunt: barbam ipſam, palpebras, ſupercilia eradicant, vnde luſci, toruóque aſpectu fiũt. Idem legimus in inſula Cumana vſurpari à Peruenſibus. Caput quidem illi capillis veſtitum habent, qui maribus ab ineunte ætate à vertice ad ſinciput raduntur, vt monachorum coronam dicas: ad occiput verò comam nutriunt noſtrorum more maiorum, quam, vbi ad collum vſque fluctuat, reſecant. Hîc, ne (ſi fieri poſſit) aliquid à me prætermittatur, quod ad hanc tractationem pertineat: illud

In eos qui Barbaros villoſos eſſe putant.

Hiſt. gẽ. Ind. lib. 2. cap. 79.

lud addam, esse nimirum in illis terris herbas quasdam duorum digitorum latitudine: hæ paululum incuruæ, in orbem & longitudinem excrescunt, veluti calamus, qui contegit spicam milij illius prægrandis, quod apud Gallos triticum Sarracenum nuncupatur. Vidi aliquando senes (non tamen omnes, nunquam adolescētes, multò minùs pueros) qui duobus illius herbæ foliis acceptis, filóque xylino virilia contegerent, atque etiam fasciis, ac linteolis, quæ à nobis habebāt, obuoluerent. Qua in re primo aspectu elucere videretur scintilla quædam naturalis verecundiæ, si modò id ea de causa facerent. Etsi enim id penitiùs nunquam sum scrutatus: nihilominùs tamen arbitror id ab illis fieri tegendi alicuius morbi gratia, quo in senectute partes illæ conflictantur.

Quare senes Americani interdū virilia tegant.

Hoc insuper de more habent, vt ab infantia puerulis omnibus labium inferius pertūdāt, eóque in foramine os quoddam perpolitum, ac instar eboris candidum inseratur, minimarum figura pyramidum, quæ supra mensam in quincuncem ordinatæ, verticillo petuntur. Pars fastigiata pollice vno, duobúsue digitis extrinsecus porrecta, inter gingiuas, & labium retinaculo adhæret: ídque pro arbitrio auferunt, reponúntque. Os verò illud fastigiatum, ac candidum, in adolescentia tantùm gestant. Cùm verò ad grandiorem ætatem peruenêre, cúmque lingua sua *Cono*-

Labium perforatum & eius perforationis ratio.

mi ouaſſou vocari incipiunt, (quod grandem, aut craſſum adoleſcentem ſonat) foramini labiorum inſerunt lapillum viridem, ex genere pſeudoſmaragdi, qui ſimiliter obice quodam intrinſecus retentus extrinſecus apparet, capitati argentei rotunditate, ac latitudine, craſſitudine autem duplici. Atque etiã nonnulli reperiuntur, qui digiti longitudine geſtent, cúmque teretem. Cuius poſtremi generis vnus à me in Galliam allatus eſt. His lapidibus interdum ſublatis, Tououpinambaultij, linguam foras per rimam illã labiorum, animi gratia egerunt, ita vt gemini oris effigiem ſpectantibus præbeant. Vtrùm verò ſpectaculum iſtiuſmodi placeat, an deformes admodum hac ratione fiant, facilè eſt iudicatu. Alios inſuper vidi, qui lapillos eiuſmodi virides in labiis geſtare non contenti, vtriſque malis eundem ad vſum perforatis, includebant.

Lapilli virides labiis inſerti.

Malæ perforatæ ad lapillos inſerendos.

Quod ad illorum naſos attinet, cùm apud nos obſtetrices ſoleant ab ipſo puerorũ ortu, vt formoſiores, ac productiores efficiant, digitis extendere: contrarium prorſus inſtitutum apud Americanos noſtros obtinuit. Puerorum enim pulchritudinem naſi depreſſione metiuntur. Itaque ſimulac ex vtero matris prodière, pollice naſus eis deprimitur, perinde atque catellis in Gallia quibuſdam fieri ſolet. A quibus longè illi diſſident qui quodam in Paruani regni tractu, feruntur tã-

Hiſt. vniu. Ind. lib. 4. cap. 108.

to

to esse naso præditi, vt ex eo smaragdi, cyanij, aliíque lapilluli, cùm candidi, tum rubri, filo aureo suspendantur.

Ad Choream Nasi... torum

Nostri præterea Brasilienses cōpluribus, pigmētis & ac coloribus sibi corpus variegāt: inprimis verò crura, ac tibias adeò inficiunt atro colore, ex succo fructus cuiusdā, ab illis *Genipat* dicti, vt eminùs animaduersa, femoralib' sacerdotalitiis induti esse videātur. Ea porrò nigredo expressa ex illo *Genipat* fructu, ita illorum cuti adhęrescit, vt decem aut quindecim diebus elui nequeat, quamuis se frequenter abluant.

Barbari nigro colore infecti, & variis colorib. picti.

Adhæc meniscos etiam habent octo digitis longiores, ex ossibus apprimè læuatis, ac instar alabastri candidis (quæ *Yaci* appellāt) mutuato à Luna nomine, quam ita vocant: hos funiculo xylino ad pectus è collo appensos demittunt.

Menisci ex ossibus candidis.

Similiter frustula complura testę pręgrandis lapide quodam diu multúmque attrita perpoliunt. Rotunda deinde, ac instar denarij tenuia efficiunt, vt vmbilico pertusa, filóque xylino traiecta, pro torquibus collo inserunt: (hæc *Boū-re* ipsorum lingua vocantur) vt apud nos catenulæ solent aureæ. Id porrò, quod à multis buccinum appellatur esse crediderem, ex quo plerasque mulieres, zonas apud nos gestare videmus: cuius & quidem præstantissimi, plusquàm tres vlnas habebam, cùm in Galliam appulissem. Bar-

Boū-re torques.

bari præterea torques (quos ab illis *Boũ re* dici, anteà commemorauimus) conficiunt ex quodam genere ligni nigri, ac ſolidi, cuiuſmodi ſycomorum eſſe Matheolus teſtatur, quod ad eam rem valde accommodatum eſt: quoniam ad grauitatem, ac ſplendorem gagatis accedit. Maximá præterea vulgatarum gallinarum copiam habẽt Americani: quarũ progeniem à Luſitanis acceperunt. Albis ſæpenumero plumas detrahunt, ac ferramentis quæ nunc habent: anteà vero cùm illis carerent, lapidibus peracutis molliores plumulas minutatim concidebant. Illis aquæ feruidæ, ac bullienti impoſitis, ac rubro coloris braſilico tinctis: poſtquam ſe gummi quodã ad id accommodato, illeuerunt, contegunt, atque ornant corpus, brachia, tibias, variiſque depingunt coloribus: ita vt inſtar pipionis, aliarúmue auium recèns excluſarum, lanuginem quandam habere videantur. Vnde veriſimile eſt, vt, cùm quidam noſtrates in eas terras perueniſſent, eóſque ita initio ornatos proſpexiſſent, nihil penitius de eis perſcrutati, hunc rumorem ſparſerint, Barbaros ſcilicet prorſus eſſe villoſos. Res tamen longè ſecus ſeſe habet, vt qui tales naturâ non exiſtãt. Proinde rumor ille ex rei ignoratione manauit, cui deinde nimiùm leuiter fides adhibita eſt. Quidam etiam memoriæ prodidit Cumanos ſeſe vngere ſolitos gummi quodã, vnguẽtóue glutinoſo, ac deinde ſe plumis vario-

Barbari plumis ornati crediti ſunt villoſi.

Hiſtor. gen. Ind. lib. 2. cap. 79.

variorum colorum conueſtire.

Ornatus verò capitis *Tououpinamkiorum* noſtrorũ hęc eſt ratio:præter ſincipitis abraſionem in coronæ monaſticæ formã, crinéſque occipitis quos ad collum ſummitti diximus, ſolent inſuper auiũ plumas, roſei, rubei, cuiuſuis denique coloris aptiſſimè cõpoſitas colligare, eáſque ad frontalium vſum adhibere. Hæc non malè galericula referunt non ita pridem à nobilioribus fœminis noſtratibus vſurpata: Quę proinde à Barbaris noſtris accepiſſe non immeritò dicantur. Frontale autem iſtud vernacula lingua eſt *Yempenambi*.

Frontalia ex plumis contexta.

Inaurium quoque ex oſſibus albiſſimis apud eos magnus eſt vſus, oſſibus illis nõ abſimilium quæ perforatis ſuis labiis adoleſcẽtes imponere diximus. Apud eos auis eſt *Toucan* nomine, atra, toto corpore ceu coruus, circa ingluuiẽ plumis tenuiſſimis fuluo colore, torque miniato ab imo circundatis. Partis iſtius pellem detrahunt, detractam ſiccãt, (auis nomẽ retinet) ſiccatam vtrique genæ applicant cera agglutinatam, quam *Trayetic* nuncupant. Quibus ita aptatis, dicas vmbones lupatarios ex ære, inauratos ab illis geſtari.

Inaures.

Præterea ſi ad bellum ſeſe accingant, aut pro more, de quo alibi, & ſolenni pompa captiuum deuorandum ſunt mactaturi, vt ad ornatum & elegantiam nihil deſit, veſtes in-

duunt, pileos aptāt, armillas brachiis imponunt ex plumis viridis, rubei, cærulei, & cuiuscunque alius coloris compactas, eximiæ pulchritudinis. Quibus artificiosissimè aptatis & intersertis atque adeò calamo tenui arūdineo filóque xylino admodum cōcinnè cōpactis & connexis, vt vix vllū credā in Gallia esse phrigionem qui maiori industria plumas illas tractare & aptare possit. Dicas vestes hac ratione contextas è villoso serico confectas esse. Eundem ornatum ligneis suis clauis adhibent quibus ad hunc modum ornatis elegantius dici nihil potest.

Ornamentorum postremum genus est, quod Struthicamelorum pennis leucophæi coloris, quas ab accolis accipiunt (ex quo licet colligere grandissimas illas aues in regionibus illis versari, quas tamen illic me non vidisse ingenuè fateor) hoc modo conficiunt: caules ordine ab vna parte disponunt, plumę ab altera eminent, atque in orbē circumflectuntur in modum conopæi vel rosæ. Itaque fit pennarum fasciculus quem sua lingua *Araroye* appellant. Hunc tergo imponunt, filóque xylino alligant, caulibus cutem eorum contingentibus. Quo cùm sunt ornati caueam pullis includendis tergo impositam gestare videntur. Fusiùs alibi à nobis dicetur, eos qui bellicosissimi volunt haberi, quo fortitudinem suam palam faciant, multósque à se interfectos hostes esse demōstrent, captiuos denique vorādos multos ma-

Pennarū fasciculus.

ctas-

ctasse iactent, pectus, lacertos & femora incidere, incisuras verò illas atro quodam puluere inficere, quo, ad mortem vsque earum vestigia conseruantur, itaque aspicientibus thoraces & femoralia Heluetico more incisa repręsentant.

Barbarorum incisuræ.

Compotationibus autem seu *Caouinationibus* & saltationibus illis si sit indulgendum, in quibus certè vt plurimùm occupãtur, quo magis animum excitent, præter horrendos clamores & eiulatus quos emittere cõsueuere, fructus colligunt, corticis duri satis, echinum forma & magnitudine referentes, cuius exsiccati nucleum auellunt, atque in eius locum lapillos immittunt: huius generis multos filo attexunt, tibiísque apponunt: non minorem concitati, strepitum ederẽt, ac testę limacum, si eo aptarẽtur modo, quin à saltatoriis crepitaculis non longè absunt. Quæ quidem cupidissimè exoptant Barbari cùm ad eos comportantur.

Crepitacula è fructibus.

Fert insuper ea regio arborem, cuius fructus Struthiocameli ouum crassitie adæquat, formáque refert. Hunc perforatum (eo quo à puerulis nuces apud nos perforãtur modo) lapillísque aut milij crassioris (de quo suo loco) granis immissis, baculóque sesquipedali traiecto, instrumentum *Maraca* nomine fabricant. Strepitum edit ingentem, adeò vt suillas vesicas pisis plenas superet: quò fit vt à Barbaris nusquam non manu geste-

Maraca instrumẽtum.

tur. Quæ ſit Barbarorum de iſto *Maraca* atque eius ſtrepitu opinio, præſertim cum plumis egregiè ornatum, certóque deſtinatum vſui fuerit, tum à nobis dicetur cùm de corũ religione agemus. Hactenus de natura, veſtitu, & ornatu quo *Tououpinambaulſy* noſtri vti conſueuere, paucis dictum eſto. Veruntamen appendicis vice addam, criſpatum pannum, rubri, viridis, flauíque coloris à nobis magnâ copiâ aduectum fuiſſe, ex eo veſtes omnis generis cõficiebamus: quas deinde permutatione facta cum cibariis, cercopitheris, pſittacis, braſilio, goſſypio, pipere indico, aliíſque id genus quę à mercatoribus aſportari ſolent, Barbaris dabamus. At plerique nuda corporis parte reliqua, laxa & vndãtia femoralia ſolùm induebant: Alij contra, femoralibus contemptis, tunicam nates pertingẽtem induebant. Mox autem emenſis aliquot paſſibus, & in ſeipſos oculis identidem conuerſis, non ſine noſtrorum riſu & cachinnis, exutas illas veſtes domi reponebant, quoad rurſus eas induere in animum inducerent. De induſiis quoque & pileis idem iudicium.

Barbari ex parte nudi, ex parte verò induti.

Quæ de externo corporis habitu cùm virorum tum puerorum dicenda fuerunt, ſatis fuſè perſecuti nobis videmur. Itaque ſi ex hac noſtra deſcriptione Barbarum animo ſibi repręſentare quis cupiat: in primis nudũ virum imaginetur, cuius membra aptè & cõcinnè fuerint compoſita, pili euulſi, capilli ad ſin-

Epilogus I.

ſinciput abraſi,labia,genæq; perforatæ, quibus oſſa præacuta aut virides lapilli fuerint inſerti,auriculę inauribus traiectæ , corpus variis fucatum coloribus,ſemora & tibię atro illo fuco è *Genipat* infectæ,collum torque ex minutis cochleæ *vignol* fruſtulis ornatum:talem certè habebis qualem in ea regione cõſpeximus,atque in hac tabella depictũ, conſpiciendum exhibemus, torque tantùm oſſeo ornatũ lapillóque labio inſerto in cuius altera manu arcum remiſſum,in altera ſagittas impoſuimus.



Prætereà ad hanc tabellam implendam, huic *Tououpinambaultio* vnam ex vxoribus suis apposuimus, puerulum suum pro more mitellæ xylinæ impositum in vlnis gerentem, qui vicissim vtraque tibia matris latus amplexatur. Lectum etiam è gossipio retis ad formam in aere suspensum adiunximus: fructúmque eorum optimũ *Ananas*, de quo postea, depinximus.

Iam verò si alia forma Barbarum animo informare placet, ridiculo illo amictu detracto gummi viscosa vniuersum corpus erit perliniendum, deinde plumæ minutim concisæ superiniiciendæ. Hac verò artificiali lanugine indutus vbi fuerit, quàm lepidus sit futurus non necesse est dicere.

Epilog. 3.

Deinde siue naturalem retineat colorem, seu variis coloribus aut plumis fucatus fuerit, vestes illas, pileos, armillas plumaceas quas descripsimus adhibeto. Tum maximè ornatum esse constabit.

Descriptio 3.

At si vestes illas crispati panni admouere visum fuerit eísque (quemadmodum facere eos demonstrauimus) alia ex parte nudis tunicam imposueris, cuius altera manica sit luteo altera viridi colore, ad certissimas morionis notas perparum deerit. Denique instrumentum *Maraca* his adiungere si lubet, pennarúmque fasciculum *Araroye* tergo aptatum, crepitacula quoque ex fructibus tibiis alligata, eam referet formam quã saltaturus aut compotaturus obtinet.

Descriptio 4.

Barbarorum inter saltandum & potãdũ ornatus.

Reliquam Barbarorum in ornandis corporibus industriã, iuxta integram quam ante edidimus descriptionem, vix multi exprimerent typi, qui etiam nisi adhibitis coloribus rem totam commodè haud repręsentarent: veruntamen præter ea quæ iam ante cõmemorauimus, cùm ad arma & prælia eorum ventum fuerit, toto corpore incisos, clauis ligneis instructos truculento aspectu homines dabo. Attamen hos in præsentia omittamus, ornatúque suo & voluptatibus (quibus non imperitè indulgent) frui sinamus. Cultus verò fœminarum quas illi *Quoniam*, & quibusdam in locis ex quo commercium cum Lusitanis habent *Maria* nominant, quantò sit præstantior dispiciamus.

Americanæ fœminæ nudæ incedũt.

Nuditas in primis, sicut initio huius capitis monuimus, cum viris illis est communis, pilos quoque consimiliter omnes euellunt, ne palpebris quidem & superciliis exceptis. Ad comam quod attinet, ab illis differunt: viri enim, vti dictum est, ad sinciput abradunt, ad occiput verò demittunt: fœminæ contra non modò alunt: sed etiam more nostratium frequenter pectere & abluere solent. Quinetiam xylina vitta rubro colore infecta constringere & cõplicare illis est familiare. Passis tamen & oberrantibus capillis vt plurimùm incedunt, quippe iis circa humeros circumfluentibus & volitantibus delectantur.

Inaures mõstrosæ.

Alterum quoque discrimen in eo positum est, quòd perinde vt viri, labia non perforãt: ac

ac proinde gemmis siue lapillis faciem non exornant. Auriculas tamen adeò traiiciunt, vt detractis inauribus digitum capiant: inaures istæ ex prægrandi illa cochlea *vignol* candore & longitudine candelam mediocrem adęquant: quo fit vt humeros, atque adeò pectus ipsum pertingentes si eminus conspiciantur, vestigatoris canis pendulas aures referant.

Faciei verò hunc adhibent cultum. Accersita ad hoc ministerium socia vel vicina circulum penicillo in media gena delineat, in cochleæ verò formam fucum feruleum, flauum, rubrum tantisper circunducit dum vniuersam faciem coloribus illis distinxerit ac variarit: Quinetiam palpebrarum ac superciliorum locum (quod fœminas parum pudicas in Gallia factitare audio) penicillo oblinit.

Mira Americ. fœminar. fucandarum ratio.

Armillas etiam ex compluribus candidissimis ossium frustulis in squamæ modũ incisis contexunt. ea tamen adeò aptè & concinnè cera gummi permixta iungunt, vt nihil suprà. Hæ longitudinem palmi obtinent: ac non malè brachiale illud referunt quo folliculo pellendo vtuntur apud nos. Torques quoque candidissimos quos *Boũ-re* nuncupant gestare illis est familiare: collo tamen non appendunt, qui mos est virorum, sed iis in armillarum modum brachia inuoluunt. Hũc in vsũ vitreos globulos flaui cærulei, viridisque coloris quos filo traiectos habeba-

Armillę prægrandes ex compluribus ossium frustulis cõpositæ.

mus summè exoptabant, *Maurobi* appellāt. Hos, siue ad earum pagos accederemus, siue ipsæ Castellum nostrum adirent, vt à nobis extorquerent oblatis fructibus aut aliis quibusdam, crebrò blandissimis his verbis vrgebant, *Mair, deagatorem, amabé Mauroubi.* hoc est, Galle, bonus es, da mihi armillas ex vitreis globulis. Eadem prorsus ratione pectines quos *Guap* aut *Kuap* vocāt, specula quoque *Aroüa* reliquásque merces quibus delectantur flagitabant.

Mirum verò mihi præ cæteris hoc videbatur, quòd licet corpus, brachia, femora, tibiásque variis coloribus non ita frequenter distinguant, nec plumarum ornamentis vtantur, vestes tamen ex crispato panno, à nobis sæpiùs vnà cum indusiis oblatas, vt induerēt nunquam impetrauimus. Etenim in ea pertinacia permanebant, à qua nondum demotas esse existimo. Excusationem ex recepta ab omnibus accolis consuetudine captabant; Solere omnes ad obuia quæuis flumina & fontes subsidere, vt hausta manibus aqua, caput aspergant: contingere nonnunquam vt (anatum more) vno die decies immergantur: vestes si toties sint exuendæ, molestissimum fore. Præclarā certè & speciosam causam. Atqui, quā necesse erat admittere, quippe cum illis disceptando nihil promouebamus. Adeò autem nuditas est illis cordi, vt non modò *Tououpinambaultiorum* fœminæ liberæ quæ in continente versabātur, vestes

Certum fœminar. Am. de vestibus reiiciendis consilium.

Barbararum fœm. de crebra ablutione consuetudo.

vestes omnes pertinaciter reiicerent, sed etiam captiuæ pretio à nobis emptæ, quibus pro mãcipiis ad Castellum nostrum muniẽdum vtebamur, cohiberi non poterant quin animi gratia, noctu, indusiis reliquísque panniculamẽtis depositis ante somnum per insulã nudæ oberrarent. Denique si penes eas accipiendarum aut reiiciendarum vestium fuisset potestas, à nobis verò ad eas induendas flagris adactæ non fuissent, æstum solis perferre, lacertósque & humeros lapidibus & humo comportandis lædere maluissent.

Captiua fœmina mirum in modum nuditate delectatur.

Hæc de ornamentis, armillis, reliquóque Americanarum fœminarum mundo paucis fuere dicenda. Itaque nullo addito epilogo prout cuique visum fuerit, animo concipiendas relinquo.

Quis sit infantium ab vtero matris ornatus tum à me dicetur cùm de Barbarorũ coniugiis agemus. Hic locus postulat vt aliquid de maiusculis, hoc est, tertium aut quartum annum excedentibus, quos vulgò *Canomimiri* nuncupant dicamus. His certè non parum delectabamur: siquidem, præ nostratibus puerulis, corpore præpingui, osse candido labio inserto, circumtonsis capillis, corpore nonnunquam depicto, nobis ad pagum accedentibus, gregatim choreas agitantes obuiam veniebant. Vt autem aliquid pręmij à nobis referrent, sæpius blanda ista verba repetebant *Coutouassat, amabé pinda*. hoc est, Socie da mihi hamos. hos si quando à nobis im-

Canomi-miri puerulis.

petrabant (quod non rarò contingebat) hamósque decem vel duodecim minores arenæ aut pulueri imponebamus, tum illi confestim exultare, & humi fusi terram instar cuniculorum radebant. Quæ res non minimæ erat voluptatis.

Denique quanuis Barbaros cuiusuis ętatis per annũ integrũ quo apud eos vixi sollicitè admodum sim contemplatus, adeò vt idea quædam etiamnum animo meo inhæreat: fateor tamen ob varios gestus à nostris prorsus alienos, literis eos picturáve exactè referre difficillimũ esse. Si quis igitur plenã voluptatem ex illis capere cupit, vt ipsam Americam adeat autor fuerim. At verò, dices, non vnius esse iter diei. Id quidem ego confirmo: ac proinde nonnisi cautè suscipiendum esse suadeo. De illorum casis, supellectile, cubandi ratione, aliísque non paucis, prout res tulerit, posthac dicturi sumus. Priusquam autem huic capiti finis imponatur, in eos aliquid dicendum videtur qui aut opinantur tacitè, aut etiam scriptis mandarunt commercium illud adeò frequens cum Barbaris nudis ac præsertim cum fœminis, ad lasciuiam & libidinem prouocare: dico igitur, quamuis in speciem nuditas illa concupiscentiæ esca non immeritò censeatur, tamen, vt res ipsa comprobauit, inculta illa nuditate certũ est, multò minùs opinione viros ad libidinem pellici. Itaque ausim asseuerare splendidum illum cultum, fucos, suppositititias comas, capillos

Barbari cur exactè exprimi non possint.

Americanarum nuditas cultu nostrarum fœminarum minùs noxia.

pillos

pillos calamistratos, ampla illa & tanto artificio complicata, amictoria pretiosa, mammillaria, laciniatas & vndantes vestes, cæteráque eiusmodi, quibus fœminæ nostrates tam sedulò formam mentiuntur, plura incõmoda & mala parere, quàm faciat Barbararũ nuditas, tametsi forma ab illis non vincãtur. Ita vt si pluribus seruato decoro hæc persequi liceret, efficacissimas huic sententiæ meę subiicerẽ rationes, refutatis omnibus argumentis quæ in contrariam partem afferri possint. Ac ne diutiùs immorer, eorum testimonium hîc appello qui mecum in Brasiliam nauigarunt, quíque vtrasque conspexerunt. Hæc tamen ita accipi nolim, acsi nuditas illa mihi vllo modo contra Scripturæ autoritatẽ probaretur. Testatur enim Adam & Euam, post peccatum, agnita nuditate, pudore suffusos fuisse. Eorum etiam detestor hæresim qui violata naturæ lege, non satis hac in parte à miseris nostris Americanis seruata, morem illũ turpissimum inuehere moliti sunt.

Vestium abusus foeminarum nostratium

De Barbarorum nuditate quid sentiat autor.

Sed quæ de Barbaris istis à me dicta sunt eò certè tendũt vt constet, nos nihilo minùs culpandos esse, qui istis damnatis quòd abiecto pudore nudi incedant, in aliud externè peccamus, cultu nimirum nostro nimio. Atque vtinam nostrûm quisque modesto cultu habita necessitatis & honesti ratione potiùs quàm fastus, & vanitatis, vtatur.

certé optandum.

CAP. IX.

De crassis radicibus, & crasso milio, ex quibus Barbari farinam conficiunt, qua in panis vtuntur locum: déque eorum potione quam Caou-in *appellant.*

QVANDOQVIDEM externum ornatum habitúmque Barbarorum superiori capite accepimus, à recto ordine alienum non videtur, si de eorũ cibariis hoc loco disseramus. Hoc autem in primis est notandum, licet frumentum nec habeant nec serant, vitésque minimè colant, nihilominus tamen, (quod experientia non semel sum edoctus), lautè admodum eos viuere quantumuis pane & vino carentes.

Sine pane & vino lautè viuunt Barbari.

Aypi & *Maniot* radices.

Duorum generum radices habent, quibus *Aypi* & *Maniot*, nomina indidere: Hæc intra tres quatuórue menses adeò crescunt, vt sint longitudine sesquipedales, femoris crassitudine. Erutas fœminæ (neque enim circa isthæc occupantur viri) igne exsiccatas, *Boucano* nimirùm impositas, nonnunquam etiam recentes, acutis silicibus posti infixis atterunt, prout caseum & odoratas nuces corradere solemus, farinámque candidissimam ex ea conficiunt. Tum verò cruda illa farina, atque adeò succus albus, de quo mox, qui ab ea exprі-

primitur, recentis & liquidi amyli triticei, aquâ diu madefacti, saporem prorsus refert. Adeo vt cùm post meum in Galliã reditum alicubi me prҫsente fieret, odor ille memoriam refricauit eius quo Barbarorum casæ, tantisperdum ex radicibus farina conficitur, perfundi solent.

Ad farinæ istius apparatum fœminæ Brasilienses, vasa fictilia prægrandia, vt pote quҫ singula capiant modia, satis commodè effingunt. Quibus ad ignem positis farinam immittunt, continuóque dum coquitur, dissectҫ cucurbitæ altera parte, qua pultarij loco vtũtur, permouent. Cocta tragematis minoris formam habet.

Duplex istius farinҫ genus ab illis conficitur: Alia enim percocta est & dura, *Ouy-entan* appellant, quam in militiam profecturi secũ ferunt quod diutiùs conseruetur: Alia verò minùs est cocta & mollior, *Ouy-pou* nominant: hæc priore est eò præstantior, quòd dũ recèns ori admouetur ac manditur, panis cãdidi medullæ saporem refert. Prior verò ille sapor, de quo egi, inter coquendum, in gratiorem & suauiorem mutatur.

Ouy-entan durior farina.

Ouy-pou mollior farina.

Quamuis autem hæ farinæ, præsertim recentes saporis sint optimi, summam alendi habeant facultatem, ac facilis earum sit concoctio, nihilominùs tamen pani conficiendo (vt ipse sum expertus) nullo modo sunt aptҫ. Massa quidem conficitur, quæ non dissimili à triticea modo intumescit, speciéque est op-

Farina ex radicibus ad panem conficiendũ minùs apta.

tima, ac instar similaceæ candida: inter coquendum tamen adeò exsiccatur & aduritur crusta, vt pane scisso fractóue interior pars sicca & ad pristinam farinæ formam redacta reperiatur. Quibus adducor vt credam eum qui primus retulit, (cùm non satis diligenter quod à me dictum est perpendisset) eos qui viginti duobus, aut tribus gradibus vltra Æquatorē porrecti sunt (quos *Tououpinambaultios* esse planè cōstat) pane ex lignis attritis confecto vesci solitos, quod de radicibus istis de quibus agimus est intelligendū, hallucinatum fuisse.

Hist.gē.Ind. lib.2.cap 92.

Vtraque verò farina pulmento conficiendo, quod à Barbaris *Mingant* nuncupatur, præsertim si pingui quodā iure diluatur: tunc enim orizam refert, atque eo condita modo optimi est saporis.

Mingant pulmentum & radicum farina.

Cæterùm *Tououpinambaultij* nostri cùm viri tum mulieres, nec non ipsi pueruli ab ineunte ætate huiusmodi farinam siccā panis vice edere consueuerunt. Cui rei adeo apti frequenti vsu sunt facti, vt summis digitis è figulinis vasis desumptam certa manu, ne minima quidem excepta mica, eminùs in os coniiciant. Hunc morem imitari aliquoties tentauimus, at farina illa vultum inspergebamus, in hoc nimirum negotio minùs exercitati, ac proinde, nisi mimicos moriones referre volebamus, cochlearibus vti necesse erat.

Barbari peritissimè farinā in os coniiciunt.

Galli ad farinam in os iniiciendam inepti.

Porrò radices illæ *Aypi* & *Maniot* interdum recentes frustatim conciduntur, ex quarum

rum farina, humida quidem illa, pilæ amplæ à mulieribus compinguntur, è quibus intra manus compressis succum, lactis instar, cādidum ac liquidum exprimunt. Eum vasis figulinis exceptum soli exponūt, cuius calore ad modum lactis coagulatur. Edendus verò in patellis testaceis infunditur, ac deinde, prout solemus oua frigere, excoquitur.

Succus ex humida radice expressus esculentus.

Præterea radix *Aypi* non modò ex farinæ vsu probatur, sed etiam sub cinere cocta vtiliter comeditur: quippe & tenerascit, & diffinditur, castaneæque in prunis coctæ, cuius saporem refert, est persimilis: ac proinde ita parata edulis est maximè. At radicis quæ *Maniot* dicitur longè alia est ratio, nisi enim in farinam redacta erit atque percocta, periculosissimè editur.

Radix sub cinere coctus.

Vtriusque caulis, quæ forma inter se sunt persimiles, Iuniperi humilis magnitudinem æquat: foliisque Pæoniæ similitudine. Quod verò in hisce Brasilicis radicibus, *Aypi & Maniot* maximè est admirandum, totum in copia positum est', earum rami qui calamos cannabinos fragilitate adæquant, quanta copia perfringi ac in terram quàm altissimè defigi possunt nulla adhibita alia cultura bimestri aut trimestri spatio radicum copiam gignunt.

Quæ sit radicum istarum caulis & foliorum forma.

Mira ratio radices illas propagandi

Mulieres quoque amplum illud milium, de quo dictum est, quódque vulgò à nobis triticum Saracenum, à Barbaris *Auati* dicitur, præacuto baculo in terram defixo se-

Auati, miliū amplum.

runt: ex eo item farina ab illis conficitur, quam eodẽ prorſus modo coquunt & comedunt quo ſuperiorem diximus. At verò crediderim (contra quàm à me dictum fuerat prima huiuſce hiſtoriæ editione. duo enim diſtinguebam quæ vbi penitius perſpexi, vnũ idémque eſſe iam comperio) hoc *Auati* noſtrorum Braſilienſium idem eſſe cũ eo quod Indorum Hiſtoriographus *Mais* nominat, quod, vti ipſe teſtatur, Indis frumenti vſum præbet. Illud his verbis deſcribit.

Mais Peruanum triticũ.

Harundo *Mais*, inquit, in hominis altitudinem, ac nonnunquam ampliùs adoleſcit, ſatis craſſa eſt, foliis paluſtrium arundinum perſimilis, ſpica nuci pinaſtrio ſimili, grano amplo, nec rotundo, nec quadrato, nec longitudine cum noſtro tritico comparanda, à ſemente menſibus tribus metitur: imò irriguis locis XLV. diebus. Ex vno grano 100. 200. 300. 400. 500, nonnunquam etiam 600. gignuntur. His abundè docetur quæ ſit illius regionis fertilitas, quam nunc Hiſpani occupant. Quidam ſcriptis mandauit adeò fertile eſſe in Occidentali India ſolum, vt frumentum, hordeum, miliũ denique ad cubitos quindecim adoleſcat. Hęc ſunt quæ panis vicem apud Americos ſupplere animaduerti.

Hiſt. Gen. Ind. lib. 5. cap. 215.

Calcondilus de bello Turcic. lib. 3. cap. 24.

Hiſpani ac Luſitani qui ſedes in illis terris fixerunt magna frumenti ac vini copia abundant, ex quo apparet Braſilienſium oram horum eſſe maximè feracem. Quòd autem iis rebus Barbari carent, ipſorum inſcitiæ tribuendum eſſe. Nos verò frumẽtum & vinea-

Americanũ ſolum tritico & vino accommodatum.

rum palmites eò comportauimus, expertíque sumus vtrumque illic optimè prouenire posse, si modò agri eo labore quo apud nos colerentur. Vites enim à nobis plantatæ ramĩ fluxerunt, maximo feracissimi soli argumento. Quod ad fructus attinet primo anno racemi nati sunt acidi, qui non modò non maturescerẽt, sed etiã in dies indurescerent. At verò quantum à peritis vinitoribus, non ita pridem edoctus sum, constat nouelleta primo & secũdo anno labruscas nullius pretij plerumque producere. At verisimile est Gallos si vitem illam colere perrexerũt optimas ex ea vuas collegisse.

Frumentum verò secale à nobis sata folia quidem emiserunt, ínque stipulam sunt fastigiata, ac spem fecerũt, in spicis nulla grana extiterũt. Hordeum grana permulta produxit, & ad iustam maturitatem peruenit: vnde credibile est illud solum nimiùm celeriter extrusisse frumentum, & secale, quæ diutius in terra foueri expetunt, quàm hordeum, ita vt nec florere, nec grana proferre potuerint. Eam ob causam, quemadmodum in Gallia agros, vt sint fertiliores, stercoramus, contrà illam terram assiduo cultu, ac versatione defatigandam esse arbitror, vt eo modo ferẽdis frugibus sit aptior.

Americanũ solũ ob pinguedinem frumento nostro ferendo ineptum.

Quis verò dubitat eadem commoda ex illis terris quæ Lusitani iam percipiũt, Gallos si diutius mansissent, percipere potuisse? Quòd certè fecissent, ac frequenter, nisi Vil-

Apostasia Villagagnonis in causa quòd Galli non sint in America.

lagagno puriorem Religionem deseruisset, eò commeassent. Ac sanè cùm tellus lõgè plures quàm facit, incolas alere possit: vt ego verè affirmauerim millena me tum præstantissimi totius Galliæ agri iugera possidere potuisse. Atque hoc obiter dictum sit, vt iis satisfiat, qui curiosiùs inquirunt, an apud Brasilienses frumentum, ac vinum prouenire possint, si modò excolantur.

Vt autem eò redeam vnde digressus sum, priusquam de carnibus, fructibus, piscibus, & aliis Barbarorum cibis, nostris prorsus absimilibus, loquar, vt meliùs quæ dicenda proposui distinguam, quę sit ipsorum potio, quáque conficiatur ratione, edisseram.

Brasil. fœminæ potum cõficiunt.

Hîc primò notandum est, viros, vt in paranda farina operam non ponunt, sed curam illam mulieribus relinquunt, illud idem hoc in negotio illis vsuuenire. Quin à conficienda potione multò religiosiùs cauent, præterquã quòd radices *Aypi*, & *Maniot* eo modo quo diximus, paratæ, præcipuum ipsis cibum subministrent, potionem quoque ex illis hac ratione conficiunt. Eas in primis postquam minutatim consciderunt quomodo hîc rapas ollæ inijciendas, solent, inque vasis luteis suffeeruefaciunt, quoad mollescant, emollitas ab igne remouent, ac deferuescere sinunt. His ita expeditis, earum pleræque circa ingentia illa vasa sedentes frusta illa mollita mãdendo comminuũt, deinde singula manu ab ore excipientes in aliud vas igni impositum deijciunt,

ciunt,

ciunt, vt ibi rurſus ferueãt: baculo autem con tinuò agitant donec ſatis ferbuiſſe iudicent: tum ſecundò à flammis ablatum in alia vaſa è cannis, quorum ſingula cadum minorem Burgundium æquant, minimè colatum reponunt: vbi verò rurſus ferbuerit, deſpumatúmque fuerit, cannas illas operiunt quoad, eo quo dicemus modo, ebibant. Vaſa porrò illa de quibus vltimo loco dixi, figurã earum cuparum imitantur, quibus ad lixiuiũ paſſim vtuntur Borbonij, & Auerni, ore tamẽ aliquantò anguſtiore.

Eędem quoque Braſilienſes fœminæ feruefacientes, ac ore mandentes milium illud quod *Auati* nominãt, potum eadem prorſus ratione conficiunt cum ſuperiori. Nominatim verò fœminas eã artem exercere repeto. Nam quamuis diſtinctionem inter virgines & mulieres, quæ propterea non abſtinent à virorum conſortio (vt malè Theuetus ſcripſit) ea in re nõ viderim: nihilominꝰ hoc ſibi firmiter perſuadent Barbari, potionẽ nullius ſaporis futurã, ſi radices aut milium ipſi mandant. Deinde tam hoc indignum arbitrãtur, quàm ineptum eſt quod à ruſticis Seguſianis factitatur, qui & nent, & colum geſtant. Hanc potionem Barbari vocant *Caou-in* quæ ſubturbida & ſpiſſa eſt, ac ferè lactis ſaporẽ imitatur: rubeam etiam habent, & albam, vt & nos vinum.

Potus ex milio.

Sing. Amer. cap. 24.

Quoniam autem radices iſtæ, ac milium quolibet tempore in eorum regione proue-

niunt, ideo quotiescunque visum est potum eiusmodi conficiunt tanta copia, vt semel plusquam triginta cados sexagenum sextariorum Parisiensium in ipsorum ædibus dispositos viderim: vbi pleni, opertíque remanent donec illi ad compotandum conueniãt. Priusquam verò quæ sit compotandi ratio referam, exclamando præfari liceat. Procul estote Germani, Flandri, Heluetij, omnésque adeò qui strenuè potando palmã petitis. Vos enim audito Barbarorũ potandi modo sponte illis cessuros esse video.

Americani potatores eximij.

Ergo cùm potationem aggrediuntur, præsertim cùm captiuum mactare adhibitis solemnibus ceremoniis, de quibus postea fœminæ lentum ignem circa vasa accẽdunt, vt potus ille tepescat. tepido enim delectantur, contrario prorsus à nostro more, qui vinum frigidissimum expetimus. Id vbi factum est, primùm aperiunt cadum, & poculorum loco cucurbitæ ample altera parte, quæ tres Parisienses sextarios capiat, hauriunt. Tum viri saltando ad illas accedunt, plenósque cyathos ab ipsarum manibus accipiunt, illæque identidem bibunt, & vno haustu plena pocula absorbent. Haustus verò tantisper repetunt, dum in cadis omnibus vel vna *Caou-in* gutta restat. Ego quidem ipsos tres dies & noctes continuè bibentes conspexi: quin etiam cùm vsqueadeo essẽt expleti, potúque oppressi, vt oneri ferendo impares essent, operi sese denuò applicabant, quia incepti certami-

Caou-in ante quam bibant calefaciunt.

taminis defectio ignauiam argueret.

Illud quoque est obseruãdũ, Tououpinãbaultios inter bibendum nihil edere atque inter comedendum omnino non bibere: quo fiebat vt nostrum viuendi morem valde mirarentur, cùm nos alternatim bibere, ac edere conspicerent. Ac siquis eos hac in re cum equis comparet, faceti cuiusdam responsum afferam, qui dicere solebat discrimen in eo esse, quòd Barbari aquatum minimè essent deducendi, quódque periculum non esset ne postilenas abrumpere cogerentur. Et quamuis ad cibum sumendum horam statutã non habeant, sed ad libitum vrgente fame, vel de media nocte comedant, neque vllum in bibendo modum seruent, in cibo tamen maximè sunt sobrij. nonnulli os manúsque ante, ac post pastum abluunt: quod ad os spectat, id fieri puto, quòd alioqui viscoso humore impeditum illis esset futurum, propter eas farinas quibus panis loco, vti diximus, vtũtur. Mirum illi silentium tempore cibi obseruant, ita vt in aliud tempus referãt ea de quibus colloquuturi sunt. Nos autem cum violato ipsorum instituto, vt in Gallia vsuuenit, inter prandendum sermones misceremus, ab illis irridebamur.

Tououpinãbaultij inter edendum nõ bibunt.

Barbari quoties esuriunt edunt.

Itaque tantisper dum hæc celebratur compotatio, Americani hilares canunt, saltant, choreas agitant: quin etiam se mutuò hortantur vt in bello sint strenui, & quamplurimos hostes capiant: deinde instar gruum ordine

dispositi saltant per domum in quam conuenerant, cursitant, donec cados penitus exhauserint.

Ebrietatis Barbarorum argumētum.

At certè quòd ebrietatis palmam referant non infirmum hoc est argumentū, quòd nōnulli in istis symposiis 4. Caouini sextarios exhauriant: sed tum maximè sunt, quum plumis instructi (vti antea diximus) captiuū aliquem mactant, & deuorant: tunc enim Ethnicorum more Bacchanalia sua celebrāt. Parcius quidem vicini inter se in pendulis illis lectis è gossypio contextis sedentes compotant: sed cùm singuli alicuius pagi incolæ conueniant sæpius ad compotationes immodicas, nunquam ad cibos, hoc fit vt rarò mediocres illæ & modestæ compotationes locum habeant.

Nusquam verò, ad compotationes seu mediocres, seu immensas accedunt, quin (vt antea diximus) ad expellendas solicitudines ad choreas conueniant. Sed præterea peculiare hoc est iunioribus nondum coniugatis vt pennarum fasciculis tergo annexis, & *Maraca* manibus admoto, nec nō aridis illis fructibus traiectis filo, tibiísque aptatis strepitū edentibus, (vt antea dictum est) totā noctem huc & illuc circumcursent ostiatim saltātes: ita vt iis visis & auditis sæpius in mētem veniret eorum insania, qui in quibusdā Galliæ locis vernaculè Famuli dicuntur. Solent isti tempore cōstituto sanctis & patronis vniuscuiusque parœciæ summa cum pompa decernendis

nendis ſtultorũ amictu incedere, tibiis multis tintinnabulis reſonãtibus, atque adeo per ædes & plateas choreas agitantes, ac maximè Pyrricham illam ſaltationem, huc & illuc diuagari.

Hîc verò quiddam notatu dignum ſuccurrit, in omnibus Barbarorum choreis, ſiue alij alios conſectentur, ſiue in circulum diſponãtur, vt pluribus alibi dicturi ſumus, nuſquam tamẽ mulieres aut puellas viris interſeri: quin potiùs ſeorſim ſaltare ſolitas.

Mulieres filięque à Barbarorum choreis ſeiunctæ.

Priuſquam verò narrationem inſtitutã de compotationibus noſtrorum Americ. cõcludamus, facetam admodum hiſtoriam, tragicam tamen recitare placet, vt à nemine ignoretur quàm largè eſſent vinum hauſturi ſi copia illis ſuppeteret. Quidam *Mouſſacat*, id eſt paterfamiliâs mihi narrauit.

Contigit nobis non ita pridem (inquit vernacula lingua) vt dromadẽ *Peros* (ſic illi Luſitanos cum quibus inimicitias gerunt, nuncupant) opprimeremus, mactatis & deuoratis quos in ea nacti ſumus hominibus, cùm merces eorum à nobis expilarentur, prægrandes offendimus *Caramemos* ligneos (quo nomine dolia, & reliqua vaſa ſignificant) potione quadam oppletos: Quibus ab altera parte apertis ecquid rei ineſſet periculum facere placuit. Ego verò (inquiebat vetulus ille) quodnam eſſet genus illud ignoro, nec ſatis ſcio an etiam apud vos tale exſtet. Hoc tamẽ ſcio nos vbi ad ſatietatem potauimus, totos tres

Faceta Braſiliẽſis *Mouſſacat* de vino narratio.

dies adeò ſopitos fuiſſe, vt ægrè excitati tertio die fuerimus. Plena nimirum fuiſſe vaſa illa conijcio generoſo Hiſpanico vino, quo imprudentes Barbari Bacchi feſtum celebrarint. Mirum proinde non eſt vini illius vaporibus correptos, cõfeſtim ſopitos fuiſſe prout ab illo vetulo referebatur.

Nos verò commanducatum illum fœminarum in ſuo *Caou-in* conficiendo initiò abhorrebamus: quem vt vitaremus, radices aliquot *Aypi* & *Maniot* cum quadam milij copia contuſas ferueſecimus gratiorem potum confecturos nos eſſe opinantes: ſed experientia edocti ſumus rationẽ hanc nõ ſuccedere. Quo factũ eſt vt paulatim Barbarico *Caou in* aſſueuerimus: Attamen illius vſus nobis non fuit perpetuus. Nam ſaccari cannis, quarum copia nobis ſuppetebat in aquam refrigeratã ob perpetuum regionum illarum æſtum, per aliquot dies madefactis, potum parabamus gratiſſimi ſaporis. Frigidam quoque nonnũquam bibebamus. Illic enim fontes ſunt limpidiſſimi, flumina quoque aquæ dulcis, ob aeris temperiem ita probatæ & ſalubris, vt nemini quantumuis largè pota periculum crearet. Hîc mihi ſuccurrit, aquam dulcem à Barbaris *vhete*, ſalſam verò *vheen* appellari. In qua dictione efferenda præ cæteris laborabamus: ab illis enim imo gutture pronuntiatur, quo modo ſuas gutturales Hebræi ſolent efferre. Denique quia non dubito quin ea quæ radicibus & milio fœminarum dentibus attritis

Aquæ Braſilienſiũm optimæ.

tritis

tritis ad *Caou-in* parandum diximus stomachum multis ad nauseam vsque mouerit, quò fastidium illud abstergant, peto ab illis vt rationem qua mustum apud nos exprimitur animo repetāt. Enimuerò si vinitores, vindemiarū tēpore, in iis præsertim locis quæ vina generosissima gignūt, nudis pedibus, nōnunquam, calceis indutis labra vinaria ingredi vuásque calcare, ínque ipsis torcularibus immundissimè tractare meminerint, multa cōperient non mundiora illo radicum commāducatu. Si verò quis instet feruendo ac despumando vinum purgari, respōdeo *Caou-in* quoque eadem penitus ratione sordes omnes abijcere, ac proinde parem vtriusque esse hac in parte rationem.

Caou-in cum vino collatio.

CAP. X.

De feris, prægrandibus lacertis, serpentibus aliísque Americæ monstruosis animantibus.

PRIVSQVAM vlteriùs progrediar, statim ab initio huiusce capitis lectorem breuiter admonere visum est, nullas è quadrupedum genere animantes, figura nostratibus omnino similes in toto Brasiliensi orbe reperiri, neque solere *Tououpinambaultios* ex istis aliquas nisi

Animalia in America nascuntur à nostris prorsus dissimilia.

perquam rarò cicuratas domi educare. Vt autem generatim describam animantes feras, quæ à Barbaris *Soo* appellantur, ab iis quæ vsui humano accommodatæ sunt facere initium decreui. Primo illa videtur loco esse ponenda, quæ & vulgaris est maximè: hanc *Tapiroussou* appellant, pilo subrubescenti atque promisso, vaccam magnitudine ac forma valde referentem. Attamen quum cornibus careat, sitque contractiore collo, auriculis longioribus & pendulis, siccioribúsque tibiis atque gracilioribus, vngula continua & asini vngulæ persimili, meritò quis eam vaccæ asiníque naturæ participem esse diceret. differt nihilominus ab vtroque plurimùm, quòd & breuissimam gerat caudam, (obitérque hîc monendus est Lector, permulta in America gigni animantia, quæ omninò sine cauda sint) & dentes habeat multò acutiores. nec hominibus proptereà quidquam periculi ab ea potest creari, quum in fuga potiùs, quàm in viribus salutem ponere consueuerit. Eam Barbari sagittis confixam, vt & alias plerasque interficiunt, aut fossa excauata, decipulísue alius modi ingeniosè fabrefactis, venari solent.

Tapiroussou fera quæ asinū & vaccam refert.

Cæterùm fera illa, magno est in pretio apud Barbaros, pellis gratia quam simulátque illi detraxerint, dorsi corium in orbē circumcidentes, ad solem exsiccant, in parmásque fundi mediocris cadi magnitudine conformant, quibus in bello tela hostium excepta repel-

Parmæ ex corio Tapiroussou

repellunt. Tantam verò duritiem pellis ad solem siccata cōtrahit, vt nullius ictu teli quãtumuis magno impetu vibrati, transigi posse, facilè credam. In Galliam duas eiusmodi parmas studiosè efferebam: redeuntibus verò fames ita molesta fuit, vt omni commeatu assumpto, ne Cercopithecis quidem & psittacis, eiusdémque generis animantibus exceptis, quæ ex regione illa nobiscum aduehebamus, parmæ illæ duæ, carbonibus impositæ, fuerint etiam ad depellendã famẽ comedendæ: quibus reliquæ pelles, quæ, vt suo dicam loco, in naui erant, additæ sunt.

Porrò *Tapiroussou* caro ad bubulæ gustũ ferè accedit. Hanc suo Barbari more coquunt, *Boucanare* patria lingua appellant. At quoniam vocabulum illud iam vsurpaui, & postea sæpius repetendum erit ne diutiùs lector hæreat, oblata occasione, quid hoc rei sit exponam.

Tapiroussou carnium sapor.

Americani defixis in terra ligneis quatuor furcis crassitudine brachij, trium pedum interuallo, quadrati figura, æquali verò trium ferè pedum altitudine, baculos in transuersum duobus à se inuicem distantes digitis superimponunt, itaque ligneam cratem comparant: hanc sua lingua *Boucan* nominant. In ædibus permultas huiusmodi crates habent, quibus carnes in frusta concisas imponunt & lento igne siccis è lignis excitato, vt ferè nullus existat fumus, quandiu fert voluntas coqui hunc in modum patiũtur bis horano-

Boucan & Barbarorum culina.

Conseruandorum ciborum apud Amer. ratio.

ſpatio inuerſas. Et quoniam ſale cibos minimè condiunt, quemadmodum hîc mos eſt, vno tantùm coquendi remedio vtuntur ad eorum cõſeruationem. itaque etiamſi 30. vno die feras quales hoc capite deſcribem⁹ eſſent venati, omnes fruſtatim conciſas illis cratibus ingererent, quàm citiſſimè fieri poſſet, ne corrumperentur: ibi ſæpiùs circumactæ aliquando plus quatuor & viginti horis torrẽtur, donec pars interior carnium æquè cocta ſit atque exterior, eáque ratione omnes ſint à corruptione tutæ. Nec in piſcibus apparãdis & conſeruandis alia eſt ratio, quos quũ nacti ſunt, magna copia ad farinam conficiendam exſiccant, eos præſertim quos patria ipſi lingua *Piraparati* vocant, qui germaniſſimi ſunt muli, de quibus dabitur aliàs dicendi locus. Iſtæ autem crates apud Barbaros carnaria & promptuaria meritò habenda ſunt: ideóque vix eorum pagos adire licet, quin ferarũ piſciúmque carnibus onuſta conſpiciantur: ſæpiùs etiã vſuuenire ſolet, vt poſtea dicemus, ſi adeas Barbaros, vt iſtiuſmodi crates humana carne refertas, quam ſcilicet, de victis hoſtibus interficiendis & comedendis, vt opima ſpolia reportant, intueare. Hactenus de Americana *Boucanatione* dictum ſit, cui cùm Barbaris placet elixæ carnes ſuccedunt, quod cum bona Theueti venia ſcribã, qui hoc negare auſus eſt.

Farina è piſcibus.

Humanæ carnes Boucan impoſitæ.

Vt autem inceptã ferarũm deſcriptionem perſequar, ſecundæ magnitudinis partes deferen-

ferendæ videntur cuidam ceruorum generi, quod illi *Seouassous* nominant, sed cùm hoc differunt à nostris, quòd multò sint humiliores, quódque minora gestent cornua, tum etiam illo, quòd æquè pilos demittant, atque nostrates capræ. Aper autem Americanus, quem illi *Taiassou* vocant, corporis mole, auriculis, capite, pedibus, atque iis quæ apud nos gignuntur forma valde similis est, dentibus etiam & prolixis & acutis, vehementer damnosus: tamen cùm & macilentior existat & gracilior, frendeátque terribiliter, illa quoque deformitate insignis est. Habet à natura foramen in dorso, quemadmodum in capite suem marinum habere dixi, quo spiritum emittit adimítq;. Ne quis verò istud prodigiosum existimet, Autor Gener. Indic. Hist. memoriæ prodidit apud Nicaraguenses qui non multùm à noua Hispania distât, sues nasci quibus vmbilicus in dorso est: qui procul dubio, ad idem genus cum iis de quibus hîc trado, reuocandi sunt. Cæterùm *Tapiroussou* & *Seouassou* & *Taiassou* reliquas Brasiliensis oræ feras magnitudine superant.

Seoussou genus ceruorum.

Taiassou aper.

Sues quibus foramen est in dorso.

Lib. 5. cap. 204.

Maxima Amer. animãtia.

Est quoque apud Americanos fera quædã rufa quam *Agouti* nominant nefrendis triginta altitudine, pede bifido, breuissima cauda, rostro & auriculis ferè leporinis, palato gratissima. Sunt & aliæ duorum aut trium generum quas *Tapitis* appellant, nostratibus non absimiles leporibus, subrubescenti autem pilo.

Agouti nefrẽdis ceruus.

Tapitis leporis genus.

Mures subrufi.

In syluis quoque magnas venantur sorices sciurorum pilo & magnitudine, quæ ad cuniculorum delicias accedunt.

Pag animal maculis distinctum.

Pag aut *pague* (quonã enim modo id pronuntient, vix ac ne vix quidem intelligas) fera est altitudine mediocri venatici canis, capite deformi, carne ad vitulinæ gustũ accedente, pelle pulcherrima, & maculis albis, leucopæis, nigrísque distincta, vt maximi apud nos pretij futura esset, si modò nancíscerentur.

Sarigoy fœtidum animal

Alia etiam inuenitur, quam *Sarigoy* appellant, quæ ob fœtorem à Barbaris non comeditur: Nos autem quibusdam excoriatis, & detracta renum pinguedine, vnde fœtor ille manabat, sine fastidio edimus: carne enim cùm tenera, tum optima est.

Tatou armata squamis

Est etiam illa quam *Tatou* vocant. Hæc non adeò cursu valet, veruntamen (vt apud nos hermalei) per dumeta reptans, durissimis est armata squamis, ita vt gladio transuerberari nequeat, pellem etiam illi detractam, ex qua Barbari permultas compingunt cistas. Caramenos ipsos nominatas, si complicaueris, digitalia esse militaria diceres. Carne candida est, optimíque saporis. Quod autem ad figuram attinet, tantæ proceritatis nullam videre licuit, quantam expressit Belouius suarum obseruationum extremo libro tertio, vbi tamen Brasiliensem *Tatou* nominatum designat.

His etiam animalibus, quæ apud Americanos

nos frequentiſſima ſunt, adduntur Crocodili *Iacare* dicti, inſtar humanæ coxæ, longitudine iuſta. At tantùm abeſt vt noceãt, vt plenæ iſtis Iacaris Barbarorum ſint domus, puerique ſine vllo periculo cum iis luſitent. Nihilominus audiebam ſenes commemorãtes, dum peregrinarentur, ſe à neſcio quo Iacararum genere peti, à quo ſe magna difficultate ſagittis tuerentur. Illud cùm appropinquare homines perſentiſceret ex arũdinibus erumpere dicebant, & impetum in obuium quemque facere.

Iacare Crocodili.

Cæterùm vt illa omittam quæ Plinius & alij de Crocodilis, qui in Nilo degunt, memoriæ prodidere, vniuerſalis Indiar. Hiſt. ſcriptor illis in regionibus infeſtos fuiſſe Crocodilos, ad vrbem Pamana refert, qui plus cẽtum pedes in longitudinem patebant: quod mihi quidem mirabile & portentoſum videtur, tantùm abeſt vt affirmem, quemadmodum falſò Theuetus obiecit, eo in libro quẽ de viris Illuſtrib⁹ edidit, de ſuo fabulari Quoniãbeco verba faciens: à qua calumnia quem margini adſcripſi, author me vindicabit. Eis autem Crocodilis quos mihi videre cõtigit, os erat valde patulum, alta crura, cauda verò nec rotunda, nec acuta, ſed ad extremum tenuiſſima. Vtrùm autem, vt quidam ſcripſêre, ſuperiorem mandibulam moueant, ingenuè fateor me non obſeruaſſe. Venantur inſuper Americani lacertas, *Touous* illi appellant, vt noſtrates rerum leucopeas & pelle variega-

Lib. 5. cap. 196.

Crododili portentoſæ magnitudinis.

Touous lacertæ.

ta, vt noſtrates paruæ lacertæ. Et quãuis longę ſint quatuor, aut quinque pedes, iuſta craſſitudine, ideóque forma terribili, nihilominus in ranarum morem flumina paludéſque incolunt, nemini noxiæ. Addam pelle illis detracta exenteratæ ſi coquãtur ſummè delicatas eſſe, nihil vt in America guſtauerim ſuauius. Carne enim ſunt, vt apud nos capones alba, delicata, tenera, ſuaui, vt nihil ſupra. Initio tamen ab iſtarum guſtu abhorrebam, poſteà verò quàm primum attigi, quod ad cibos attinet, ferebãt apud me primas lacertę.

Maximæ in America edules lacertæ.

Edules in America Bufones.

Bufones quoque permagnos habẽt Tououpinãbaultij, quib⁹ minimè exenteratis, toſtis veſcuntur. Quũ verò & medici doceãt & vulgo etiam notum ſit, & perſpectum carnem, atque ſaniem, & quicquid adeò bufonis eſt, lethale eſſe, facile quilibet me tacente propter illius regionis temperiem, aliáue de cauſa, quæ me lateat, vſu venire vt illic bufones, vt ſunt apud nos, minimè ſint venenati atque periculoſi.

Americani permagnos ſerpentes comedere ſolent.

Comedunt etiam ſerpentes craſſitudine brachij, quinque ferè pedum longitudine, quinetiam animaduerti Barbaros, vt de Crocodilis commemoraui, genus quoddã ex nigro & rubeo diſcolor, domum afferre intérque vxores & liberos proijcere, ita ſecuros vt manibus cõtrectarent. Has immanes anguillas terreſtres, fruſtatim conſcindũt apparántque. Inſipidæ tamen ſunt & per quàm exigui ſaporis.

Di-

Diuersi etiam generis serpentes apud eos gignuntur, & in fluuiis præsertim, vbi olerum instar virides apparent: longi atque graciles, quorum ictus maximè noxius est. nec non in syluis existunt lacertæ, præter eas de quibus supra mentionem fecimus valde periculosę vt ex narratione quam subijciam patebit. Itaque quum aliquando duobus Gallis comitantibus iter facerem visendæ regionis gratia, neque vt mos erat, vię duces Barbaros haberemus, ideóque oberraremus in syluis, vallémque profundam pedibus metiremur, audito strepitu venientis animalis ad nos cuiusdam, imbellem esse feram opinati, non secus iter incœptum persequentes securo eramus animo. Statim verò ad dextram triginta ferè passuum interuallo, in colle lacertum conspicimus: corpore humano crassiorem quinum aut senum pedum. Ille in modum Ostrei squamis albicãtibus & asperis totus, altero pede anteriori erecto, capite sublimi, collucẽtibus oculis nos intueri cœpit. Quare attoniti (nemo enim fortè nostrûm sclopettam tum ferebat, gladiis tantùm eramus accincti, arcúsque nobis suppetebãt & sagittæ. quæ tela illi monstro tam duris armato squamis nocere non admodum poterat, nihilominus veriti, ne si fuga nobis consulere vellemus celeritate superius nos vnà conficeret) alter alterum trepidè quũ intueretur, eodem in loco stetimus. At postquam ille prodigiosus & formidabilis lacertus, ore aper

Autoris de prodigiosa lacerta commemoratio.

to, & quòd æstus magnus esset (sudum enim erat meridiano ferè tempore) altè anhelans, vt facilè exaudiremus, per quadrãtem horæ nos esset intuitus, derepentè mõtis verticem petiuit, tanto fragore virgultorum, atque ramorum, quantùm ceruus syluam cursu perrans vix ederet. Itaque nos, qui tum valdè timueramus de illo insequendo non admodum solliciti, Deo liberatori gratias egimus, & institutum iter denuo sumus aggressi. Mihi autem eorum opinionem recolenti, qui affirmant lacertum aspectu hominis delectari, visum est illi monstro tantùm placuisse intuitum nostrum, quantùm eius angebamur præsentia.) Nec non apud eos fera gignitur è præda victum quærens, quam appellãt, *Ian-ouare*. Ea ferè tibiarum altitudine & velocitate canem æquat venaticum, circa mentum verò pilo est promisso, pelle variegata, pulcraque instar lyncis, ac in reliquis vehemẽter illi similis. Barbari non immeritò feram illã valdè reformidant. Nam cùm prædæ sit assueta, quemadmodum & leo, si quem eorum assequitur in frusta concisum deuorat. Illi verò vt sunt vindictæ appetentes, nec quid eorum quæ molesta sunt inultum esse patiũtur, si quã excauatis ea de caussa foueis alióne decipulorum genere intercipiant, sagittis confixam pluribus, quo diutius langueat, lẽtè interficiunt: vtque faciliùs pateat, quàm malè fera illa cum Barbaris agat, cùm aliquando quinque aut sex Gallorũ de comitatu, hâc trã-

Ian-ouare fera hominibus infesta.

sirent

ſirent, monebant Americani vt nobis à *Ian-ouäre* crueremus, quòd illa ipſa hebdomade tres crudeliter mortales in quodam eorum pago abſumpſiſſet.

Addendum verò huic editioni Latinę exiſtimaui, Americanos ante Villagagnonis expeditionem canes nunquam vidiſſe: ideóque cùm permagnum ex venaticorum genere canem intuerentur, quem cum aliquot paruulis eò aduexeramus, nobíſque ille applauderet, propterea quòd vt anteà commemoraui, ad *Ian-ouare* formam accedit, obſtupeſcebãt, ab illóque refugiebant. Ea de cauſa etiam Gomara in generali ſua Indiarum hiſtoria teſtatur, anno 1509. cùm Chriſtophorus Columbus primùm ad Inſulam Beringuam appulit, quæ & S. Ioannis nomine inſignitur, huiuſce regionis Indos, qui cum Hiſpanis bellũ gerebant, vehementer canem ſubrubidum timuiſſe, qui etiã duorum ferè ſclopetariorum erat loco: propterea quòd non modò in Barbaros ferociter impetum faciebat, verùm etiam ſocios ab hoſtibus diſcernens quãtumuis prouocatus minimè illis erat moleſtus, quin etiam Caribas recognoſcens (peſſima & maximè deteſtanda illarum omnium regionum natio) fugientes perſequebatur in mediam vſque hoſtium aciem, qui etiam tantùm excitatus, nulla quiete fruebatur, quouſque arreptum hoſtem dilaniaſſet: pro Hiſpanis tam dextrè præliabatur, vt illo comitati tam alacriter aduerſus Indos pugnaret quàm ſi

Canes primum ab Americanis conſpecti.

Cap. 44.

tres in ſuo numero habuiſſent equites. hic tamen canis dum neſcio quem Caribam nãdo perſequitur, venenata ſagitta ictus oppetijt, dominúmque triſtem admodum reddidit, lætantéſque Indos. Sic & Vallouas Hiſpanorum centurio fortiſſimus cùm primū Auſtralē patefecit Oceanum, emiſſis quos habebat canibus in Indos, qui aditu illum arcebant, Barbari tanto timore ſunt perculſi, vt fuga ſibi cõſulere cogerentur, Vallouęque canes tam profuerint quàm milites omnium præſtantiſſimi. Inſuper multi reperiuntur in Braſilienſium ora Cercopiteci, paruuli atque nigri, quos illi *Cay* vocant, quibus deſcribendis ſuperſedebo, propterea quòd nobis ſunt notiſſimi. Vnum hoc tantùm dicam, quum in arborum cacuminibus, quòd fructu quodam ſilicis veſtito, inſtar fabarum noſtratiū viuant, procelloſo præſertim tempore aceruatim garriant atque clamitant, iucundiſſimos eſſe tum aſpectu tū auditu. Cæterùm, cùm vno tãtùm partu, vnicum edat fœtum, Cercopithecus ſimul atq; editus eſt in lucē, ea naturali præditus eſt induſtria, vt à collo patris matríſue firmiſſimè pendeat: itaque ſi venatores ingruãt, parentibus per ramos deſilientibus via etiam fuga abripitur: Quod certè incredibile videri non debet cùm Mathæolus Commẽtariis in Dioſcoridē editis, Plinio atque Ariſtotele authoribus affirmet, tam amãtes prolis eſſe muſtelas, vt teneram adhuc ore comprehenſam, huc & illuc circū-

ge-

Cap. 62.

Cay cercopitheci.

Cercopithecorum in paruulis è periculo eripiendis, induſtria.

gestent. Quin etiam animantibus est omnibus illud à natura tributum, vt non modò conseruandæ prolis studio teneantur, sed etiam ad id efficiendum sagacitate mira sint præditæ. Qua de causa non facilè Barbari Cercopithecos quacũque sunt ætate venari possunt: sagittis tamen vulneratos deiiciunt de arboribus, ac deinde sanatos, & aliquãtisper domi cicuratos cum mercibus commutant. Verùm initio adeò sunt feri vt attrectantium digitos dentibus conuulnerẽt, adeò vt morsi dolore cogantur illos sępissimè ictibus conficere.

Modus capiendorum Cercopithecorum.

Est quoque apud Americanos alterius generis Cercopithecus, quem ipsi *Sagouin* nominant, crassitudine Sciuri, eodémque pilo rufo: Quod verò ad formam attinet rostro, pectore, collo, reliquísque ferè partibus leoni persimilis, audax etiam, nulli paruulorum animalium pulchritudine cedit, quos quidem illic viderim. Et si tam facilè mare trãsmitteretur quàm cætera, multò maioris esset pretij. Sed cùm tam infirmo sit corpusculo, vt vacillantem nauem ferre non possit, ea etiam est superbia, vt vel minimùm offensus, tædio vitam cum morte commutet. Hîc tamẽ quidam reperiuntur, mihíque fit verisimile eam esse bestiolam, de qua Marotus suum induxit loquentem seruulum, cuidam zoilo cui nomẽ erat Sago: alludẽs enim Cercopitheci nomen esse dicit Sagonem. Vt autem fatear ingenuè quòd res est quamuis fuerim curiosus

Sagouin pulchrum animalculum.

me, omnibus animantibus Americanis obseruandis, non ita fuiſſe diligentem, quàm optarem, nihilominus vt ſemel finem faciam, duo adhuc deſcribã genera, quæ figura ſunt prodigioſa vt quæ maximè.

Hay deforme animal.

Vnum quod Barbari *Hay* vocant, magnitudine canis eſt, facie Cercopitheci, vẽtre pẽdulo, quemadmodum Scrofæ parturientis, pilo leucopeato valde diluto, longiſſima cauda, pedibus in morem Vrſi villoſis, prolixis vnguibus: vt autem dum in ſyluis agit valde ſit ferum, captum nihilominus cicuratur facillimè. Nudi autẽ Tououpinambaultij non libenter cum illo colludunt, propterea quòd tum longos habeat vngues, tum acutos. Cæterùm (quæ res fortaſſe videbitur incredibilis) audiui & à Barbaris, & à quibuſdam interpretibus qui diu in America ſunt commorati, neminem vnquam vidiſſe tum in ſyluis tum domi animal illud cibo frui, vt quidam aura illud viuere opinentur.

Coaty roſtro prodigioſo, largo.

Alterum, de quo etiam mihi dicẽdum eſt, à Barbaris *Coaty* appellatum, altitudine leporis eſt, breui pilo & maculoſo, auriculis paruulis & acutis, capite cùm paruo, tum ab oculis eminente roſtro, plus pede vno longo, ſcipionis inſtar tereti, ſubitò ad extremum decreſcente, ita vt æquè ſit omnino craſſus, ore ita anguſto, vt vix auricularem digitum recipiat. nullũ prodigioſius inueniri poteſt: deinde cùm hæc eſt capta fera collectis quatuor pedibus, aut in alterum vergit latus, aut con-

concidit, neque vnquã erigi, neque cogi potest vt vescatur nisi præbeatur formicæ, vnde etiam in syluis sibi victum parat. Octauo ferè die, quo ad Villagagnonem venimus, Barbari eius generis ferã ad nos attulerunt, quæ ob nouitatem omnes magna impleuit admiratione. Nam, vt commemoraui, cùm si cum nostratibus conferatur sit valde prodigiosa, sæpe à quodam ex nostris familiaribus excellenti pictore summopere contendi, vt tum illam, tum plerasque cęteras, non tantùm admirabiles verùm etiam nobis incognitas, penicillo represẽtare vellet, quod maximo dolore meo nunquam ab illo impetraui.

CAP. XI.

De varietate Americanarum auium. De vespertilionibus, apibus, muscis, aliisque regionis illius insectis.

HOc etiam caput, quo de auibus agam, ab iis ordiri placuit, quæ victui humano sunt accommodatæ, generalíque vocabulo à Tououpinambaultiis *Oura* nominantur: maximam illi habent earum copiam gallinarũ, quibus ab India cognomen addimus eásque

Oura aues.

Arignau-oufou Gallinę Indicæ.

Arignau-oufou appellant : me non ab eo tempore quo Lusitani apud Barbaros agũt, gallinas etiam nostrates alere solent, ipsis *Arignau-miri* dictas. Quamuis autem vt aliàs commemoraui, candidas plurimi faciãt, vt plumis auulsis, rubróque infectis exornẽt se atque vestiant, ab vtroque tamen genere plerumque abstinent, quod ad vescendum attinet. At hæc quum sibi persuadeant oua quę *Arignau-ropia* nominant, esse instar veneni, non modò stupescebãt, si oua coram illis sorberemus, verùm etiam nos increpantes addebant, non ferendũ esse dum pullationẽ anteuerteremus nos gallinam in ouo comedere. Itaque de suis gallinis æquè ferè sunt solliciti, atque de auibus quę vitam in syluis agunt. Illas vbicunque fert impetus ponere patiuntur. At gallinæ vicissim, pullos & dumis & vepribus domum deducũt, ita vt ea molestia careant Americanæ mulieres, qua nostrates, in pullis Indicis educandis, quibus etiã ouorum præbent vitellos, fatigantur. Ac tanta fit apud eos pullatio, vt iis in pagis, qui minùs sæpe ab extraneis inuisuntur, gallina Indica gladiolo veneat, qui quidem apud nos vix sestertio nummo æstimaretur : altero autem duorum obolûm quinque aut sex gallinę nostrates constent.

Arignau-miri Gallinæ nostrates.

Arignau-ropia ouum.

Gallinarum magna copia in America.

Vnà cum Gallinis Barbari alunt etiam domi anates Iudicas *Vpec* ipsi nominãt. Quoniam verò ea imbuti sunt superstitione Tou-

Vpec Anates Indiæ.

oupi-

oupinambaultij, fore vt si Animali tã tardo vescerentur, eandem tarditatem contraherent, ita vt si hostes imminerent, fuga sibi salutem quærere non possent, vt vel tãtillum de iis degustent non facile quisquam persuaserit, eáq; de causa sibi tẽperant ab omnibus eis animãtib⁹, quę tardè incedũt, piscib⁹ etiã vt raiis alijsque, qui nõ celeriter nare possũt. Quod ad illas aues attinet, quæ degunt in syluis magnæ caponum instar, capiuntur, illæque trium generum, quod Barbari *Iacoutin*, *Iacoupen* & *Iacou-ouassou* appellãt. Pluma est omnibus nigra & leucopeata, gustu ad phasianos accedunt, veréque possũ affirmare, nihil *Iacou* illis edi vnquam suauius.

Iacou phasianorum genus.

Præterea duo sunt genera exquisitissimarum auium, quibus nomen est *Mouton* Pauonum magnitudine, ijsdem plumis quibus superiores, raróque admodum inueniuntur.

Mouton auis rara.

Macacoua & *Ynambou-ouassou*, duo sunt genera perdicũ, anserum nostratium magnitudine non absimili, quo *Mouton* gustu. Idẽ est, ferè trium sequentium sapor *Ynambour-miri* perdicum altitudine: *Pegassou*, palumbi, *Paicacu* turturis.

Magnarum perdicum genus.

Vt autem breuiter de auibus, quæ magna copia reperiuntur, tum in syluis, fluminibus, tum etiam in littoribus finiam, ad eas veniam quæ non ita sunt ad victum accommodatæ. Inter cæteras duo sunt genera eadem magnitudine, ad corui crassitudinẽ ac-

cedentia: quæ vt reliquæ aues Americanæ ro ſtro ſunt atque vnguibus incuruis, quemadmodum & pſittaci quorum in numero cenſeri poſſent. Quod verò ad plumam attinet, vt facile eſt iudicatu, vix crediderim in toto terrarum orbe aues inueniri tam excellenti pulchritudine, in quibus contemplãdis abundè non naturam vt profani, ſed creatorem laudandi ſuppetit materia: vtque res pateat, prima, cui nomen apud Barbaros eſt *Arat* plumis caudæ, atque alarum ſeſquipede porrectis, partim purpuræ inſtar rubeis, partim cęruleo colore, vehementer ſplendenti, cui & reliquæ partes corporis reſpondent. cùm in ſole agit hæc auis vbi plurimum verſatur, nemo vnquam illius aſpectu ſatiari poteſt.

Arat auis excellenti pluma.

Altera *Canide* dicta plumis inferioribus, quęque collũ circumagũt auri colore micantibus, quæ verò dorſum, alas, caudámque veſtiunt excellenti cæruleo cum textili aureo infernè induta eſſe videntur, supernè autem holoſerico pallio eos qui intuentur ſumma perfundit admiratione. In ſuis verſibus Barbari huius perſæpe meminerunt ad numerum cantillantes.

Canide pluma cærulea.



hoc eſt, auis flaua, auis flaua, &c. nam *Iouue* aut *Ioup* apud eos flauum ſonat. Quamuis autem domeſticæ non ſint hæ aues, frequentiùs tamen in arborum quæ in mediis Vicis

ſunt

ſunt cacuminibus nidificant, quàm in ſyluis, quò fit vt ter quaterue in anno à Barbaris deplumentur, è quibus plumis pileos, veſtes, armillas compingunt, clauarum ſuarũ capulos exornant, corpúſque ſuum cohoneſtant. Huiuſmodi ego pennas non paucas mecum in Galliam afferebam, earum præſertim quas flauo & ceruleo colore eſſe dixi, ſed vbi Lutetiam veni, aulicus quidam cui videndas exhibui, priùs importunus mihi eſſe non deſtitit quàm eas à me extorſit.

Plumæ è quibus pilei, veſtes &c. componuntur.

De pſittacis, trium aut quatuor generum illic capiuntur, maximos, & pulcherrimos *Aiourous* Barbari nominãt. His rubeo, luteo, ac violaceo colore caput eſt diſtinctum, extremis alis eſt coccineus, cauda, quæ eſt prælonga, lutea: reliquo corpore viridis. Huiuſmodi perpauci ad nos adferũtur. Præter plumarum elegantiam eo commendantur nomine quòd edocti, optimè humanum imitantur ſermonem. Vnum ab interprete quodam accepi, ab ipſo iam per tres annos educatum, qui Gallicas, & Americanas voces tã genuinè pronuntiabat, vt ſi non eſſet in conſpectu, eius vocem ab humana diſcernere vix quiſquam potuiſſet.

Aiourous pſittaci maximi & pulcherrimi.

Longè admirabiliùs erat, Mulierem in vico quodam qui ab Inſula noſtra IV. paſſuum millia diſtabat, huius generis vnum educaſſe, qui non ſecus ac ſi ratione præditus eſſet ea quæ iubebatur, caperet. Illac quoties nobis iter erat, ſtatim ab auis illius hera audieba-

Psittaci mira historia.

mus, vultísne mihi dare pectinem aut speculum, ego veò iamiam coram vobis psittacum meum iubebo canere & saltare? Si forte postulatis illius annuebamus, psittacus confestim auditis quibusdam heræ verbis, non modò saltabat in pertica cui insidebat, sed & garriebat, & sibilabat, Barbaros denique in bellum euntes mirabiliter referebat. In summa si heræ visum erat imperare vt caneret canebat, saltaret, saltabat: Contrà, si indonata paulò acerbiori sermone illi suum *Auge* hoc est consiste, imperasset, tum ille obmutescebat, nec vllis verbis efficere poteramus vt vel linguam vel pedem motitaret. Quare reputandũ Lectoribus relinquo annon Romani qui, Plinio autore, coruo à quo omnibus matutinis nominatim ad Rostra salutabãtur, funus innumeris exequiis olim celebrarunt, eúmque à quo esset interfectus morte multarunt, Si huiusmodi psittacum habuissent per quàm maximi fecissent. Illum barbara mulier *Cherimbaué* hoc est dilectissimum appellabat. Ei sanè adeò charus erat, vt quærẽtibus nobis, quo pretio mercari possemus, illa *Mocaouassou* hoc est tormentum æneum maius, per irrisionem respondebat, itaque nullo pretio ab ea extorqueri à nobis potuit.

Lib. 10. cap. 43.

Psittacorum alterum genus est eorum qui in Galliam aduehi solent, quos *Marganas* Barbari appellant, & minimi faciunt. At verò tam sunt illic frequentes quàm apud nos columbi quo fiebat, vt licet carnibus essent paulò durioribus, quòd ad perdicis saporẽ acce-

Marganas psittaci apud nos frequentes.

derent illis non rarò vesceremur.

Tertium genus psittacorum *Touis* Barbari, nautæ verò Neustrij *Moissons* vocãt: sturnorum magnitudine, caudam prælongã, croceis pẽnis distinguentibus, cætera viridis est. Priusquàm autem sermoni de psittacis instituto finem imponam, succurrit nonnihil à Cosmographo quodam relatum, Psittacos nimirum in arborum ramis pendulos nidos construere, ne à serpentibus oua absorbeantur, quod quidem meras esse fabulas existimo, siquidem in arborum cauatarum antris nidos construere eos deprehendi.

Touis psittacorũ genus minimum.

Inter reliquas aues Americanorum, primus locus cuidam *Toucan* nomine dabitur, cuius antè meminimus: Is columbi est magnitudine, colore atro seu coruus, excepto pectore, quod crocei est coloris, torque miniato ab inferiori parte circumducto, detracto. Barbari ad genarum aliarúmque corporis partium ornatum vtuntur. Tum verò maximè apud illos est in pretio quòd saltaturi eo vtuntur. Nomen inde est sortitum *Toucan-tabouracé* hoc est pluma ad saltandum. Nihilominus tamẽ, tãta illis earũ suppetit copia, vt cũ mercibus nostratibus permutare eas non grauẽtur. Auis istius rostrum reliquum corpus longitudine superat, cum quo gruis rostrum minimè est comparandum, itaque pro monstrosissimo totius orbis rostro est habendum, ergo non immeritò Bellonius, vnum cum nactus esset, sub finem tertij libri descriptionis

Toucan auis columbi magnitudine.

Rostrum auis mõstrosum.

auium depingendum curauit: nomen quidem non edit, at ea omnia quæ ab illo narrantur de isto rostro necessariò sunt intelligenda.

Panou cui pectus rubrũ.

Alia est merulæ magnitudine, & colore, excepto pectore quod bubuli sãguinis rubo rem adæquat, à Barbaris eodem quo superius detrahitur modo, Auem verò *Panou* nominant.

Quampiana uis coccinea.

Est & alia turdi magnitudine, plumis omnibus coccineis, hanc illi *Quampian* vocãt.

Minimè verò est prætermittenda auicula nõ minoris admirationis quàm subtilitatis, quam Barbari *Gonambuch* appellant, plumis albicantibus, & fulgentibus, fucum, aut scarabeum magnitudine non superat, miros tamen cantando edit concentus. Milio illi crasso quem Americani *Auati* nominãt, aut aliis altioribus herbis insidens, tam editum edit cantum, vt, nisi cõspiciatur, vix credas ab illo corpusculo tantum, támque suauem edi posse. Lusciniæ nostrę minimè cedit.

Gonambuch auis minima.

Cæterùm, quia sigillatim Americanas aues omnes, quæ à nostris nõ modò genere, sed & coloris varietate, putà rubei, rosei, violacei, albi, leucopæi, purpurei, &c. à nostris non parũ differunt, describere non possum, vnam tandem descripturus sum quàm adeò obseruant Barbari, vt eam non modò afficere damno nolint, sed afficientes inultos abire non patiantur. Columbi est magnitudiue, colore cinericio, lugubri voce eam *Tououpinambaultij* noctu frequentiùs quàm interdiu ex-

Americ. auium varietas.

au di-

audiunt, atque ab amicis & cognatis mortuis ad ſe mitti credunt, tum vt bonũ omen renuntiet, tũ præcipuè vt animos addat, moneátque vt ſe aduerſus hoſtes fortiter in bello gerant. Exiſtimant præterea ſi rectè iſtęc auguria obſeruent futurũ vt hoſtes, hac quidem in vita ſuperent, ſed & poſt mortem ad maiores ſuos animas poſt montes conuolaturas, vt illic perpetuas agitent choreas.

Contigit mihi ſemel vt in pago à Gallis *Vpec* denominato diuerterem, ibi de nocte aues illas non quidem canentes ſed gementes audio. Barbaros attentiſsimos video. Rei totius gnarus, ſtultitiam illã increpo. Sed vbi Gallo mihi adſtanti arriſi paululùm, vetulus quidam ſeuerè ſatis me compeſcuit his verbis: Tace, ne nos audiendis fauſtis nuntiis auorum noſtrorum intẽtos auertas. Quoties enim haſce aues audimus, toties & exhilaramur, & vires noſtræ augmentum capiũt. Cui ego ne gry quidem, fruſtra enim cum illo contendiſſem. In mentem tamen mihi tum veniebat eorum opinio qui aſſerunt animas è purgatorio igne ad ſuos officij monendos deuolare, Barbarorúmque noſtrorum figmentum ea tolerabilius eſſe iudicabam: Etenim, vt ſuo dicetur loco, quamuis animas credant immortales, eò tamen dementię nõ veniunt, vt è corporibus ſemel egreſſas ad patrios lares redire dicant, aues iſtas earum eſſe nuntias tantummodo fingunt. Hæc ſunt quæ de auibus Americanis dicenda mihi fuere.

Barbarorũ deliratio, qui auis cãtum obſeruant.

Habent tamen præterea terræ illæ veſpertiliones cornicularũ noſtrarum magnitudine: hi noctu non rarò in caſas veniunt, ſi verò quem apertis pedibus dormientem offendant, ſummum eius articulum adoriuntur, ſanguinémque exugunt tanta copia, vt duos ſextarios noſtrates plerumque antequàm perſpiciantur ebibant. Experrecti, manè cubile xylniũm cruentatum admirantur. Barbari, ſiue ſuis ſiue noſtris id contingebat in ludibria vertebant. Mihi ſemel iſtud accidit, prçterquam verò quod ſannis ſum exceptus, accesſit & illud quòd extremo illo (licet nõ infeſtiſſimus erat dolor) ſummi articuli lęſo, triduum in tibialibus induẽdis non parũ laboraui. Cumanenſes quoque qui cis Æquatorem decẽ gradibus iacent, grandibus iſtis & infeſtis veſpertilionibus infeſtantur. Gener. Indic. hiſtor. Scriptor de his rem & facetam & notatu dignam memoriæ prodidit. Monachi cuiuſdam puer pleuretide laborabat, ad Sanfidem Ciribici, cuius cùm vena aperienda reperiri non potuiſſet, mortuus verò ipſe haberetur, accedit ad eum noctu veſpertilio, talúmque momordit, tãtámque copiam ſanguinis hauſit, apertáque vena ſponte emiſit æger, quanta ad valetudinem ſufficiebat. Ego verò cum hiſtoriæ illius Scriptore dico, opportuniſſimũ & fauſtiſſimũ ægro illi fuiſſe iſtum Chirurgum. Itaque præter eam quam veſpertiliones iſtos afferre dixi moleſtiam, ſatis docet exemplum iſtud poſtremum, non

Lib. 2. ca. 80.

De veſpertilione faceta hiſtoria.

adeo noxios esse, ac fuerunt olim græcorum striges, quæ vt inquit Ouid. fast. 6.

Nocte volant puerósque petunt nutricis egētes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactentia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.

quam ob causam nomen illud veneficis est attributum.

Apes Americanæ à nostris sunt absimiles, ad minores muscas atras quibus æstatis tempore infestamur accedunt, fauósque suos in exæsæ arboris antro condunt. Barbari mel cerámque colligere norunt. Mixtim collecta, *Yra-tetic* vocant, *yra* enim mel sonat, *yetic* verò ceram. Seorsim positum mel, nostro more comedunt, ceram verò picis nigredinem imitantem, asseruant, massis brachij magnitudine compositis. Non tamen quòd faces vel candelas ea conficiant, lucernæ enim alius apud eos vsus non est præterquam ligni cuiusdam flammam lucidissimam emittentis. Præcipuè verò ea cera vtuntur ad obturādas ingentes illas cannas quibus plumas suas imponunt, ne à papilionibus exedantur, quos etiam hoc loco describemus.

Americanæ apes.

Yra mel *yetic* cera nigra.

A Barbaris *Arauers* appellantur, gryllorū magnitudine, gregatim quoque ad focum vt & grylli accedunt, si quid autem offendant, exedūt, præsertim verò thoraces coriaceos & calceos ita corradunt vt superficiem penitus absumant. Si vero gallinas aut alia id genus cibaria, negligentiùs recondebamus, manè à

Arauers papiliones.

nobis ossa carnibus nudata reperiebantur.

Ton insecti genus infestissimum.

Barbaros præterea infestat exiguum insecti genus, quod *Ton* nuncupāt. In puluere nascitur, pulicis magnitudine, At vbi sub pedū & manuum vngulis sese insinuauit prurigo statim oritur, acyri modo, nisi verò confestim euellatur breui spatio, ad pisi magnitudinem accrescit, extrahíque nisi magno cruciatu non potest. Non solùm autem Barbari qui nudi toto corpore incedunt, sed & nos quoque, quantumuis bene induti hoc insecto infestabamur. Ego pro mea parte, licet diligentissimè mihi ab illis cauebam, ita fui infestatus vt vno die vltra viginti è variis mei corporis partibus sint euulsi.

Nonnullos etiam vidi minùs sibi prospicientes, quibus non modò manus & pedes ab illis infestabantur, sed & axillæ reliquęque molliores corporis partes pustulis istorum insectorum erant refertæ. Hoc illud esse animalculum credo quod Ind. Occid. hist. Scriptor *Nigua* appellat, quòd etiam apud Insulam Hispaniolam extat: Ab eo his describitur verbis. *Nigua* pulicis salientis speciem refert, puluere delectatur, nonnisi pedes infestat, quorum cuti sese insinuat, móxque lēdes maiori copia gignit, quàm sit credibile, habita subtilitatis ratione, hæ alias quoque generant, Ac nisi maturè obuiam eatur, nonnisi igne & ferro eijciūtur: si verò tempestiuè extrahas, minimo dolore curantur. Quin & addit, Hispanos quosdam adeo illis fuisse infestatos

Lib. 1. ca. 30.

statos

ſtatos vt multi articulorum, nõnulli verò pedum miniſterio caruerint.

Aduerſus ea incõmoda hoc remedio Barbari vtuntur: Eas partes, quæ huic lui ſunt obnoxia, oleo quodam inungunt, ſpiſſo, rubri coloris, ex fructibus quos illi *Couroq* nominant expreſſo. hoc etiã remedio nos Galli vtebamur. Addo oleum illud curandis vulneribus aliiſque corporis humani incommodis, adeò eſſe accommodatum, vt apud Barbaros non minoris ſit pretij atque eſt apud nos, confectio illa quam Sanctum oleum nuncupant. Chirurgus noſter, in Galliam remigraturus 12. ingentia vaſa iſtius olei aſportauit, totidémque ſeui humani, quod dũ ſuos captiuos torrebant Americani collegerat.

Gignit prætereà Americanus aer ſubtiliſſimum culicum genus, quod Barbari *Yetin* nominãt, adeò lancinat etiam leuiùs indutos vt mucrones acuum referant. Ex quo facile eſt colligere quàm ridiculè Barbari noſtri conſpiciantur vbi his culicibus infeſtantur, manibus enim ſua crura, nates, humeros, brachia ita plaudunt vt aurigam flagellum quatientem referant.

Yetin culices

In puluere quoque & ſub lapidibus latent in America Scorpiones, iis qui in Prouincia conſpiciuntur longè minores, non tamen, vt experientia edoctus ſum, ictu minùs venenato & mortifero. Hoc inſectum munditie delectatur. Cubile meum mundari curabam,

Americani Scorpiones.

mundatum denuo appenderam, more ſolito, Scorpio in ruga quadam delituerat, qui mihi quidem incauto dum cubile ingredior ſiniſtræ manus pollicem perculit: Manus mirum in modum è veſtigio intumuit, ita vt venenũ fuerit corpus totum inuaſurũ niſi mihi præſtò fuiſſet pharmacopola, ad quem confeſtim me recepi: Is mortuos Scorpiones cum oleo in phiala aſſeruabat, quorum vnum vulneri applicuit. Illud remedium etſi præſentiſſimum ab omnibus habetur, tanta fuit tamen vis veneni vt per 24. horarum ſpatium ſummo dolore laborauerim. Barbari quoque eodem vtuntur remedio, ſcorpiones nimirum, ſi eos aſſequi poſſint, vulneri attritos applicant. Præterea, prout alicubi à nobis dictum eſt, eos eſſe vindictæ cupidiſſimos, immo penè dixerim in noxia quæque furentes, ita vt ſi imprudentes in lapidem impingunt, rabidorum canum more eos mordeant, in animantia quæuis ſibi noxia ſedulò inquirunt, eáque quantum poſſunt penitus extirpant.

Remedium aduerſus Scorpionum ictus.

Barbari vindictæ cupidiſſimi.

Habet quoque Americana regio Cancros terreſtres, eos *Ouſſa* nominant *Tououpinambaulty*, turmatim locuſtarum more ad maris littus, & paluſtria loca conueniunt, ſi quis ad ea loca accedat hac illac fugientes videat: In truncos arborum radicéſque ſeſe recipiũt, è quibus extrahi tutò nõ poſſunt, digitos quippe & manus capientium forcipibus comprimunt: Marinis longè ſunt macriores, quoniã

Terreſtres Cancri.

autem

autem iuniperinas redolent radices palato minimè ſunt grati.

CAP. XII.

De nonnullis piſcibus apud Americanos maximè vulgaribus, déque eorum piſcatu.

NE idem ſæpius repetere cogar, à quo abſtinere quoad eius fieri poteſt cupio: Lectorem tum ad capita 3.4.5. & 7. hiſtoriæ huius tum ad loca alia in quibus de Balænis, marinis monſtris, piſcibus volantibus, aliáque complurium generum egimus, remitto. Eos verò hoc capite deſcribam qui maximè apud Braſilienſes noſtros ſunt vulgares, de quibus nulla eſt hactenus facta mentio.

Ac primùm quidem piſces in genere Barbari *Pira* vocant. Mullorum genera duo habent: *Kurema*, & *Parati* appellant: optimi ſaporis tum elixa, tum toſta. Quoniam verò mulli gregatim oberrant, (quod non ita pridem in Ligeri aliíſque fluminibus eſt obſeruatum) Barbari eos vbi vident telis petunt, ac nonnunquam tam certa manu, vt duos treſue vno iactu figant, transfixos natantes quæſitum eunt Barbari, vt qui mergi nequeãt.

Pira piſces.

Kurema & Parati muli.

Sagittis mullos petunt Americ.

Horum piſcium caro eſt admodum friabilis, quo fit vt ſi magno capiantur numero, *Boucan* impoſiti exſiccentur, deinde friati in optimam farinam redigantur.

Camouroupouy-ouaſſou piſcis prægrandis.

Camouroupouy-ouaſſou piſcis eſt prægrandis (*Ouaſſou* enim Americana lingua grandem autoaſſum ſonat, prout accentu diſcriminatur) Huius *Tououpinambaulty* in ſuis choreis & cantibus frequentem faciunt mentionem: hæc enim verba hoc modulãtur modo:



eduliſque eſt maximè.

Ouara & *Acaraouaſſou* piſces optimi.

Duo inſuper ſunt illis piſcium genera, quę *Ouara* & *Acara-ouaſſon* nominãt à ſuperiore non abſimiles, bonitate tamen vincunt: Immo affirmare auſim *Ouara* ſalari noſtro nullo cedere modo.

Acarapep planus piſcis.

Acarapep piſcis eſt planus, inter coquendũ pinguedinem ſubflauam emittit quæ eis eſt pro condimento, eſtq́ue carne optima.

Acarabouten piſcis ſubruber.

Acarabouten viſcoſus eſt, colore ceruino, aut ſubrubro, ſuperioribus bonitate cedit, minúſque palato ſapit.

Pira-ypochi piſcis oblongus.

Pira-ypochi longus eſt inſtar anguillæ, eſtq́ue minimè edulis, quod etiam Americana lingua *ypochi* ſonat.

Raiæ à noſtratibus diſſimiles.

Raiæ quæ in Ganabaræ ſinu maríque vicino capiuntur, nõ modò à Neuſtriis & Britannicis aliiſque noſtratibus magnitudine differunt, ſed etiã eo quòd cornua duo oblonga gerant, præterea quinque aut ſex fiſſuras in

ventre

ventre habeant, quas minimè natura sed arte factas credas, cauda oblonga est & tenui, atque adeo venenata, cuius rei experimento sum certior factus. vnam enim cepimus, inque scapham eduximus, quæ mox cuiusdam è nostris tibiam punxit, quæ statim intumuit & inflãmata est. Hæc sunt quę paucis de piscibus marinis Americanis, quorum tamen numerus est infinitus, habui dicenda.

Raiarũ caudæ venenatæ

Ad hæc flumina aquę dulcis, piscibus mediocribus & minimis abundãt quos sua lingua Barbari, *Para-miri* & *Acaramiri* nuncupant. *Miri* enim eorum lingua, paruulum sonat. Huius generis duos monstrosissimos paucis perstringam.

Para-miri & *Acaramiri*, pisces minores.

Vnum Barbari *Tamouata* appellant, palmi longitudine, capite amplissimo atque monstroso, habita reliqui corporis ratione, pinnulas sub brãchis habet duas, dentibus lucio nostrate est acutioribus, aristis quoque acutissimis, squamis quoque durissimis, adeo vt (quot de *Tatou* iam antè dixi,) gladio trãsuerberari nequeat. carne est probatissima, & saporis gratissimi.

Tamouata piscis monstrosus.

Alterum *Pana-pana* vocant, mediocris longitudinis, cuius hæc est forma, pelle est instar Requieuis aspera, corpore & cauda illius non absimili, capite plano, atque admodum deformi, quod ab aqua elatum, in duas diuidit partes, ita vt caput piscis deformius & monstrosius conspici minimè possit.

Pana-pana piscis capite deformi.

De Barbarorum piscatu quod attinet, in

primis ad ea quæ dixi de mullis quos ſagittis transfigunt (quod etiam de reliquis quoque piſcibus eſt intelligendum quos petere in aquis poſſunt) notandum eſt, non modò viros & mulieres, ſed etiam puerulos natandi peritiſsimos eſſe. illi prædam natãdo more barbatulorum canum in medias petunt aquas. hi ſimulac ambulare didicerunt, in flumina maríſque littus ſe coniiciunt, atque anatum more huc illuc oberrant. Cuius rei ad fidem faciendam exemplum paucis commemorabo. Die quadam Dominica manè, in quodam Caſtelli noſtri propugnaculo expatiabamur, lintrémque corticeam (quæ etiã ſuo loco à nobis deſcribetur) qua, vltrà triginta tũ virorum & mulierũ cum puerorum capita ad nos inuiſendos vehebantur, in medio mari euerſum. Confeſtim nauigium conſcendẽtes opem laturi ad eos properamus, omnes ad vnum natantes & ridentes comperimus. Quidam verò eorũ his nos compellauit verbis, Quónam ita feſtinantes tenditis vos *Mair*? (quo nomine Gallos appellant) Ad vos, (dicebamus) opem laturi. Magnam, inquit, habemus gratiam: Atqui exiſtimatíſne nos quamuis in mare delapſos, in diſcrimen vitæ adductos fuiſſe? Octo dies potiùs hoc modo in aquis verſaremur, quàm vt mergeremur. magis verò metuimus ne magni quidam piſces in fundum nos pertrahãt: Cæteri verò qui inſtar piſcium placidiſſimè natabant, audita ob quã ad eos acceſſiſſemus

Viri, mulieres, puerí que peritiſſimè natant.

causa

causa, sannis nos exceperunt, præque risu nimio eos suum marinorum more flantes videbamus. Ac sanè, licet 500 passibus à Castello nostro aberamus perpauci eorum (idque potiùs garriendi caussa, quam vllius periculi metu) nauigium conscenderunt. Ego obseruabam eos nonnunquam nobis preire, ad libitum modò tardè, modò celeriùs natantes, quotiésque visum esset ad aquæ summum quiescere. Lintrem verò cum quibusdam xylinis lectis, cibariis, nonnullísque aliis quæ ad nos aduehebant submersum tantundem curabant quantum solicitudinis afferret nobis pomi vnius iactura. Dicebant enim, An non sunt alia in terra?

Priusquàm verò ab hoc de piscatu sermone digrediar, historiam à Barbaro acceptam prætermittere nolo. Cùm inquit die quadã vna cum nonnullis aliis in summa maris malacia lintre quadam veherer ingens quidam piscis manu nauigij oram apprehendit, meóque iudicio aut euertere aut conscendere volebat: Id ego conspicatus falce quam pre manibus habebam, manum illam abscidi que in lintrem decidit, digitos verò nostris persimiles quinque habebat, præterea præ dolore quo piscis ille fuit affectus exerto supra aquã capite, ad humanum accedente, aliquãtulum concrepuit. Ego lectori dispiciendum relinquo vtrùm (iuxta vulgi opinionem, qua fertur mare in se singula animalium genera habere quæ in terra conspiciuntur, præsertim

Barbari narratio de pisce manibus & vultu humanam formam referentibus.

verò habita eorum ratione quæ de Tritonibus & Sirenibus à nonnullis ſunt ſcripta) Sireni an verò potiùs ſimiæ marinæ manus illa fuerit amputata: Tamen (non quod præiudicium iis quæ in hanc rem afferri poſſunt allatum velim) ingenuè fateor me, qui menſes nouem in alto mari verſatus ſum, quíque non rarò circa littora nauigans oberraui, piſcem vllum, in tanta tot generum copia quæ à nobis ſunt capta, non conſpexiſſe qui adeò ad humanam accederet formam.

Spinæ quibus pro hamis vtuntur Barbari.

Atque vt tandem ſermoni de Americanorum piſcatu finem imponam, præter eum, de quo diximus, modum quo piſces ſagittis trãſfigunt, priſco etiam ſuo more, ſpinas in hamorum modum componunt, luicámque herba quadam quam illi *Toucon* vocant conficiunt, quibus non modò in littore piſcantur: ſed etiam in medium mare, flumináque progrediuntur, ratibus vecti, quas illi *Piperis* vocant quáſque hoc modo componunt, longurios quinque aut ſex rotundos brachij craſſitudine, vinculis ligneis colligant, quibus, exporrectis cruribus, ac tibiis incidentes, fuſte plano pro remo vtentes, quocunque fert animus errant: Attamen rates iſtæ vlnæ longitudinem nõ ſuperant, latitudine pedes duos, quo fit vt neque procellarum fluctus ferant, neque plures vno homine capiant. Noctu itaque Barbari tranquillo mari ſinguli illis inſidẽtes ac ſolis radiis oppoſiti, ſimias optimè referunt, ſeu potiùs ranas eminùs conſpe-

Toucon herba.

Piperis rates carúmque vſus.

ſpecti. Attamẽ, quia hæ rates celeriter admodum componuntur, & mergi nunquam poſſunt, ſi apud nos in vſu eſſent, cõmodiſsimas fore autumo tranandis tum fluminibus leniter fluentibus, tum ſtagnis & paludibus, quibus tranandis cùm vrget neceſsitas frequenter non parùm laboratur.

Ad hæc, Barbari noſtri non modò mirè delectabantur retiũ noſtrorũ quibus piſcabamur conſpectu, ſed & ipſi nos adiuuabãt, atque adeo ſi per nos licebat peritè ipſi piſcabantur. Hæc illi ſua lingua *Puiſſa-ouaſſou* nuncupant. Prætereà Gallos eo præcipuè laudant nomine, præter alia non pauca commoda quæ ex mercibus eorum percipiunt, quod cùm anteà ſpinas ad piſcandum lineis aptare neceſſe eſſet, eorum beneficio iam copia illis ſit vnculorùm illorum ferreorũ quos adeo ad piſcandum accommodatos eſſe prædicant. Ac ſanè pueruli, (vt ante dictum eſt,) ab aduenis hamos flagitare probè ſunt edocti his verbis: *De agatorem, amabè pinda*. hoc eſt, tu bonus es, da mihi hamos. *Agatorem* enim eorum lingua bonum ſonat, *Amabè* da mihi, *pinda* verò hamum. Si verò repulſam patiantur, capite conuerſo in hæc verba ſtatim erumpunt *De engaipa-aiouca*, hoc eſt, tu es nequam, es occidendus.

Puiſſa-ouaſſou retia.

Hamos maximè probant Barbari.

Itaque ſi quis gratiã inire à parẽtibus & à liberis cupit, nihil illis eſt denegandũ. Grati quidem ſunt, præcipuè verò ſenes tũ cùm minùs de eo cogitaueris, muneris accepti me-

Barbari liberalibus hominibus delectantur, moroſos verò deteſtantur.

mores, aliquid dare ſolent. Hoc ergo obſeruatum eſt à me, homines hilares, alacres, & liberales, ſummo apud illos eſſe loco: Contrà verò triſtes, moroſos, taciturnos, auaros, eóſque qui ſibi ſolis viuunt, vſque adeo deteſtãtur, vt author ſim iſtius farinæ hominibus ne Barbaros noſtros adeant.

CAP. XIII.

De Arboribus, herbis, radicibus, exquiſitiſſimiſque fructibus qui in Americano prouenıunt ſolo.

QVANDOQVIDEM in ſuperioribus, de quadrupedibus, de auibus, piſcibus, reptilibus, denique de omnibus Americanis animantibus, à nobis actum eſt, conſentaneum videtur vt priuſquam ad religionem, bellum, politeian, alióſque Barbarorum mores accedamus, nõnihil de ſoli illius arboribus, herbis, plantis, fructibus, radicibus, omnibus denique iis quæ vegetante anima ſunt prædita agamus.

Primò autem, quia Braſilia arbor eſt totius ſoli illius celebratiſſima, (à qua etiam nomen eſt ſortita regio illa) præcipuè ob fucum quẽ ex ea conficiunt infectores noſtri, eam hoc loco deſcribam. Hæc itaque arbor Barbaris *Araboutan* nuncupatur, quercum noſtram proceritate & ramorum copia adæquat. Quędam reperiũtur quarum craſſitudo trium

Araboutan Braſilia arbor eiúſque forma.

trium hominum vlnas complectentium implet. Scriptor Hist. Occid. Ind. prodidit duas in illis regionibus visas esse arbores, quarum altera vltra octo vlnas, altera sexdecim in ambitu haberet: ita vt ad culmen prioris, quæ tanta erat altitudine, vt lapidis iactũ superaret, *Cacicus* quidam casulam cùm construxisset, Ciconiæ modo, Hispanis risum cõ mouebat. Alterã admiratione dignissimam asserit. Idẽ quoque narrat in *Nicaragua* Prouincia arborem prouenire nomine *Cerba* cuius crassitudo quindecim hominum complectentium vlnas impleat. Sed vt ad Brasiliam nostram reuertamur, foliis est buxeis persimilibus. Fructum verò non fert.

cap. 61. 85, & 204.

Arbores miræ crassitudinis.

Qua verò ratione materia illa in naues importari soleat hoc loco describere visũ est. In primis verò sciẽdũ est, nisi ab incolis iuuarentur mercatores, intra annum vix nauem ea materia onerare posse, tum ob duritiem, ac proinde in secando difficultatem, tum verò præcipue, quòd iumentis omnibus careat illa regio, ac proinde humeris humanis sit comportanda. Barbari igitur, vestibus, indusiis, pileis, cultellis, aliísque mercibus conducti, non modò materiam illam securibus & cuneis secant & findunt & rotundãt, sed etiam humeris nudis impositam in naues comportant, nonnũquam verò locis impeditissimis, tribus aut quatuor passuum millibus à sylua ad littus intercedentibus. Nominatim verò dico Barbaros, ex quo Galli & Lusitani ad

Iumentis caret Americana regio.

Barbari materiã secant, & in naues importaut.

eos accessere, suas Brasilias arbores secare, earum enim exscindendarũ (quantum à senioribus accepi) ante illud tempus, ratio alia nõ erat, nisi quòd igne admoto eas deturbabant. Præterea quoniam nonnullos scio existimare materiam illam quæ ad nos aduehitur arborum crassitudinem obtinere, de industria addidi Barbaros eam rotundare quo faciliùs comportari ab ipsis possit.

Priscus arbores excidẽdi modus apud Barbaros.

Ad hæc obseruatùm est à me, tãtisper dum in America vixi, caminóque luculento ligni istius beneficio vsus sum, minimè humidum hoc ligni genus esse quod plerisque aliis lignorum generibus vsuuenit: immo quasi natura siccum esse, accensum verò perparum fumi parere. Sycomorus verò contrà (vt ait Matthiolus,) præ cæteris lignorũ generibus hoc habet peculiare, vt etiamsi excisa sit, humiditatem retineat, ac nisi in aquam demersa, non exsiccetur. Aliud insuper commemorabo, Quidam è nostris indusia nostra mũdare cupiebat, cineres brasilij ligni imprudens in lixiuium imposuerat, adeo tenaciter rubeo infecta sunt colore, vt quantumuis abluta illum nunquam mutarint, atque eo colore infecta fuerunt nobis induenda. Si verò delicati illi qui suas rugas dealbandas in Belgium mittunt minùs fidem his adhibeant, per me licet illis non modò periculum facere, sed etiam si volẽt, ingentes illas suas rugas viridi infi cere colore.

Brasilicum lignum ferè ἄκαπνον.

Brasilici ligni cineres indusia rubro colore inficiunt.

Cæterùm quia non mediocriter mirãtur

Touou-

Tououpinambaultij noſtri quum vident Gallos aliósque aduenas è procul remotis terris venientes, tantum laboris ſumere vt Arabo utano ſuo (id eſt Braſilio ſeu coccineo ligno) naues onuſtas reuehant. Itaque magno natu quidam ex Barbaris hunc in modum me ſuper ea re aliquando interrogauit: Quid ſibi vult, inquit, quod vos *Mair* & *Peros* (id eſt Galli & Luſitani) tam procul petitum ligna veniatis? Nulláne vobis ligna ad focum tellus veſtra ſuppeditat? Tum ego, Suppeditat verò, inquam, & quidem magna copia: ſed non ex eo genere arborũ quales veſtræ ſunt: Braſilium in primis, quod hinc noſtri non ad vrendum, vt tu exiſtimas, ſed ad tingẽdum exportant: ſicuti & vos & funiculos veſtros bõbycinos, pennas aliáque rerum inficitis. Hîc ille protinus excipiens: Verùm tantáne eius ligni copia vobis opus eſt? Enimuero inquã, quum enim (vt hominis animum admiratione ſuſpenderem) apud nos vel vnus mercator plures coccineos pannos, plures cultellos, & forfices (nota ipſi & familiaria exempla ſubijciens) plura ſpecula poſſidet, quàm quanta huc ad vos vnquam allata ſunt: ſolus ille omne Braſilium coëmet, quo plures hinc naues onuſtæ redeunt. Ah! (inquit Barbarus) mira mihi narras. Mox eorum quę audiuerat memor, percontari vltra perrexit: At, inquit, vir ille adeo locuples, quem tu refers, non moritur, Moritur, (inquam) vt & alij homines. Ibi tum ille (vt iſti Barbari commẽtari amãt,

Barbari cuiuſdam cum authore colloquium.

& cœptum ſermonem nullis interruptum diuerticulis ad finem vſque haud abſurdè pertexunt) querere ex me. Ergo, inquit, eorum quę iſte moriens bona reliquit, quis hęres eſt? Liberi eius, inquam, ſi habet: ſi nõ habet fratres, ſorores, aut proximi eius agnati.

Quum hæc dixiſſem, Equidẽ (inquit meus ille haud ſanè ineptus ſenex) facilè hinc animaduerto vos *Mair*, (id eſt Gallos) eſſe inſigniter fatuos. Nam quid traijciendo mari tãtopere vos fatigari neceſſe eſt, in quo ſuperando (ſicuti nobis quidẽ huc appulſi dicitis) tantũ malorũ exhauritis? Nẽpe vt liberis veſtris aut ſuperſtitibus cognatis opes quęratis? Tellus quæ nos aluit, nõ illis quoque alendis ſufficiet? Nos quidẽ, & liberos, & ꝓpinquos habemus, eóſque, vt tu vides, ſumma caritate amplectimur: ſed quum confidamus fore vt poſt mortem noſtram terra quæ nos aluit, eadem & illos quoque enutriat, in eo acquieſcimus.

Sententia eximia à Barbaro prolata.

Et certè in hanc ſententiam, præclarè Socrates olim cuidam vehementi ſtudio ſuadenti vt ſe liberis etiamnum paruulis ſeruaret incolumem, Liberi, inquit, Deo qui mihi eos dedit curæ erunt: Ageſilaus verò Lacedæmoniorum rex amicos admonebat ne tam pecuniis quàm fortitudine, ac virtute ſtudèrent diteſcere: quòd fruſtra parat opes, qui veris animi bonis vacat. Quæ ſententię ab Ethnicis profectæ admirationem non paruam merentur. Prior enim conuenit cum eo quod ſcriptum eſt, Ero Deus tuus & ſeminis *tui*

post te. Altera verò respondet dicto illi Christi, Operemini non cibo qui perit, sed cibo illi qui permanet in vitam æternam, quam Filius hominis dabit vobis.

Ioan. 6. 27.

Hactenus paucis, sed fideliter narrationẽ ab Americani Barbari ore acceptam recitaui. Quamobrem, gens illa quæ adeò Barbara à nobis habetur, non modò lepidè eos irridet qui magno suo periculo Brasilio ligno quęrendo ex quo quæstum faciant mare traijciunt: sed etiam quãtumuis obcęcata (quandoquidem naturę & soli fertilitati plus quàm nos Dei potentiæ & prouidẽtię tribuit) aliquando cum raptoribus in iudicio surget qui Christianum nomen præ se ferunt, quorum tam est Europa ferax quàm Brasilia immunis, quoad incolas attinet. Quare, prout à me dictum est, immortale odium aduersus auaros à *Tououpinambaultijs* geri, vtinam auari omnes qui cùm satiari nusquam possint cõtinuò pauperum medullam & sanguinem exugũt, in illis terris essent relegati, vt ab iis iã furiis aut Dæmonibus exagitarentur. Necesse mihi fuit magno nostro pudore in Barbarorũ gratiã qui adeo res mũdanas cõtẽnũt, digredi. Addere autẽ non incommodè meo quidẽ iudicio possum rem ab Ind. Occid. histor. scriptore memorię proditã, de quadam Barbara gente Peruana, quæ cùm primùm Hispanos versantes in suis locis sunt cõspicati, tum quòd barbari essent, tum verò præcipuè quòd luxui indulgerẽt, verebantur ne ab

Libr 4. cap. 108.

In errores Barbarorum accusatio.

illis ipsi corrūperentur aut auiti mores immutarentur, eos abeuntes increpabant, his nominibus, Spuma maris, sine patribus homines, inquieti, quique nullibi consistere possunt ad laborandum, quo victum sibi parent.

Palmarū in America 4. aut 5. genera.

Sed vt arborum Americanarū descriptionē persequar, Palmarū quatuor aut quinque genera illic reperiuntur: inter quæ frequētissima numeratur ea, quam illi *Gerau*, alia quoq; quam *Yri* nominānt: Attamē quemadmodum fructus nulli à me sunt conspecti, credo etiā nullos edi. *Yri* quidem fructum rotūdū producit instar spineorū prunorum ad effigiem racemi amplioris tāti ponderis vt ægrè vna manu subleuetur, sed nucleus tantùm cerasei crassitudine, est edulis. Præterea in culmine harum palmarum est turio quidam albus, qui à nobis vescendi gratia abscindebatur: Philippus verò qui hæmorrhoidibus laborabat asseuerabat illi morbo remedium esse, cuius rei fides penes medicos esto.

Turio in capite palmarum edulis.

Ayri hebeni species spinosi.

Alia quoque est arbor, à Barbaris *Ayri* appellata, quæ licet foliis palmæ sit persimilis caudice spinis circumquaque armata acuum mucronum specie & aculeo. Fructus mediocri crassitudine, cuius in medio nucleus est niuali albedine, qui tamē edulis non est, quam hebeni genus esse credo: præterquam enim quod colore est nigro tantaque duritie, vt Barbaris clauis suis & sagittis partim conficiendis, (quas fusiùs cùm de bellis eorum agetur describam) sit in vsu, læuigatumq; est

quo-

quoque ac lucidissimum, adeo denique graue vt in aquam deiectũ ad imum statim feratur.

Compluria quoque lignorum multiplicis coloris in America reperiũtur genera, quorum nomina sigillatim edere non possum. Nonnulla vidi, buxi colorem imitantia, alia violacea, è quibus frustula quædam in Galliã aduexeram, alba vt charta, rubra, diuersi à Brasilio generis, è quibus etiam clauas suas Barbari conficiunt: vnum quoque quod illi *Copau* nominant, cuius arbor nuci Iuglandi est persimilis, nucibus tamen caret, materia quoque affabrefacta easdẽ cũ nuce maculas habet. Denique nonnulla reperiuntur, quorum folia sunt capitati numi crassitudine: alia, quorum etiam folia sunt latitudine sesquipedali, atque adeo complurium generum quæ omnia sigillatim recensere longũ esset.

Ligna varij coloris.

Copau arbor nuci persimilis.

Arborũ folia crassissima, alia quoque amplissima.

Ad hæc arbor in illis nascitur terris pulchritudinis eximiæ, atque etiam, (quod est maximum) adeo suauis odoris, vt dum à fabris vel scinderetur, vel expolliretur frustula à nobis collecta vel fragrantissimam rosam referrent. Contra alia illic adolescit quam Barbari *Aou-ai* nominant allij teterrimo odore, quem dum secatur, aut vritur nemo est qui ferat: foliis est à pomis nostris nõ absimilibus: fructus verò eius (qui proximè ad echinũ formâ accedit) præsertim verò nucleus adeo est venenatus vt comedẽti veneni præsentissimi effectũ referat. Nihilominus tamẽ Barbari nostri, quòd ex eo crepitacula sua

Lignum rosei odoris.

Aou-ai lignum teterrimi odoris.

componunt, fructum illum plurimi faciunt. Hîc quoque animaduertendum est, Brasiliã (vt mox dicemus) poma complurium generum optima ferentem, abundare etiam arboribus, quæ pulcherrimos quidem fructus edunt, ad vescendum tamen inutiles. In litore præsertim multæ sunt arbusculæ, quarum poma mespilis nostratibus valde similia, periculosè comeduntur. Idcirco Barbari cùm Gallos, cæterósque aduenas ad poma illa colligenda accedentes conspicantur, suo idiomate *Ypochi* crebrò vsurpantes, vt ab eis abstineant, admonent.

Complures Americanæ arbores fructus ferunt venenatos.

Hiuourae, cui cortex est semidigitati crassitudine, sapore gratus, præsertim recẽns ab arbore extractus, genus est Guaiaci, quantum accepi à duobus Pharmacopolis, qui mare nobiscum transmiserant: eáque Barbari vtuntur ad morbum, quem *Pians* appellant, qui, vt postea dicam, æquè apud eos perniciosus est, atque apud nos lues Venerea.

Hiuouraé guaiaci species.

Arbor *Choyne* Barbatis appellata, mediocri altitudine, foliis, forma & viriditate lauri, pomis, magnitudine capitis infantis, ad figuram ouorum Struthiocameli accedentibus, quæ quidem non sunt edulia. Ex his *Tououpinambaultij* ob duritiem corticis integra quædam in longitudinem, latitudinémque perforantes, quibus *Maraca* conficiunt (de quo iam ante mentio facta est, fiétque in sequentibus:) illa etiam ad calices, aliáque vascula excauant, dimidiántque.

Choyne arbor ex cuius fructu Barbari suũ *Maraca* conficiunt.

Inter

Inter arbores quoque Brasilienses numeratur *Sabaucaie*, pugnis ambobus pomo ampliore, formámque calicis imitante: in cuius imo exigui quidam nuclei amygdalinis similes comperiuntur, eundem quoque ferè cum amygdalis saporem referunt. Cæterùm cùm pomi istius putamen vasis conficiendis sit aptissimum, arbitror illud esse quod vulgò nucum Indicarum nomine appellamus, aut certè ex illarum genere. Matthiolus enim suis in Dioscoridem commentariis aliarum nucum Indicarum meminit, quæ formâ sunt rotundæ, ac magnorum melonum instar ab arbore dependent: quarum ego in illis regionibus, prout sunt ab illo depictæ, ac descriptæ, putamina vidi, quæ torno expolita hîc solent à nostris hominibus argento includi. Præterea cùm in illis terris versaremur, quidam Petrus Bordonius nomine artis tornandi peritissimus, varia eáque pulcherrima vascula fabricauit, cùm ex istis *Sabaucaie* fructibus, tum ex aliis versicoloribus lignis, quorum partem Villagagnoni dedit, à quo plurimi fiebant. Verumtamen aliquãto post indignissimam reportauit mercedem: ex eorum enim fuit numero (vt à me suo loco dicetur) quos Villagagno propter Euangelij professionem in mare demersos suffocauit.

Sabaucaie arbor cuius fructus vasis conficiendis est accõmodatus.

Petrus Bordonius tornator peritus, quam mercedem à Villagaguone retulit.

Est præterea in illis terris arbor proceritate sorbi nostræ, cuius pomũ Barbari *Acaiou* nominant, amplitudine, & figura oui gal-

Aca-iou fructus edulis.

linacei, quod vbi maturuit, colore ad aurum inclinato instar cotonei mali, non modò vtiliter comeditur, sed etiam subacidum, nec minùs palato gratum succum emittit, qui calore æstuantes iucundissimè refrigerat. Attamen cùm difficulter è proceris illis arboribus decutiatur pomum illud, nonnisi à Cercopithecis qui illis vescuntur excussa habebamus.

Paco-aire frutex tenera.

Paco-aire frutex est decem aut duodecim pedum altitudine, caudice femorali nõnunquam crassitudine, qui tamen adeo est tener vt gladio vno ictu secetur: pomum *Paco* vocant Barbari palmi longitudine, formâ cucumeri non absimile, eiusdem etiam coloris cùm ad maturitatem peruenit. Hæc autem poma nascuntur vt plurimum viginti aut vigintiquinque simul & confertim in singulis ramis, quæ Americani legentes in casas suas important tanto pondere quantũ altera manu ferre possint. Ad pomi verò istius bonitatem quod attinet, vbi maturuit, calyce ad modum recentis ficus auulso, grumosum apparet: quo fit vt mandentibus ficum referat, vnde à nobis ficus nominabatur: sapore verò vel delicatissimas Massilienses ficus superat: itaque non immeritò inter optimos totius oræ illius fructus recenseatur. Memoriæ quidem est prodi ũ, Catonem cùm Carthagine Romam rediisset, miræ magnitudinis ficus attulisse: verùm quoniam antiqui de his nostris nullam mentionem fecerunt, credibile

Paco poma oblonga

Paco ficus sapore.

bile est alîus fuisse generis, ab istis de quibus fit sermo. Foliorum verò *Paco-aire* forma foliis lapathi aquatici non est absimilis: tanta tamen sunt magnitudine, vt vulgò lōgitudo ad sex pedes, latitudo vltra duos protendatur: quo fit vt nulla ratione adduci posſim vt credam in Europa, Asia, & Africa tantæ longitudinis & latitudinis folia extare. Nam etsi Pharmacopolam quēdam audiui asseuerantem se vidisse folium Petasitis latitudine vlnæ cum quadrante, hoc est (siquidem rotunda est hæc planta) cuius circunferētia tres vlnas cum quadrantibus tribus suo ambitu caperet: nusquam tamen accedebat hæc amplitudo ad nostri *Paco-aire* magnitudinem. Verum quidem est foliorum illorum crassitudinem longitudini non respondere, imò exilia maximè esse, aſsiduè tamè erecta, adeo vt venti paulò vehementioris, (quo regio illa frequentiſsimè vexatur) mediana tantùm costa impetum ferat: reliquum verò ita disse catur vt eminùs conspicienti hi frutices plumis struthiocamelinis ornati esse credantur.

Paco-aire folia immensæ magnitudinis.

Mattheolus commentariis in Dioscoridē de palma & dactylis agens, scribit quandam esse plantam in Aegypto, Cypróque nascentem, quam Veneti inde redeuntes Musam appellant, & Musas similiter fructus: quámque optimè eo loco depinxit: cuius descriptionem, quia non parum ad nostrum *Paco-aire* accedit, hoc loco adscribere placet. Musa igitur, inquit ille, adolescit ad quinûm, se-

Musa arbor eiúsque descriptio.

nûmúe cubitorum proceritatem è ſtoloni-
bus alterius ſata:folio eſt arundineo, quod ta
men perquàm longo,latóque ambitu ſe diſ-
fundit,adeò vt in longum trium cubitorum
menſuram quandoque excedat,in latum verò
ſeſquicubitum ſpatietur, lata, craſſáque per
medium excurrente coſta. Torreſcunt folia
æſtate ſui naturâ, vel etiam fortaſſe ſolis ar-
dore,adeo vt menſe Septembri eorum coſtæ
prorſus nudæ cernantur,decidente foliorum
materia, quòd admodum ſit tenuis. Caulis
ſquaroſo foliorum cortice veſtitur, palmæ,
vel arundinis modo. Ramos habet nullos,
ſed caudice tantùm conſiſtit. E vertice ger-
men emergit materie molli,longitudine fe-
rè cubitali,à quo alia ab origine,ad ſummum
prodeunt germina ternûm, quaternûmue di
gitorum inuicem diſtantia:è quibus circum-
ueniunt fructus, parui cucumeris magnitu-
dine,qui per maturitatem quadantenus fla-
ueſcunt,cortice fici,qui eodem modo digitis
detrahitur.Subſtantia pulpæ conſiſtit melo-
peponum modo,nullo intus oſſe, neque ſe-
mine.Primum guſtantibus fructibus inſipi-
ditatem quandam præ ſe ferre videntur,adeò
vt primo ſtatim guſtu non placeant, verùm
qui eſui aſſueſcunt, iis indies magis delectã-
tur:quippe qui quadam occulta ſaporis ſua-
uitate allecti, quæ niſi tractu temporis cum
palato init gratiam, nunquam ſaturi videan-
tur.Ita Muſam(inquit Matthiolus) mihi de-
ſcripſere qui ex Aegypto, & Cypro ad nos re-
uer-

uertuntur. Sed quænam antiquis Musa fuerit planta, quid referam non habeo. Fusiùs hoc ille persequitur allato Theophrasti, & Serapionis testimonio, vt videre cuiuis licet. Alibi quidem de ficu Indica (puta Orientali) agit, cuius pictura quam eo loco exhibet, indicat arborem esse monstrosissimæ formæ: ac veritus ne Lectori tædium afferam, (præsertim cùm minùs ad *Paco-aire* nostri formam accedat) intermissam repetam historiæ meæ seriem: siqui verò plura nosse cupiant, eos ad 145. commentariorum illorum libri 1. caput remitto.

Quod igitur attinet ad Xyla frutices, quæ in mediocrem proceritatem assurgunt, in Brasilia magno reperiuntur numero: flores instar campanularum lutearum citrullinarũ emittunt: vbi verò efformatum est pomum, non modò ad fageam glandem proximè accedit, sed etiam maturum in quatuor diuiditur partes, quæ per floccos pilæ magnitudine xylum emittunt, quod Barbari *Ameni-iou* nuncupant. In floccorum illorum medio reperiuntur grana quædam nigra compacta, atque admodum compressa ad renis humani formam, cuius compacturæ magnitudo fabam non superat. Porrò Barbaræ fœminæ xyli illius colligẽdi, & nendi ignaræ nõ sunt, eo siquidem cubilia sua conficiunt ad eũ qui à nobis dicetur, modum.

Xyla arbores.

Ameni-iou Xylon.

Præterea quamuis olim (quantum accepi) in America nullæ crescerent aurei ac citrei

Aurea & citrea mala

mali,hodie tamen cùm Lusitani multas maritimis oris quas accolunt conseuerint, non modò indies propagantur, sed etiam poma ferunt aurea (quæ à Barbaris *Margou-ia* appellãtur,prædulcia, & amborum pugnorum crassitudine, citrea quoque & ampliora, & maiora numero.

magna in America copia crescũt.

Saccari quoque cannæ optimè in illis terris crescunt,& maxima copia: Attamen cùm nos Galli, & hominibus, & machinis ad eliciendum saccarum idoneis nondum essemus instructi(vt sunt Lusitani in iis quæ occupãt apud Barbaros locis) in aqua cannas illas vt saccari saporem induerent,madefaciebamus: prout ante est à nobis dictum cap.9. vbi de Barbarorum potu egimus:alij succum & medullam earum exsugebant. Hoc porrò loco rem multis fortasse admirandam narrabo, cannas huiusmodi nonnunquam mucescere sinebamus,& in aqua madefaciebamus, quæ contra saccari qualitatem,quam dulcissimam esse nemo ignorat, adeò acida fiebat,vt aceti nobis esset loco.

Saccari cãnę in America nascuntur.

Acetum è cannis saccari.

Similiter in syluis non rarò arundines nascuntur crassitudine cruris humani:sed quemadmodum supra dixi de *Paco aire*, adeo sunt teneræ vt singulæ earum vno ictu gladio secentur adhuc stantes, aridæ verò tanta duritie vt fissis illis,& in modum chirurgicorum scalprorũ efformatis sagittas suas ita arment Barbari vt vno iactu feras humi fundant.Sed quando de cannis & arundinibus incidit sermo,

Arundines quibus Barbari sagittas suas armant.

mo, Calcondilus hist. de bello Turc. scribit in India Orientali arundines reperiri tantæ magnitudinis ac crassitudinis vt nauigij vicem prestent, non modò tranandis fluminibus, sed etiam singulę quadraginta tritici medimnos capiant, medimno sex modios Græcos continente.

Libr. 3. cap. 14.

Ad hæc Matthiolus suis in Dioscoridem commentariis ait, arundinem quæ magna copia in Italia nascitur palis vitium apta, ad decem cubitorum altitudinem exsurgere, lãceæ crassitudine, & pari firmitudine.

Masticheetiam in hac nostra America in dumetis nascitur, quæ vnà cũ aliis propè infinitis herbis & floribus odoratis, terram suauissimo odore perfundit.

Mastiche.

Quamuis autem ea quam incolebamus regio, quę nimirum Capricorni tropico subest, à tonitruis horridis (quæ Barbari *Toupan* vocant) imbribus vehementioribus, ventísque rapidissimis non sit immunis, tamen quia nusquam in ea gelu, nix, nec grando conspicitur, ac proinde suis nunquam spoliantur arbores frondibus, vtpote quę frigore non infestentur, per totum annum eo vigent modo, quo mense Maio solent apud nos syluæ. Præterea quando huc vsque sum progressus, iuuat commemorare, cùm mẽse Decembri non modò breuissimi sint dies apud nos, sed etiam frigore rigentes manus perflemus, glaciésque naso dependeat, tum temporis A-

Americana regio à niue gelu & grandine immunis.

Arbores assiduè virentes in America.

mericanos diebus longiſſimis vti, tantóque eſtu torreri, vt ego ſocijique ad 25. Decembris fluuijs illũ ardorẽ ſolari cogeremur. Verũtamẽ, quod ſphęrę nõ ignaris facile eſt intelligere, cũ dies ſub tropicis nuſquã tã longi, neque rurſum tam breues atque in noſtro climate exoriantur, multò ſunt æquabiliores multò clementiore cœlo vtuntur incolæ. Hæc mihi dicenda fuere de arboribus Americanis.

Cœlum ſub tropicis clementiſſimũ.

Plantarum, herbarúmque facturus mentionem, ab iis exordiar, quas tum fructibus, tum effectis aliis antecellere exiſtimo: ac primùm quidem planta quæ fructum *Ananas* edit, forma iri ſimilis, foliis incuruatis, in ambitu diuiſis, ad aloë accedentibus, eiuſdem cum carduo maiore formæ, pomũ verò mediocris eſt craſſitudine, nucíſque pineæ forma, in nullam reclinatum partem ad cinaræ noſtræ modum creſcit.

Planta foliáque *Ananas*.

Cæterùm *Ananas* illa cùm ad iuſtam peruenerunt maturitatem, colore ſunt aureo cœruleum imitante, odorem Idei rubi fructus edit, adeo vt à nobis in ſyluis aliíſque locis, vbi naſcuntur, errantibus ex odore facilè deprehenderentur: ſapore adeo dulci vt à nullis ſalgamis noſtris ſuperẽtur. Itaque optimum eſſe totius Americæ fructum exiſtimo. Ipſe vnum aliquando compreſſi, ex quo cyathum ſucci elicui qui maluatico vino nihilo cedere mihi videbatur: fœminæ verò Americanæ caniſtros iis plenos, quos *Panaçous* nuncupant, vnà cum *Pacos* illis, de quibus paulò antè

Ananas optimus totius Americæ fructus.

antè mentionem feci, aliísque fructibus ad nos afferebant, quos singulos singulis pectinibus, aut speculis mercabamur.

Inter ea quæ in America nascuntur simplicia, vnum est quod *Tououpinambaultij* nostri *Petum* nominant: eodem cum lapatho maiori nostro modo crescit, altitudine nonnihil superat, foliis ab eo non absimilibus, quæ tamen propius ad Consolidam maiorem accedunt. Hæc herba ob insignem, qua est prædita, vim, magno apud Barbaros est in pretio. Hoc autem modo ea vtuntur. Collectam manipulatim in casis appendunt, & exsiccãt, dein quatuor aut quinque folia alio ampliori folio inuoluta accendunt, oríque accensa admouent, fumúmque attrahunt quo, licet naribus, labiísque perforatis exeat, adeo sustentantur, vt si ad bellum proficiscantur, aut alia vrgeat necessitas, eo per triduũ, aut quatriduum alantur. Benzo quoque Noui Orb. hist. ait Indos Perũanos peregrè profecturos, herbam (quam Coca ipsi appellant) ore clausam, veluti panchrestrum quoddam pharmacum circumferre: quippe eius præsidio freti integrum diem nullius nec cibi, nec potus egentes iter faciunt. Matthiolus quoque post Theophrastum scribit Scythas glycirissa cõtentos absque alio alimẽtorum præsidio decem, duodecímque dies degere: Quæ *Petum* Barbarorum nostrorum non malè respondent. Ea quoque in alium vtuntur vsum: nam quod è cerebro humores superfluos eliciat,

Petum admirandæ vires.

Fumus *Petũ* quomodò à Barbaris absorbeatur.

Lib 3.c.20.

Fumus *Petũ* cerebrum purgat.

vix vllum ex Barbaris offendas, è cuius collo fasciculus istius herbæ non pendeat, cuius fumum cõtinuò absorbent, etiam cum familiaribus colloquentes: fumus verò (vt ante dictum est) per nares, labiáque pertusa exhalat, velut à turibulo: odor verò ille minimè est grauis. Benzonis itaque interpres magno errore credidit, hanc eam esse herbam, quam Mexicani *Tabacco*, Hispaniolę verò insulę incolæ *Cozobba* nominant, cuius odorem acutum, & tetrum, atque adeò Diabolicum esse Benzo affirmat. Mulieres hac herba vtentes nunquam animaduerti: cuius quidem rei causam ignoro: assero autem fumũ illum (quem expertus sum) famem non mediocriter depellere.

Lib. I. c. 26.

Nicotiana verum non est *Petum*.

Cæterùm Nicotiana, seu Reginæ herba, licet apud nos *Petum* nominetur, tamen ea nõ est de qua iam ago: quin imo duæ istæ plãtæ, neque in forma, neque in viribus vllo conuenire modo Villæ Rusticæ scriptor Gallicus lib. 2. cap. 79. asserit Nicotianam, quæ à Nicoto, qui primus eam è Lusitania in Galliam trãstulit, è Florida allatam esse, quę 200000, passuum millibus ab America distat. tota enim torrida Zona inter vtramque est interiecta. Præterea diligenter in plerisque hortis, quorum domini vera *petum* gloriabãtur, perquisiui, nec tamen hactenus in Gallia nostra reperi. Ne autem Theuetus (qui non ita pridem Angolismensem suam herbam adeo celebrauit, vt veram esse *Petum* affirmet) credat

à me

à me quod ſcripſit ignorari, de ea idem quod de Nicotiana iudico: ſiquidem effigies quam in ſua Coſmographia depingendam curauit, plantam referat. Itaque à me illi non conceditur quod ſibi aſſumit, ſe primum omnium veræ *Petum* ſemen in Galliam attuliſſe. Quin credo ob cœli inclementiam ægrè apud nos adoleſcere poſſe.

Braſſicarum quoque illic vidi genus à Barbaris *Caiou-a* nominatum, quibus nõnunquã ius condiunt, foliis eſt latitudine & forma ad Nenufar accedentibus.

Caiou-a braſſicæ.

Quantum verò ad radices attinet, præter *Maniot* & *Aypi*, ex quibus, vt dixi cap. 9. Barbaræ mulieres farinam ſuã cõficiũt alias etiã habẽt, quas *Hetich* appellant: quarũ non modò æquè ferax eſt Braſiliẽſe ſolum, atque Lemouicẽſe, & Sabaudicum eſt raparum, ſed etiam radices ipſæ ſunt craſſitudine amborũ pugnorum, longitudine ſeſquipedales plus minùs. Licet autẽ primo aſpectu à terra auulſæ vnius generis eſſe videantur, quia tamen inter coquendum aliæ violaceum ceu paſtinacæ, aliæ aureum ceu cotonea mala, aliæ denique album colorem induũt, trium eſſe generum autumo. Vt vt ſit, verè poſſum affirmare has radices præſertim quæ aureo ſunt colore in cineribus coctas piris noſtris vel optimis bonitate non cedere. Earum folia quæ hederæ terreſtris more humi ſerpunt, foliis cucumerum, aut latiſſimorum ſpinaciorum ſimillima, colore tamen differunt, pro-

Hetich radices optimæ & magna copia.

Mira multiplicandarum Hetich radicum ratio.

piùs ad vitem albam accedente. Cæterùm quia ſemine carent, Barbaræ mulieres quibus eſt curæ radicum iſtarum propagatio, minimo negotio (rem in agricultura inauditam) eas ſerunt minutatim: ſiquidem conciſas inſtar paſtinacarum, quibus in acetariis vtimur, ſerunt: quæ fruſtula non multò poſt totidem gignunt craſſas radices *Hetich*, quot in terrã fuerunt iniecta. Tametſi quia cibarium eſt terræ illius præcipuum, paſſimque peregrinantibus occurrunt, eas etiam ſpõte naſci exiſtimo.

Manobi auel lanarum nucum genus ſub terra naſcentium.

Barbaris quoque fructuum genus eſt quod illi *Manobi* vocant, qui ſub terra naſcuntur more tuberum, tenuibúſque filamentis inter ſe deuinciuntur, nucleum auellanę amplitudine & ſapore habent: colore tamen leucopæo, putamine piſi ſiliqua non firmiore. An verò folia, seménque proferat hic fructus, quamuis ſæpius eo veſci mihi contigerit, non tamen adeo eſt à me obſeruatum, vt à memoria repetere poſſim.

Matthiolus quarundam auellanarũ Indicarum meminit, quæ à Serapione, inquit, Fauſel nominantur, nuci myriſticæ perſimilium, in quodam inuolucro creſcunt Bombycis non abſimili, quæ frequenter inter alia aromata, ex India aduehuntur.

Piper Indicũ cornutũm.

Præterea illic quoque magna eſt copia Indici piperis, non oblõgi (ſicut magno errore meo à Neuſtriis nautis accepto, ſuperioribus editionibus ſcripſeram) ſed cornuti à quibuſ-

dam,

dam,(inquit Matthiolus, à quo etiam eſt optimè depictum.)Siliquaſtrũ appellat, quòd ſit guſtui acerrimum:foliis,vt idẽ ait hortenſi Solano ſimilibus,paulò tamen amplioribus, caule cubiti magnitudine,viridi colore,albicante & geniculato: floribus albicantibus, fructu longo corniculorum inſtar,qui primo exortu vireſcat, maturus verò adeo refuſcat, ac lęuore quodam ita pelluceat vt corallum referat: & in quo concludatur pumilum ſemen lentium modo compreſſum,vſque adeo acre, præſertim antequam ſit exſiccatum, vt ſiquis manu attrectet,eámq; poſtea ori,aliíve corporis parti admoueat, puſtulæ ſtatim exſurgant,quod & ipſe experimẽto didici. Quo fit vt mercatores noſtrates ad tincturam tantùm eo vtantur. Barbari verò noſtri cũ ſale, quem conficere optimè norunt,aqua in foſſis ad id reſeruata,piper illud conterũt:compoſitionem illam *Ionquet* appellant, qua eo modo,quo nos ſale in cibis vtuntur,non tamen quòd *Ionquet* buccellæ antequam in os ingerant applicẽt,buccellam enim ante, poſt verò *Ionquet* ſummis digitis apprehenſum,vt cibo ſaporem addat,ori imponunt.

Ionquet ſal Barbarorũ.

Denique creſcit quoque in illis terris fabę genus pollicis craſſitudine, à Barbaris *Commenda-ouaſſou* appellatæ:piſa quoque alba, & leucopæa, quæ *Commanda-Miri* nuncupant: citrullæ quoque rotundæ nomine *Mauron gaus* ſuauiſſimi cibi.

Commenda-ouaſſou fabæ amplæ.
Commanda-miri piſa minora.
Maurongaus citrulli.

Hæc ſunt nõ quidem quæ in vniuerſum de

arboribus,herbis,& fructibus Americanis dici possunt, sed quæ à me sunt obseruata per annum quo illic vixi.

Arbores, herbæ fructúsque omnes Americani à nostris exceptis tribus differunt.

Denique sicut est à nobis dictum apud Americanos,quadrupedes,nullas aues, pisces, nulla denique animantia per omnia Europæis nostris respondere:ita nunc assero,quãtum per syluas,& agros errando experiri mihi datum est, nullas esse arbores, aut herbas, nullos denique fructus,qui à nostris nõ sint dissimiles,his tribus exceptis plantis, portulaca,ocymo,& filice,quæ in quibusdam locis nascuntur.Quapropter quotiescunque noui illius Orbis imago ob oculos obuersatur, aërísque temperiem,animantium multitudinem,auium varietatem,arborum & plantarũ elegantiam,fructuum denique bonitatem animo recolo, toties Prophetæ ista Psal.104. exclamatio mihi in mentem venit,

O quæ vis fuit illa,quæ potestas,
Quæ prudentia multiplex,creandis
Tot rebus,simul, & simul regendis!
Nam quacunque patet globosa tellus,
Vis quoque imperij tui patescit.

Ergo beatos terræ illius incolas prædico,si verum istorum omnium Conditorem agnoscerent. Atqui ad res describendas me accingo,quæ plus æquo, quàm sint ab eo alieni,demonstrant.

CAP.

CAP. XIIII.

De bello, prælijs, fortitudine, & armis Barbarorum.

QVANQVAM *Tououpinambaultij Toupinenquin* noſtri bellum immortale gerunt aduerſus varias finitimas gentes pro more reliquorum omnium Barbarorum, quartam illã Orbis partem incolentium, quæ à Magellanico freto (quod ad 50. grad. vltra Antarct. cũ Polum iacet, vſque ad terras Nouas, quarum ſitus eſt ad 60. grad. citra eundem Polum) latitudine citra quadragies centena paſſuum millia] occupat: proximi tamen & infenſiſsimi eorum hoſtes ij ſunt qui *Margaiates* appellantur, quíque eorũ ſunt ſocij Luſitani, quos *Peros* appellant. Sicut etiam *Margaiates*, nõ modò *Tououpinambaultijs*, ſed etiam Gallis eorum ſociis ſunt capitales hoſtes. Non tamen quòd Barbari iſti de finibus propagandis bello certent (plures enim agros quàm opus ſit occupant) aut de diuitiis ex ſpoliis, redemptionibus, armíſque deuictorum parandis, cogitẽt. Hæc, inquam, eos minimè mouent. Prout enim fatentur omnes, non alio permouentur affectu, quàm vt parentum, amicorúmque iam olim captorum, & ab ho-

Americæ amplitudo.

Americanis quæ cauſa belli.

ſtibus eo qui à nobis dicetur modo,deuoratorum,mortem quàm ſeuerißimè vlciſcantur. Cui ſtudio tam pertinaciter adhærent, vt quiſquis eorum in hoſtium manus inciderit,eandem pœnam neceſſariò expectet, nimirùm fore vt mactetur, deinde deuoretur. Præterea,vbi primum inter quoſdam ex iſtis populis bellum eſt indictum, in eo conſentientibus omnibus hoſtem cui illata ſit iniuria in perpetuum de ea vlciſcenda cogitaturum,ac proinde ignauiæ tribuẽdum eſſe,ſi in ſuam redactum poteſtatem impunè dimittant:eorum inimicitiæ adeo ſunt inueteratæ, vt in gratiam inter ſe reduci nunquam poſſint. Meritò itaque dicemus Machiauelem, eiúſque diſcipulos(quibus hodie magno ſuo malo ſcatet Gallia) Barbaras iſtorum actiones imitari.Cùm enim ἄθεοι iſti cõtra doctrinam Chriſtianam & docent, & ad praxim reuocant,recenti gratia veteres iniurias non eſſe abolendas:hoc eſt, homines Dæmonum ſimiles alios aliis parcere nunquam debere, annon ſatis declarant animos ſuos tygribus eſſe ferociores?

Barbari in gratiam cum inimicis reduci non poſſunt.

Ratio autem qua *Tououpinambaultij* noſtri ad bellum profecturi conueniunt, hæc eſt, quantum obſeruare mihi licuit. Etſi Reges aut principes inter ſe nullos habent, ſed pares ſunt fermè dignitate,tamen hoc illis à natura inditum eſt (quod etiam à Lacedęmoniis exactißimè olim eſt obſeruatum) vt ſeniores,quos *Peoreru pichéh* nominant, pro-

pter

pter rerum experientiam ſuſpiciant & obſeruent: in ſingulis itaque pagis non aſpernandum illis præſtatur obſequium. Oblata hi occaſione, vel inambulantes, aut lectis ſuis penſilibus xylinis inſidentes, cæteros his aut ſimilibus hortantur verbis.

Braſilienſes ſenioribus obſequium præſtant.

Seniorum Americ. oratio.

Ergóne (inquiunt alternatim loquentes, ſermone minimè interrupto) maiores noſtri, qui tot hoſtes non modò debellarũt, ſed etiã deuicerunt, & mactarunt, & deuorarũt, exemplo nobis fuere vt perpetuò domi deliteſcamus? Gentémne noſtram, quæ tanto olim cęteris omnibus fuit terrori, vt eius cõſpectum ferre minimè potuerint, magno noſtro cum dedecore, tanto affici probro patiemur, vt in laribus ipſis noſtris ab hoſtibus bello petamur? Noſtráne ignauia committemus, vt *Margaiates* & *Peros-engaipa* (hoc eſt illę gẽtes nequam,) primi in nos impetum faciant? Tum orator ille, manibus humeros, & nates plaudens, cum exclamatione hæc addit verba, *Erima, Erima, Tououpinambaults*, *Conomiouaſſou Tan, Tan*, &c. hoc eſt, Nequaquam, populares mei, adoleſcẽtes fortiſſimi, ita nobis eſt agendum: quin potiùs ad certamẽ nos inſtruamus, mortíque & mactationi nos deuoueamus, aut noſtros vlciſcamur.

His ergo ſeniorum orationibus, quæ aliquando in ſex horas producuntur, auditores, qui attentiſſimè audiunt, adeo vt ne ſyllaba quidem illis excidat, & animo & viribus aucti, in ſingulis pagis ſe inuicem compellãtes,

ad præfixum locum quàm celerrimè possunt magno numero conueniant. Verùm antequã *Tonoupinambaultios* nostros ad prælium deducamus, quibus sint armis instructi dicendum est.

Tacapé genus clauę lignęę.

Ac primùm quidem *Tacapes* hoc est clauas, autenses rubro, aliâs nigro ligno fabricatos habent: longitudine vulgò sunt quinque aut sex pedum, extrema parte orbiculatę, aut ouali figura, latitudine pedali, crassitudine digiti pollicis in media sui parte, oræ verò commodissimè exacuatę, siquidem ex grauissimo ligno, quale est buxum, sunt confectæ: securis acutissimæ aciei perparum cedunt. Adeo vt facilè credam vnicum *Tonoupinambaultium* istiusmodi claua armatum, ac furore percitum, multum negotij duobus gladiatoribus nostratibus exhibere posse.

Orapat arcus.

Arcus insuper habent, quos *Orapats* nominant, ex eodem ligni genere rubro nimirum & atro fabricatos: ij longitudine & crassitudine nostros adeo superant, vt eos nec lentare, nec adducere vllus nostrûm possit: quin potiùs imò totis viribus puerorum decem annorum arcubus curuandis opus esse. Pro neruis ea est illis herba quam *Tocon* vocant, quæ licet admodum sit exilis, tanta tamen est firmitudine vt equi vires ferat. Sagittæ sunt vlnali longitudine: tribus iuncturis perficiuntur: media pars ex arũdine, reliquæ verò duæ è ligno sunt nigro: segmina porrò illa adeo concinnè quibusdã arborum corticibus colligan-

Tocon herba arcubus neruorum loco.

Sagittarum longitudo.

ligantur, vt firmiùs agglutinari nequeant. Plumulas duas illis applicant pedali longitudine, quas filo xylino: quòd gluten apud eos non ſit in vſu, cõſtringunt: oſſa præacuta mucronibus aptant: aliquando arundinis ſiccæ fruſtulum palmi longitudine in modum ſcalpri dolatum: nonnunquam raiæ piſcis caudę extremum, quæ vt alibi dixi maximè eſt venenata. Ex quo verò Galli & Luſitani in eas regiones commeant, recepto eorum more Barbari ſagittas ferreis ſpiculis, aut ſaltem clauis acutioribus firmare aſſueuerunt.

Iam dictum eſt quæ ſit illorum in verſandis clauis illis ſuis dexteritas: ad arcus verò quod attinet, confido fore vt ij omnes à quibus ſunt conſpecti Barbari, confirment eos nudis brachiis tanta celeritate, támque certo ictu iaculari, vt (quod bona Anglorum pace, qui tamen peritiſsimi ſagittarii habentur, dictum ſit) ſagittis ſuis manui qua arcum tenent impoſitis, duodecim ab illis citiùs quàm ab Anglis ſex fuerint emiſſæ.

Americani ſagittarij peritiſsimi.

Poſtremò parmas habent ex tergo *Tapirouſſou*, cuius iam ante memini, latas, planas, & rotũdas ad modum fundi tympani germanici. His inter præliandum non obteguntur ad eum quo ſolent milites noſtri modum, ſed iis dimicando ſagittas hoſtium excipiũt. Hæc verò ſunt vniuerſa Americanorum arma: neque enim aliis armaturis corpus ſuum obtegunt: quin contra (exceptis plumaceis pileis, armillis, breuibúſque aliis indumentis

Parmæ coriaceæ.

quibus corpus suum, vt ante dictum est, exornant) si vel indusio essent induti ad prælium profecturi, confestim illud exuerent, veriti ne illo intricarentur.

Ferreos enses Barbari parui faciūt.

Vt autem sermoni de armis Barbarorum finem imponam, illi siquando à nobis enses ferreos accipiebant sicut *Moussacat* cuidam ex meis vnum dono dedi, statim vaginas procul abijciebant: (idem quoque acceptis cultris factitabant, eorum fulgore delectabãtur, aut ad abscindendos arborum ramos vtiliores, quàm ad pugnam censebãt: ac sanè, vt à me dictum est, optimè suis versandis eos esse exercitatos, commodiùs illis vtuntur.

Cæterùm tormenta aliquot minimi pretij eò deuexeramus: hæc Barbari terni singula displodebant, vnus manibus impositum ad destinatum intentabat, alter collimabat, tertius ignem admouebat. Tamen quia cannam ad os vsque complebant, nisi carbo contusus pulueri tormentario à nobis fuisset admixtus, magno eorum periculo tormentum fuisset disruptum. Ad hæc nolo prætermittere Barbaros, cùm primùm tormentorum maiorum, & minorum strepitum audirẽt, quodammodo territos fuisse, præsertim cùm nõnullos ex nostris auem ab arbore deijcientes videbant, ferámue humi sternentes plumbea glande, quam ipsi non cernebant, tamen arte cognita, hæc reformidare desierunt: dicebant enim se celeriùs sagittas sex iaculari posse, quàm quis tormentum semel aptaret. Si quis autem

autem obijciat tormentum longè altiùs penetrare: Respondeo nec thoraces bubalinos, nec hamis consertos sagittæ à Barbaris emissæ impetum ferre, quin eâ æquè ac glande tormentularia traijciantur. Veruntamen quia commodiori loco hæc à nobis dici poterũt, cùm ad Barbarorum prælia ventum erit, ne confusè agam, iam Barbarorum copias ad præliandum educo.

Seniores Barbari agminis duces.

Ea qua dictum est ratione coacti ad octo, aut decem capitum millia, mulieribus non paucis, non ad præliandum quidem, sed ad impedimenta, & commeatus comportãdos, in castra cõuenientibus, ex senioribus ij qui hostes maximo numero interfecerunt, & deuorarunt, copiis præficiũtur: quibus ducibus itineri se accingunt. Quamuis autem incedãt nullo ordine, tamen cùm iter faciunt conglobati, fortissimis primam aciem occupãtibus, mirum est quàm commodè vniuersa illa multitudo, sine tribuno & mensore se recipiat, ita vt signo dato celerrimè in aciem conueniãt.

Barbari sine ordine, incõfusè tamen incedunt.

Inubia cornua ingẽtia.

Cæterùm nonnulli sunt qui cornibus quæ ipsi *Inubia* vocant, sesquiulnæ longitudine, & crassitudine hastæ nostratis ab inferiori parte palmi latitudine, instar buccinæ milites cient, tum patriâ excedentes, tum etiam castra mouentes. Nonnulli etiam fistulas ex ossibus hostium olim mactatorum & deuoratorum, gerunt, quibus assiduè in itinere canunt, vt sociorum animos excitent, studiúmque hostes consimiliter mactandi, augeant.

Fistulæ ex ossibus humanis.

Si verò, quod frequenter contingit, nauigio expeditionem in hostes facere placeat, litora legunt, nec alto mari se committunt. In suis verò se lintribus disponunt, eos *Ygat* nominant, singuli constãt ex singularum arborum cortice detracto in hunc vsum destinato, tantæ tamen amplitudinis vt singuli quinquagena capiant hominum capita. Itaque stantes pro more suo nauigium agũt remo vtrinque plano, quem medium comprehendunt. Hi porrò lintres cùm plani sint, minimo negotio aguntur. Eorum tamen in alto mari, vel oborta tempestate vsus est nullus. Sed in summa malacia Barbaris nostris ad militiam proficiscentibus, classem sexaginta huiusmodi lintribus constantem conspicias. Hi tam celeri æquor percurrunt motu, vt mox oculos fugiant. Atque hi sunt exercitus *Toupinẽquin* terrâ, maríque.

Ygat linter corticeus.

Hoc instructi modo quinquaginta nonnunquã passuum millia in hostium fines progrediuntur. Primóque hoc vtuntur stratagemate, fortissimi quique cæteros cum mulieribus, & impedimentis post se relinquũt itinere vnius, aut duorum dierum: summo cum silentio accedunt, syluásque occupant insidias hostibus struẽtes, quibus adeo sunt intenti vt non rarò per 24. horas illic delitescant. Hostes verò si ex improuiso fuerint adorti, quotquot viri, fœminæ, ac pueri occurrunt, non modò deducuntur, sed etiam mactantur ab hostibus in patriam reducibus, frustatímque

Primum Barbarorum stratagema.

Bou-

Boücan imponuntur, ac tandem deuorantur. Atque eò faciliùs incautos opprimunt, quòd pagi (nam vrbes nullæ sunt illis) mœnibus non cinguntur, casarúmque, (quæ tamen 80. aut 100 passus in longitudinem protenduntur) fores nullę sunt, earum verò loco palmarum ramos, aut herbæ *Pindo* caulē ad ianuas suas apponunt. Quosdam tamen pagos, qui hostibus sunt contermini, iam palis ex palmis longitudine 6. pedum munire & circunuallare didicerunt, præterea stipitibus ligneis præacutis muricum loco aditus muniunt: itaque si hostes noctu aggredi pagos illos voluerint, quod illis est familiare, pagani tum in eos tuta via irrumpunt, quo fit vt siue pugnam, siue fugam capessant, nusquam euadant, quin aliqui pedum vulneratorum dolore prosternantur, qui confestim ab paganis torrentur, & eduntur.

Si verò aperto Marte pugnare contendunt, copiis vtrinque eductis, vix credibile est quàm atrox, quámque horrendū sit prælium: cuius ipse spectator fui, ac proinde meritò de eo referre possum. Ego cum Gallo altero, paulò curiosiùs (magno nostro periculo, si enim à *Margaiatibus* capti aut læsi fuissemus, deuorationi fuissemus deuoti) Barbaros nostros in militiam euntes comitari volui. Hi numero 4000. capita cum hostibus ad littus decertarūt, tanta ferocitate vt vel rabidos & furiosos quosque superarent.

Tonoupinambaultij, cùm primùm hostes conspexêre, in tãtos, támque editos vlulatus perruperunt, vt qui lupos hîc venantur, cum illis vlulatibus comparandos minimè edant: clamor verò aërem adeò feriebat, vt tonitru vix exaudiri tum potuisset. Accedentes verò propiùs clamores ingeminabant, cornibúsque concrepabant, fistulis denique canebant, minas alij in alios intentabant, ossáque mortuorum hostium ostentabant: dentes item quorum nonnulli filo traiectos vltra vlnas duas collo appensos gerebant: denique gestibus horrorem spectantibus incutiebant. Ad manus autem vbi ventum est, longè in peius res ruere: tanta enim sagittarum nubes est vtrinque emissa, vt muscas volantes multitudine imitarentur. Saucij verò non pauci strenuè tela à corpore auellebant, quæ rabidorum more canum mordebant, nec tamen propterea prælio abstinebant. Hæc enim gens adeo fera est, & truculenta, vt tantisper dum virium vel tantillum restat, continuò dimicent, fugámque nunquam capessant. Quod à natura illis inditum esse reor. Etenim à Nobili quodam accepi viro Gallo, qui militiam colit, bellorum ciuilium nostrorum tempore, in legionibus Gallicis Americanos milites duos fuisse, qui strenuè & fortiter se gerebant: quapropter à Centurionibus plurimi fiebant. Quod tamen in eam accipi partem nolim,

Ad prælium venientium Barbarorum vlulatus.

Ossium mactatorum ostentatio.

Barbari ferocissimi.

rbati e-
os si vi-
ent quid
illis sen-
nt.

st. Gen.
l.lib.4.
.113.

Ad pręliur
venientiu
Barbaroru
vlulatus.

Ofsium m
ćtatorum
ſtentatio.

Barbari f
cifsimi.

argaiatibus certamen.



Pictura hæc post paginam 178. est reponenda.

lim quasi affirmarem nullos in illis reperiri posse, qui ignauiam Asianorum, mollitiem Europæorum aut Afrorum imitarentur: assidua enim exercitatio militẽ strenuum facit. Vtut sit, vbi manus cum hostibus *Tououpinambaultij* conferre ceperunt, clauis illis suis vtrinque acerrimè ferierunt, adeo vt obuium quemque non modò humi sternerent (non secus ac lanij boues) sed etiam penitus mactarent.

Vtrùm generosis insideant equis annon, à me non quæritur: Lectorem enim memorem esse credo eorum quæ superiùs à me dicta sunt, equis aliísque iumentis Barbaros penitus carere, ac proinde pedites omnes incedere. Ego verò qui aliâs sæpe equũ mihi optarem quem Barbaris conspiciendum præberem, tum sanè optimum cui insiderẽ, præsentíque me periculo liberarem, votis omnibus exoptabam: Quippe mihi fit verisimile, Barbaros si cataphractarum militem nostratem equo generoso insidentem, ignémque hinc è tormentulo erumpentem, illinc, verò equum resiliẽtem cõspicerent, *Aignan*, hoc est cacodæmonem adesse credituros. Tametsi à quodam memoriæ est proditum, magnum illum Attrabalipam Peruensium Regem, quamuis equum ante conspexisset nullum, tanta fuisse animi magnitudine, vt Pisarro (qui cùm vt sese ostentaret, tum vt Indos Attabalipam stipantes perterreface-

Barbari equos si viderent quid de illis sentirent.

Hist. Gen. Ind. lib. 4. cap. 113.

ret, continuò equum suum glomerato gressu solo insultantem agitabat,)propiùs ad Regem accedente, spumáque ab equi ore in regis vultum desiliente, minimè tamē commotum fuisse, quin morte plecti eos imperasse qui equi horrore stupefacti terga vertissent. Quæ res (inquit historiographus) Barbaris fuit terrori, nostris verò admirationi.

Iam verò, vt narrationis seriem repetam, si quis quærat quid tu, comésque tuus tantisper dum prælium committebatur, annon vnà cum Barbaris dimicabatis? Ingenuè fateor nos, qui adeò imprudenter Barbaros essemus comitati, imprudentiam illam altera cumulare noluisse: sed paullum à conflictu remotos, spectaculo illo contentos fuisse. Testor intereà me, qui non semel tum equitum tum peditum copias ingētes in aciem instructas, hîc conspexi, tanta nunquam voluptate videndis peditum legionibus armis fulgētibus, quanta tum pugnantibus istis *Tououpinambaultijs* perfusum fuisse. Præterquàm enim quod sibilantes, saltantes, & celeriter admodum & dextrè sese in orbem glomerantes, iucundissimè spectabantur, accedebat insuper telorum nubes densissima, quorum pēnæ rubræ, cœruleæ, virides, roseæ, aliorúmq; id genus colorum, soli obiectę radiabant, vestes itē, pilei, armillæ, cæteráque ex plumis compacta ornamenta, quæ mirum in modū spectantium oculos fulgore feriebant.

Corpora teláque Barbarorum plumis ornata.

Hoc prælio trium horarum spatio confe-

cto

cto, multis vtrinque cæsis & sauciis, *Tououpinambaultij* nostri victoriam reportarunt, captiuósque, cùm viros tum fœminas plus minùs triginta ad suos deduxerunt. Nos verò qui officium aliud præstiteramus nullum, nisi quòd strictis gladiis, tormentulísque vt Barbaris animos adderemus, nonnunquam displosis præliantes spectaueramus, (quòd maximè gratum sit illis si cum ipsis ad bellum proficiscantur hospites) tantam de nobis cõcitauimus opinionem, vt ab eo tempore seniores peculiari nos beneuolentia & amore sint complexi.

Captiuis itaque in medio agmine collocatis, nonnullisque ex robustioribus funibus vinctis, ad Ganabaræ sinum tendimus, à quo passus circiter XXIV. M. aberamus. Vndique verò ex fœderatis permulti saltantes, tripudiantes, & plaudentes nobis gratulatum obuiam veniebant. Denique cùm ad locum insulæ nostræ oppositum peruenimus, ego comésque meus scapham cònscendimus, ad castellúmque nostrum reuertimur. Barbari verò in continente pagos suos singuli repetiere. Paucis pòst diebus Barbari quidã ex iis qui captiuos apud se habebant, ad castellum nostrum accessere, quos per interpretes rogamus, vt mancipia aliquot Villagagnoni vendant. Sic captiuorum pars magna ex Barbarorum faucibus est erepta: ægrè tamen, & inuitis Barbaris. Quod mihi non multò post est apertissimè indicatum. Mulierem quãdam

Captiui vincti.

Barbarorum ob victoriã reportatam plausus.

Captiui à Gallis empti.

cum puerulo suo vix dum bimulo emebam, pretium erant merces quædam, quarum ęstimatio ad tres libellas Francicas accedebat, venditor autem meus ita cõquerebatur, Quid in posterum futurum sit nescio, ex quo autem *Paycolas* (sic Villagagnonem nominabant) huc appulit, vix dimidiam captiuorum nostrorum partem comedimus. Puerulum illum mihi reseruare vehementer cupiebam, sed Villagagno, restitutis mercibus meis & matrem & filium vendicauit. Matri nonnunquam dicebam fore vt cùm mare transmitterem, puerulum huc transportarem. Illa verò (adeo vindictæ reposcendæ animis gentis illius hæret cupido) respondebat malle se vt à *Tououpinambaultijs* voraretur, quàm vt in tam remotas terras deportaretur: sperare se vt grandior factus ad populares suos quoquo modo elapsus se reciperet, ac cognatorum suorum mortem vlcisceretur. Nihilominus tamen (vt ante est à me dictum) è quadraginta aut quinquaginta mancipiis quibus ad Castelli nostri munitionem vtebamur, decem pueros selegimus quos nauibus impositos ad Henricum secundum tum Galliarum regem misimus.

CAP.

CAP. XV.

Captiuos suos quo tractent modo Barbari, quibúsque cæremonijs in ijsdem mactandis & edendis vtantur: quibus per occasionem immanissimæ crudelitatis alia exempla adiecta sunt.

NVNC superest vt dicamus quonam modo captiui à victoribus excipiantur. Vbi primùm in victorum fines sunt deducti, non modò exquisitissimis alũtur cibis, sed etiam vxores viris dantur, (non autem viri fœminis) Immò non dubitabit is qui captiuũ apud se habet, filiam suam aut sororem in vxorem illi dare, quæ viro diligentissimè ministrabit. Cæterùm cùm mactationis tempus non sit præfixum, sed modò citiùs, modòtardiùs expediantur prout fuerint vtiles, viri quidẽ aucupio, venationi, & piscatui: fœminæ verò hortis colendis, aut ostreis colligendis: omnes tandem suûm more saginatos mactant, vorántque his ritibus.

Captiui quo modo excipiantur ab hostibus.

Primùm finitimis omnibus res denuntiatur, tum virorum, fœminarum, puerorum fit concursus ad locum vbi est futura mactatio. Ibi matutinum tempus potando transigunt. Inter quos captiuus ille, quem non latet eam in se cudi fabam, plumis ornatus, non modò

Ad captiui mactationẽ conuentus.

mortem non horret:quin immò ſaltando,bibendo,ridendo reliquos ſuperat.At poſtquã per ſex aut ſeptem horas vnà cum cęteris perbacchatus fuerit,duo tréſue ex robuſtiſſimis eum arreptum funibus xylinis, aut ex arboris illius cortice(quam *Yuire* vocant, quæque tiliæ eſt perſimilis), medium, minimè renuentem quamuis vtróque ſit brachio ſoluto,cõſtringũt:pérque pagum quaſi in triumphum deducunt. At verò,num putas propterea eum caput dimittere vt ſolent hîc ſontes? Minimè verò id quidem. Quin contrà incredibili audacia res ſuas geſtas apud eos à quibus conſtrictus detinetur enumerat,his verbis. Ego, ego ipſe fortiſſimus,ſic veſtros olim cognatos vinxi, tum ſe laudibus magis ac magis euehens,modo in hanc, modò in illam conuerſus partem, alium quidem ita compellat. Heus tu,patrem tuum ego voraui,alium verò ô bone , fratres tuos mactaui & *Boucanaui*. Tot denique viros, fœminas, puerulóſque, ex vobis *Tououpinambaultijs* bello à me captos deuoraui vt numerum aſſequi non poſſim. Cæterùm ne ignorate populares meos *Margaiates* tot in poſterum mactaturos eſſe quot è vobis intercipere poterunt: atque ita mortem vlciſcantur meam.

Captiuus vinctus per vicũ circumducitur.

Tandem, poſtquam omnium oculis ſatis ſuperque fuit expoſitus , duo illi lictores à quibus conſtrictus tenetur,circiter tres vlnas ab eo recedunt, funẽ tamen pari longitudine firmiſſimè vterque contrahit: adeo vt captiuus

titus gradũ præcisè sistere cogatur, progredi autem aut regredi minimè possit. Vincto lapides aut testæ confractæ adferuntur. Tum lictores parmis ex tergo *Tapiroussou* (cuius ante memini,) sese obtegũt, captiuúmq; his compellant verbis. Mortem tuam ante obitum vlciscere: Ille confestim lapides in eos summo impetu cõtorquet qui se circumstãt quorum numerus plerumque ad quatuor millia accedit. Ex his minimè est quærendum quàm multi vulnerentur. Equidem in vico quodã quem *Sarigoy* appellãt vidi captiuum eiusmodi tanto impetu lapide mulieris crus pertigisse, vt cõfractum illud esse crederem. Porrò lapidibus, ac cespitibus, quos potuit colligere absumptis, prodit is qui mactationi se accingit, quíque per totum diem latuerat, clauam ligneam plumis decoram manibus gerens, pileo quoque ac cæteris ornamẽtis plumeis ornatus: atque ad captiuum accedit, eúmque his compellat verbis. Annon ex *Margaiatũ* es gente nobis infensissima? Annon tu ipse ex nostris amicis & cognatis cõplures mactasti, ac deuorasti? Cui captiuus, animo quàm antea longè præsentiore, sua sic respondet lingua, (*Margaiates* enim à *Tououpinambaultijs* sermone non sunt dissoni,) *Pa, che tan tan aiouca atoupauè.* hoc est, vtique sum fortissimus, atque ex vestris quàm plurimos mactaui & deuoraui.

Captiuus præcisè reuinctus mortem imminẽtẽ vlciscitur.

Mactatoris cũ captiuo colloquium.



Deinde, quo magis hoſtes ſuos vrat, vtraque manu capiti impoſita, in hæc erumpit verba: O quàm ſtrenuè in eo me geſſi! O quàm gnauiter veſtros bello laceſſiui, cepíque, quos penè innumeros voraui. aliáque id genus multa ſubiungit. Mactator verò addit, Idcircò tu qui in noſtra es poteſtate, mox à me mactaberis, *Boucanóque* aſſatus à nobis voraberis. Quid tum? (inquit ille, ne fractiori quidē animo pro ſua gēte mactationē ſubire paratus, ac Regulus ille quondā pro Rep. Romana mortem oppetijt) mei quoque cognati mortem vlciſcentur meam. Ad hæc, vt pateat iſtos mortem (quam tamen mirum in modū reformidant) prorſus cōtemnere, quòd beari ſe credant publico illo & ſolenni ſupplicio: exemplo rē cōfirmabo. Fortè in pago quodam Inſulæ maioris quam *Pirani-iou* nuncupant diuerti, mulierémque offendi mox iſto ſupplicij genere interituram, ad hanc accedo propiùs, moneo vt ſe *Toupan* cōmendet (nam ad illius captum ſermo erat accommodādus. *Toupan* verò non Deum, ſed tonitru ſonat,) atque ad eum prout à me docebatur preces conciperet. Illa verò nutato capite me deridens reſpondit, Quid verò mihi es daturus ſi id quod vis exequar? Tum ego, Miſerrima muliercula, mox rerum omnium iſtarū vſus tibi nullus erit: Itaque de anima tua quā immortalem eſſe credis (quod faciūt Barbari omnes vt mox ſequenti capite dicemus) ſeriò cogitato. Illa verò rurſum me irridens, eſt

Mira captiui confidentia mortem cōtemnentis.

Barbara mulier mortem contemnit.

mactata.

Sed vt ad rem redeam, variis disceptationibus vltrò citróque habitis, nonnunquam inter colloquendum, mactator qui præsto adest, claua lignea vtraque manu in altum sublata, orbiculo extremo, captiui caput totis ferit viribus, adeo vt paucissimo sanguine effuso, altero ictu non sit opus. Hinc prouerbium illorum, quod iam apud Gallos nostros erat in vsu, Confringam tibi caput, pro eo quod solent altercantes milites aduersario minitari his verbis, Ego te confodiam.

Captiuus vno ictu mactatur.

Barbarorum prouerbium à Gallis vsurpatum.

Captiuo in hunc modum mactato, si coniugatus erat, (vxores enim nonnunquam illis dari diximus) vxor illius cadaueri adhærens, aliquantulum luget, aliquantulum inquam, nam Crocodilum imitatur, quem ferunt, antequam hominis à se necati cadauer deuoret, lachrymas emittere solitum. Non absimili modo illa postquam lachrymis extortis luctum simulauit, viri sui carnibus omnium prima nisi quis anteuertat vescitur. His ita gestis reliquæ mulieres, præsertim vero anus, quæ cùm sint humanarum carnium appetentiores, iuniores continuò eos à quibus captiui detinentur hortari solent vt confestim morti addicant) aquam feruentem admouentes ad cadauer accedunt, quod adeo fricant, lauant & calida perfundunt, vt cute sublata pari sit cum nefrendibus assandis candore.

Luctū simulat vxor captiui mactati.

Captiui cadauer nō secus ac nefrens calida perfunditur.

Deinde captiui dominus assumptis secū

quanto

quanto numero visum fuerit sociis, cadauer diuidit, ac tanta celeritate frustatim discerpit, vt lanius apud nos vix reperiatur vllus qui veruecem celeriùs in frusta secare possit. His accedit quod prout venatores, hîc cerui capti viscera canibus venaticis porrigunt, Barbari consimiliter hostium suorum mactatorum sanguine liberos illinunt suos vt ad ferociam crudelitatémque animos illis addant.

Cadauer captiui incredibili celeritate in frusta secatur.

Hæc porrò immanis crudelitas, apud Barbaros frequentissima, per se est quidem abominanda. Atqui portentosius id esse videtur quod patratum à Iudęis fuisse legimus, (quos tamen humanitate cæteras gentes antecellere par erat, prohibito à Deo sanguinis esu) Illi enim tumultibus concitandis, vt tradunt historiæ, deditissimi, Traiani tẽporibus adeo horrendas seditiones excitarunt, eóque crudelitatis & immanitatis processerunt, vt cæsis quadraginta hominum millibus in Ægypto, Cirene, & Cypro, eorum carnibus vesci, sanguinéque vultũ oblinire suum sustinuerint. Quin multos à vertice transfixere medios, eorúmque pellibus induti immanissimam præ se ferentes rabiem obambulauere. Quæ historia si nõ absoluat, saltem extenuet Americanorum crudelitatem. Cæterùm ex quo Christiani ad eos accessere cum mactatorum corpora, tum animantia omnia, reliquósque cibos cultris secãt. Antea verò, quãtum à senioribus accepi, lapidibus præacutis ad eum vsum accommodatis vtebantur.

Barbarorum pueri cut hostium sanguine illinantur.

Iudæorum immanis crudelitas.

Lapides cultrorũ vsum Americanis olim præbebant.

Captiui carnes *Boucano* impositę.

Singula porrò cadaueris frusta, atque adeò ipsa viscera abluta, & expurgata, *Boucano* imponuntur. Hæc tantisper dum coquuntur, anus continuò *Boucano* adhærent, mirum enim in modum carnes humanas appetunt, adipémque à *Boucani* baculis diffluentem excipiunt. Adeo eorum sapit palato vt continuò adolescentes ad capiendos hostes hortentur, qui cibum eiusmodi suppeditent. Digitos quoque suos adipe illo conspersos lingentes, conclamant suum *Yguatou* quod sonat, bonus est. Habes, Lector, quantum obseruando assequi potui, qua ratione Barbari Americani captiuos suos assant, more nimirum penitus nobis ignoto, nimirum *Boucanando*.

Barbaræ anus adipem diffluentem lingunt.

At verò quoniam cap. 10. de *Tapiroussou* agens, *Boucani* formam fuse descripsi, ne tautologia laborare videar, ad locum illum Lectores remitto. Intereà verò eorũ error à me refutabitur qui suis chartis Barbaros nostros carnem humanam verubus perinde ac nos armos veruecinos assantes depinxerunt, duos etiam prægrãdibus cultris ferreis carnes dissectas ad speciem suspensas exponere sunt commenti, prout hîc bubula venalis exponitur. Sed ista tam vera, quàm ea quę fabulosè de Panurgo Rabelesius refert, quòd lardo transfixus & semiassatus tandem euaserit, arguunt chartarum illarũ authores crassissimæ ignorantiæ. Hæc vt confirmem addo. Brasilienses nõ modò à nobis differre assandi modo

Chartarum Cosmographicarum error.

do, sed etiam nostrum morē illis planè fuisse incognitū tum etiam cùm apud illos degebamus. Etenim ego & sodalis quidā meus in vico quodam Indicam Gallinā cum nonnullis aliis volatilibus veru ligneo impositis nostro more ad ignem versantes assabamus. Quod factum Barbari in ludibria vertebant, nec priùs adducti sunt vt crederent carnes quæ continuò agitarentur percoqui posse, quàm ipsi periculum fecere. Ergo (vt vnde digressus sum eò redeam) vnius aut plurium captiuorum carnibus (duos siquidem aut tres nonnunquam vno die mactant) in eum modum assatis, turba illa vniuersa quæ mactationi interfuit *Boucano* circumit exultans, membráque hostiū torrentia toruis intuetur oculis, deinde quantūuis multi particulā singuli arripiunt: non tamen cibi causa, (quod suspicari non immeritò quis posset) isthæc perpetrant: quamuis enim sine controuersia carnes humanas sapore cōmendent, vltionis tamen potiùs iis edendis quàm victus rationem habent: anus excipio carnium illarum, vt dixi, auidissimas. Huc verò tendūt, vt mortuos ad ossa vsque corrodentes superstitibus metum incutiant. Quippe, quò animos suos truculentissimos & sæuissimos expleant, nulla est cadauerum illorum particula, ab extremis articulis ad nasum vsque aures & verticem (quæ excepto cerebro) ab illis non exedatur. Ptolemęi itaque Lathuri Regis Ægypti barbaries eò fuit immanior, quòd licet

Barbari nostrum assādi morē ludibrio habent.

Barbari singuli captiui carnium frustum arripiunt.

humaniore eſt diſciplina excultus, ad tãtam ſit delapſus crudelitatem, vt cæſis xxx. Iudęorum millibus captiuos cęſorũ carnibus veſci adegerit. Cæterùm *Tououpinambaultij* noſtri in ſingulis pagis aceruatim mactatorum caluarias diligenter aſſeruant, (prout apud nos in cœmiteriis ſolẽt) Gallis verò ad eos commeantibus fuſiſſimè rerum ſuarum geſtarum præconium perſequuntur, aceruóſque illos quaſi trophæa quædam, fortitudiníſque ſuæ monumenta oſtentant. Præterea grandiora crurum & brachiorum oſſa non negligenter recondunt, fiſtulis (vti dictum eſt) conficiendis: dentes quoque auulſos filo traijciunt, & circa collum obuolutos geſtant. Gen. Ind. Hiſt. ſcriptor de Inſulæ *Zamban* malis agens, refert eos hoſtiũ ab ſe mactatorum capita ædiũ ſacrarũ valuis affigere ſolitos: dentéſq; collo appẽſos ad oſtentationẽ geſtare.

Caluarũ aceruì à Barbaris cur aſſeruentur.

Lib. 2. cap. 71.

Mactatores verò iſti ſummo illud tribuũt decori, patrato enim egregio illo facinore, ſecedunt, pectúſque, brachia, crura, ſuras & reliquas corporis partes incidunt, inciſuráſque vt perpetuo cuti inhæreãt vnguento neſcio quo illinunt, atróque puluere inſpergunt, quem nulla temporis diuturnitas delere poteſt. Creduntur autem eo plures mactaſſe hoſtes quo pluribus ſcatent inciſuris, ac proinde fortiſſimi cenſentur. Quæ vt faciliùs à quibuſuis percipiantur ſequenti pictura expreſſimus, Alterum quoque Barbarum ſagittam arcu iaculantem adiunximus.



Hæc pictura ſuperiori pag. 186 collocanda erat, quæ verò ea pag. habetur in iſtius loco hîc debuit poni.

Denique vt tandem horrendæ isti tragœdię finem imponamus, si fortè contingat vt mulieres quæ captiuis nupserant grauidæ ex illis sint factæ, Barbari (dictu horrendum, visu verò maximè stupendum) liberos nonnunquã recens natos, rarò paulò adultiores vorant, hanc autem causantur rationem, pueros illos ex hostium semine progenitos esse. Barbari verò hostes suos quibuscum continenter bellum gerunt funditus aboleri non modò percupiunt (eandem enim crudelitatem *Margaiates* in *Tououpinambaultios* exercent) sed etiam mira perfundũtur voluptate si videant hospites suos eodem esse animo. Etenim carnes humanas nobis ab illis appositas quoties reiiciebamus, (quod à me & plerísque ex nostris semper est factum, neque enim per Dei gratiam adeò immanes vnquam fuimus vt eas vel attingere religio nobis non esset) nos non satis fideles sibi censebant. At meo maximo dolore referre cogor, Neustrios quosdam interpretes, qui apud Barbaros nouennium exegerant, sese vt ad illorum mores accommodarent vitam atheorum more transigentes, non modò crebris scortationibus sese cum Barbaris fœminis inquinabant, adeo vt vnus ex illis trimulum puerulum ex vago illo concubitu sustulerat: sed etiam exuto omni humanitatis sensu, Barbarósque immanitate superantes, à se permultos *Margaiates* & mactatos & deuoratos fuisse gloriabãtur. Porrò vt quæ sit *Tououpinambaultiorum* in ho-

Horrenda crudelitas.

Neustrij interpretes vitam atheorũ more transigunt.

hostes suos crudelitas pergã describere, contigit eo tempore quo apud illos degebamus, vt de vico quodam in maiori insula sito cogitarint. Pagus hic à quibusdam *Margaiatibus* incolebatur qui tamen *Tououpinambaultiorũ* ingruente cum *Margaiatibus* bello *Tououpinambaultijs* in deditionem venerant, perque totos viginti annos pacificè apud illos egerant. At tandem inter *caouinandum* sese mutuò incitantes & animos addentes, pagi illius incolas vniuersos internecioni deuouẽt. Decretum exequi non cunctantur, noctu inopinantes intercipiunt & semisopitos opprimunt, adeò vt non sine commiseratione clamores & eiulatus audirentur. Galli re audita circa mediam noctem eò properant armati, pagus enim à castello nostro non longius X passuũ millibus aberat. verùm antequàm eò aduenissent, Barbari rabie & præda incitati obuios quosque trucidarant, casásque vt latentes extruderent incenderant, adeò vt perpaucos superstites nostri inuenerint. Quinimmò ex nostris nonnulli asseuerabant se non modò adultos frustatim concisos, sed etiam infantulos lactantes integros *Boucano* impositos vidisse. Ex adultioribus tamen aliquot mari sese commisere, & noctis tenebris obsecundantibus natantes euasere, inque nostrum Castellum se recepere. Quod vbi resciuerunt Barbari non æquo tulerunt animo: immò suos hostes à nobis detineri mussitantes conquerebantur. Tandem verò mer-

Pagus à Barbaris vastatus.

Barbaries horrenda.

cibus quibusdam à nobis placati fuere, clientes verò nostros, Villagagnoni mancipia reliquere.

Interiectis aliquot diebus, ego cum quibusdam aliis Gallis in pago ab indigenis *Pirani-iou* nominato, in insula illa maiore animi gratia exspatiabamur, inopinantes captiuum iuuenē, forma & statura non mediocri, in cōpedibus ferreis quas Barbari à Christianis acceperant, detentum offendimus. Is lingua Lusitana nos compellat, (duo ex nostris ob Hispanici sermonis peritiā eius verba capiebant) significat se in Lusitania fuisse, Christianum esse, Baptismo initiatum, Antonio sibi nomen. Præterea, quamuis natione *Margaias* esset, quòd frequenti cum Lusitanis commercio ferinum ingenium ex parte exuerat, innuit se vehementer optare, si qua id ratione fieri posset, ab hostium manibus euadere. Tū nos, præterquàm quòd nostrarū erat partium quotquot dabatur è Barbarorū faucibus eripere, auditis vocibus Christiani & Antonij longè vehementiùs commoti sumus, & miseratione ducti. Atque ita è nobis vnus, qui linguam Hispanicam callebat, quíque fabrilem exercebat artem, recepit se postridiè eius diei limam ad compedes dissecandas allaturum: monuítque vt simulac solutus esset, (nam à nemine obseruabatur) in dumetis ad maris littus sese abderet, tantisper dum

Margaias in Lusitania baptisatus captiuus.

Barbaros colloquio occuparemus: nos ſcapha exceptum,in Caſtellum noſtrum tranſducturos:quò ſi perduceretur, minimo negotio cum Barbaris de ſua redemptione tranſigi poſſe.

His non parùm recreatus gratias egit, ſéque ſingula exactè exequuturum ſpondet. At Barbari licet ſermones vltrò citróque habitos non cepiſſent, nonnihil tamen ſuſpicãtes, ſimulac è pago egreſsi ſumus vicinitate demum, ídque tumultuariè coacta, miſerum Antonium mactant. Nos poſtridie limam afferentes, per ſpeciem farinæ aliorúmque cibariorum quærendorum pagum illum repetimus: atque à Barbaris quærimus vbínam captiuus ille, quem pridie videramus. Illi nos in caſam proximam deducunt, carniúmque Antonij fruſta *Boucano* impoſita oſtendunt. Deinde nos abs ſe eluſos fuiſſe ſuſpicãtes per ludibrium caput oſtẽtabant, nóſque cachinnis excipiebant.

Non multò pòſt duos quoque Luſitanos Barbari noſtri cepere: quos ex improuiſo in Tuguriolo luteo, in mediis ſyluis conſtructo, non procul ab Caſtello ſuo quod *Morpion* vocant, adorti fuerant. Luſitani quidem totius diei ſpatio Barbarorum impetum ſuſtinuerant, at tandem cùm eos tela cæteræque munitiones deficerent ſtrictis maioribus gladiis, quos nos ambarum manuum dicimus, in Bar-

Luſitani duo à Barbaris capti,& deuorati.

in Barbaros irruunt, ac complures cædunt, multos quoque vulnerant. Barbari contrà pertinaciter obſiſtũt, ſingulis potiùs occumbendum ducunt, quàm victoria non parta pedem referre. Itaque tãdem Luſitanos captos abducunt è quorum ſpoliis ipſe veſtes bubalinas à Barbaro emi. Vnus quoque ex interpretibus argenteam lancem emit, quam Barbari cum multa alia ſupellectile in illo tuguriolo erant deprædati, quámque, pretij ignari, cum duobus cultellis permutarunt. Porrò Barbari in ſuos pagos reuerſi Luſitanis per ludibrium barbam conuellunt, doloríſque impatientes derident, híſque verbis increpãt. Quid? vóſne qui nuper impetum noſtrum tã fortiter ſuſtinuiſtis, nunc cum mors erat fortiter obeunda muliebri eſſe animo? Ac tandem more ſolito eos immaniter mactant deuorántque.

Exempla quidem permulta de Barbarorũ crudelitate præter iſta à me poſſent afferri, niſi quæ attulimus ad horrorem cuilibet incutiendum ſufficere exiſtimarem. Verumenimuerò vt ij qui hæc tam horrenda paſſim apud Barbaros vſurpata legent, norint permulta quoque non minùs deteſtanda alibi geri, præter eam quam commemorauimus Iudæorum crudelitatem qui Traiani temporibus quadraginta hominum millibus cæſis non modò eorum carnes deuorarunt, ſed etiam ſanguine vultum obliuerunt, pelléſque induerunt: Præter etiam horrendum Ptolomæi

męi Lathuri Regis Ægypti facinus qui triginta Iudęorum millibus cæsis, captiuos occisorum carnibus vesci vi adegit, alia quoque exempla in medium afferam. Chalcondilus historia de Imperij Græci lapsu & Turcici incremento, (quod verè tragicum dixeris) scribit Turacanum vnum ex Amurati II. Legatis, Albanorum copiis instructa acie deuictis fusisque captiuos 80. immaniter trucidasse, quorum capita trũcata, in pyramidis formam coãceruari iussit, quasi partę victoriæ insigne trophæum. Amuratus verò vltra istmi angustias transducto exercitu, trecentos milites qui noctis tenebris obsecundãtibus in proximum montem confugerãt, intercludit. Illi cõmeatus inopia in deditionem venerũt honestas expectantes conditiones, At Amuratus omnes in vnum locum conuenire mandat, ac coram se iugulandos curat. Idem Amuratus, cuius nondum erat sæuitia expleta, ex omni captiuorum copia sexcentos adolescentes forma præstantes, sua emit pecunia: quos deinde patris Manibus immolat quasi peccatorum expiatio in tanta sanguinis humani profusione esset posita. Sed isthæc ludi iocíque dicantur præ sceleratissimi Mechmeti XII. Turcarum Imperatoris crudelitate, qui non modò Imperij administrationis Amurato successor fuit, sed maximè in omni immanitatis genere, immo quem in hac parte magno superauit interuallo. Vt enim omittam florentissimæ simul ac celeberrimę vr-

Lib. 5. c. 5.

Trophæum ex capitibus humanis.

Lib. 7. c. 4.

Imanitatem Amuratus immanitate cumulat.

Lib. 8. c. 6.

Cõstantinopol. expugnatio, regnante Mechmeto 12. Tur. Imp. ad 56. Cal. Iũ.

bis Constantinopoleos expugnationem,quę ipso regnante Anno salutis 1453. Ad V.Cal. Iunias contigit,qua sanguine omnia, horrore,morte,fugientibus & persequentibus, victoribus & victis repleta erant: Adeo vt cæsorum & eorum qui præ ingenti irruentium multitudine suffocati erant cumulus portarum fornices superaret: Peculiaria quædam de monstri illius crudelitate posteris mãdata recẽsebo. Viginti Albanos milites,qui Thrasia,quam ipse expugnarat,relicta,in oppidulum quoddam Phiasiæ, Rupellam nomine, sese receperant, rotario supplicio brachiis cruribúsque conquassatis semiuiuos in summo cruciatu languentes desperabundos reliquit. Insuper immanissimo illi monstro non satis erat quoscumque in oppidis aut castellis offendebat ferro cædere, prout Leontarij contigit, vbi ne vnus quidem superstes est relictus,adeo vt sex mille hominum cadauera, præter ingentem equorum & pecorum copiam, illic fuerint numerata: Sed inaudito hoc supplicij genere complures insuper affecit. Acinace peracuto singulos homines in duas partes vno ictu circa transuersum septũ diuidi iubebat, artificio barbariem omnem superante:bis enim singuli mortis persentiebant dolores. Vtraque pars per aliquod tempus præ summo quo opprimebatur cruciatu huc & illuc non sine gestibus horrendis sese volutabat. Trecenti milites in oppido Mitylene anno 1459. quo capta est vrbs illa, hoc immа-

Lib. 9. cap. 1.

Mechmeti in ipsa bruta animãtia crudelitas.

Monstrosa crudelitas. Lib 9. cap. 7. & Lib. 10. cap. 12.

immaniſſimo ſupplicij genere ſunt affecti. Quingenti quoque alij ab Omare Baſſiano Conſtantinopolim miſſi, quos in oppidulo à ſe expugnato ceperat eadem occubuerunt morte. Horum Cadauera poſtquã aliquandiu in area in qua laniati fuerant neglecta iacuerũt, bos horrẽdè mugiẽs ad ea accedit, vnámque cadaueris partẽ cornu attollit, alióq; loci cõportat, tum alterã petit priórique adiũgit. Quæ res cùm à multis perſpecta fuiſſet breui ad Mechmetum perfertur: Ille mirum in modum anxius, cadauer illud diſiungi, partéſque ſeorſim ad priſtinum locum comportari iubet. Bos inſequitur repetitis mugitibus, cadauer verò illud, inter cætera agnoſcit, denuóque cornibus ſublatum aliò aſportat. Mechmetus hoc portento vehementer commotus (ac meritò quidem) è veſtigio, cadauera ſepeliri iubet, bouẽ verò ad ſua pecuaria deducendum, ac per reliquũ vitæ tẽpus alendũ curat. Tradunt nonnulli cadauer illud à boue canibus Turcis clementiore aſportatum Veneti cuiuſdam corpus fuiſſe: alij Illyrico tribuunt. Atqui vt vt ſit (inquit Chalcondylus) hoc oſtento multum fœlicitatis genti à qua ille oriundus erat, portendebatur.

De boue qui herum mortuum agnoſcit mira hiſtoria.

Vladi verò ſæuitia humanis auribus tinnitum longè grauiorem ciebit, idcircò de ea referre vltimo loco viſum eſt. Vlando attributa Moldauia Mechmeti liberalitate in gratiam fratris cuiuſdam Vlandi quo ſceleratus

Vladi immanitas horrenda & cæterorum omniũ atrocitatem ſuperans.

Mechmetus ad nefarias libidines abutebatur, hoc primo veluti auspicio prouinciam illā administrare cœpit. Potentissimos quosque Moldauienses, ac primariæ autoritatis viros, à quibus propter authoritatem & gratiam, ne defectionem molirentur sibi metuebat, corripit, eósque non contentus est vulgari aliquo supplicio è medio tollere, sed viuos omnes palis transfixos summo cum cruciatu extinxit. Immo eorum familias ne vxoribus quidem & infantibus exceptis, eodem furore sustulit. Adeo vt breui temporis spatio triginta & eo ampliùs hominum millia ab eo trucidata fuisse à multis confirmetur. Mortuorum porrò bona & honores satellitibus suis est largitus. Mechmetus certior factus Vladū de defectione & rebellione in se cogitare, quendam suum à secretis Catabolmum nomine, natione Græcum per speciem amicitiæ ad eum mittit, eo cōsilio vt Vladum ad se blādis verbis pertraheret. Eodem quoque tempore Mechmetus ad Chamum quendam cui Valaquiam prouinciam clàm demādarat, literas dat, mandátque vt quacumque ratione vi, dolóue Vladum corriperet: eo nihil gratius sibi accidere posse significat. Hi duo communicatis consiliis Vladum intercipere conantur, Vladus verò nullo modo perturbatus confirmatis militum suorum animis, reliquis omnibus in fugam versis Chamum & Catabolmum cum quibusdam aliis viuos capit. Quos cruribus & brachiis abscissis

Libro 9. cap. 12. 13. & 16.

ſis palis viuos affixit. Chamo verò, prout eius postulabat dignitas eminẽtiorem tribuit locum. Quod ab eo hoc conſilio factum eſt, vt ſubditis ſuis terrorem incuteret , ac ne tale quid in poſterum auderent niſi idem ſupplicium ſubire vellent, anſam præriperet. Prętereà exercitum ingentem ſumma celeritate conſcripſit, Danubiúmque flumen tranſiit, atque in Mechmeti ditionem quam flumen illud alluit, magno irruit impetu, eámque eſt populatus, pagos incendit, fœminas ipſas, immò infantes, in cunis vagientes ferro cecidit. Quacũque verò iter faceret immaniſſimè ſæuiebat, & vaſtitatis vbique notas inurebat. Quibus ad Mechmetum perlatis, maximè vero nuntio de Legatorum morte crudeliſſima, ac in primis de Chamo tam atroci ſupplicio affecto, qui præcipua in aula miniſteria olim geſſerat , Mechmetum non parum commouerunt. At longè moleſtius illi fuiſſet tantam iniuriam ab infimæ ſortis homine ſibi illatam inultam relinquere. Itaque cum inſtructiſſimo exercitu valaquiam ingreſſus, & Legatorum ſuorum cadauera palis adhuc affixa conſpicatus, nouo quaſi dolore, & nouo furore fuit percitus. Cadaueribus autem illis auulſis & ſepultis, tria paſſuum millia eſt progreſſus, ac in lanienam illam incidit ab Vlado in ſubditos patratã, quæ res horrorẽ conſpicantibus mouebat. Erat enim locus aliquantulum editus, & in omnes partes apertus, duo paſſuum millia in longitudinem ob-

horrendum viſu ſpectaculum.

tinebat,latitudo mille occupabat:Innumeris rotis,palis,crucibus,furcis,cadaueribus onustus ceu sylua quædam consitus erat. Ex cadauerum facie perhorrida, cruciatus quos ante obitum pertulissent cōijcere facile erat. Laniatorum numerus ad millia viginti facinoris atrocitatem augebat.In his erant infantuli maternis adhærentes vberibus,lactantes enim suffocati fuerant. Inauspicatæ præterea aues,aerem seu nubes atra condensabāt,ac in corporum humanorum concauo vnde iam antè viscera extraxerant, nidos struebant. Quibus conspectis Mechmetus,ingenio alioqui barbaro & crudelissimo, apud se cogitans vnius homunculi,& quidem abiectissimæ conditionis, atrocitatem ac immanitatē crudelissima quęque facinora ab se patrata longo interuallo superasse, modò obmutescebat, modò misericordia quadam ducebatur, atque apud se mussitabat, mirum nō esse quod sceleratus ille subditis suis adeo formidolosus esset, quandoquidem tale facinus patrare sustinuisset: Ideóque difficillimum esse statuebat hominem ab sua ditione depellere,qui & imperio suo & subditorum obsequio tam insigniter vteretur. Mox verò collecto animo, neminem esse qui carnificem illum non contemneret arbitratur.Quinimmo Turcæ ipsi tam horrendo κοιμητηρίῳ conspecto, Vladum adeò atrocis facinoris authorem diris deuouebant. At Vladus omnibus istis neglectis, Mechmeti exercitui continuò insta-

instabat, eúmque modò in alis, modo in nouissimo agmine lacessebat, atque ita non paucos singulis diebus perimebat, damnúmque non minus equitibus ac Arapibus afferebat. Tamen (ne vlteriùs in his recensendis progrediar) ille suo tandem periculo est edoctus sæuitiam illam qua in subditos vsus erat, dum res suas egregiè stabilire volebat, multò plus detrimenti quàm commodi sibi attulisse. Nã paulatim suis à se deficientibus Mechmeto prouinciã cedere, atque in Hungariam profugere coactus est. Eò vbi appulit, ob scelera quæ mille suppliciis expiari non potuissent in vincula coniectus fuit. Quatuor hęc monstra coniuganda & quasi concathenãda duxi, vtpote quæ infernali remigio sint aptissima, Turacanum videlicet, cuius (quantumuis flagitiosissimi) nequitia penè nulla videatur si cum Amurato conferatur: Quem rursus crudelitate & sæuitia superauit Mechmetus: Omnes verò sceleratissimus & immanissimus Vladus magno post reliquit interuallo. At verò (inquies) Turcæ isti fuerunt, inhumanissimi, quos merito Brasiliensibus ἀνθρωποφάγοις immaniores dixeris.

Quare vt paulò attentius ad ea quæ apud nos geruntur animum aduertamus, quæro in primis quid à fœneratoribus & rapacibus auaris præstetur? qui sanguinẽ & medullas tot viduis, tot orphanis exugunt, ac proinde viuos deuorant, quos semel iugulasse satiùs esset quàm languentes diutiùs detinere? Annõ

Fœneratores barbaris Americanis immaniores

feritate & crudelitate Barbaros Americanos superãt? Atque hinc fit vt exclamet Propheta. Quod comedunt, caro eſt populi mei, & cutem eorum ab eis nudant, ac oſſa eorum diffringunt: diuidúntque vt quod eſt in olla, & velut carnem quæ eſt in lebete. Iam verò ſi de carnium humanarum eſu ferino prorſus & tygrino, quot quęſo, hîc apud nos reperti ſũt, cum in Italia, tum in aliis regionibus, ex iis qui Chriſtianum præ ſe ferunt nomen, qui eò immanitatis delapſi ſunt, vt ſæuitiam ſuã explere cupientes, cor iecúrque inimicorũ ſuorum deuorarint? Penes hiſtorias innumeras de rebus iſtis ſcriptas fides eſto, ſingula enim perſequi ſi cupiam tempus me deficiat. At ne in aliena inquiram, Quæ lingua, quis calamus immania facinora referat quæ in Gallia noſtra ſunt patrata? Tædet me certè, tam horrenda commemorare, Gallus enim ſum. Funeſtiſsimis bellorum ciuilium temporibus, quibus ab hinc annis xx. iuxta eorum calculum qui diligentiùs iſthæc ſunt perſecuti, decies quater centena hominum millia interierunt, inter quos quadraginta reperiuntur nobiliſsimorum virorum millia, qui vniuerſo terrarum orbi, deuincendo, vel ſaltem Gręciæ Turcarum Tyrannide tam diu oppreſſæ in libertatem aſſerendæ ſuffeciſſent. Atque vt aliquid afferam è tot in vulgus emiſsis ingentibus voluminibus, quibus prouinciarũ, locorum, vrbium, homicidarum, atque adeo trucidatorum ipſorum nomina eduntur, quę con-

Mich. 3. 3.

consultò à me omittuntur, ne ea quæ iam consenuisse videntur recrudescant: Nobilis cuiusdam viri reformatam religionem profitentis viscera auulsa fuere, ac primò per totam vrbem circumducta deinde in vrbis fossas ad sterquilinium coniecta sunt. Cor autem, & iecur, baculis affixa, instar trophęi verè Diabolici circumgestata fuere. Quin eo vsque perrupit scelesti cuiusdam rabies, vt iecinoris illius particulam cani obiecerit, canis verò homine longè humanior attingere recusauit: tum immanis herus canem nō sine blasphemis vocibus hoc sermone insequebatur, Nunquid tu quoque es Lutheranus? Alibi vir quidam insignis & de literis optimè meritus, ventre, vultúque humo pertingente, in publicam vrbis plateam pertractus, primò semiustulatus in mare deijcitur, tum extractus canibus lacerādus obijcitur. Mechmeti immanitatem superiùs meritò sumus detestati, qui vno Acinacis ictu medios homines dissecabat, duabúsque veluti mortibus mulctabat: At si istum de quo agimus dispiciamus quater eum necatum fuisse comperiemus, nam vultu ventréque terram euerrēte pertractus, quodammodo mactatus fuit, deinde vstulatus, tertiò submersus, quartò à canibus dilaniatus. Non multò clementiùs cum alio actum est cuius cerebrum lapidibus comminutum fuit, deinde in flammas coniectus est, indéque extractus, muro est appositus vt quibusuis tormentulorum displo-

Consule historiam ecclesiasticam Gallicam. Anno 1580. excusā lib. 3. pag. 374.

Canis hominibus ipsis longè humanior.

Lib. 3. pag. 383.

Tomo 2. lib. 7. pag. 356.

dentibus ſcopus eſſet. Puerpera quædam die à partu quarto de lecto deturbata & in infimos gradus deiecta fuit. Infantulum verò cui diligentiſsimè in vlnis poſito cauerat, lanij illi crudeliſſimè ei auellūt muróque allidūt, vocibúſque blaſphemis Lutheranorum progeniem eſſe extirpandam prædicabant. Cor ex cadauere iacente ab militibus ſeu potiùs furiis eductum mordebatur: illi verò mutuo ſibi illud porrigentes ſe præſagijſſe iam antè dicebāt, Hugonottum à ſe comeſtum iri. Mulieri honeſtiſſimæ, veſtibus penitus nudatæ, vbera in orbem exciſa fuere, tum patratis in eam nefandis ſceleribus, in proximum flumē deiecta eſt duabus eius filiabus tam horrendum facinus ſpectantibus. Itali quidam in religionis odium puerulum viuum in duas diſſecant partes, eiúſque iecur deuorāt. Adoleſcenti cuidam oculi pugione effoſi ſunt, tū vlmo eſt ex pedibus ſuſpenſus tormentulorúmque glandibus eſt confoſſus. Viri quatuor veram religionem profitentes carceribus noctu educti in pontem deducti ſunt, vbi primùm veſtibus omnibus exuti ſunt, tum miſerè excarnificati ſunt, ſicarij enim eos minutim concidentes per ludibrium ſeſe inuicem compellant, neſcio an brachium poſſem amputare, tum crebris ictibus alius brachiū, alius collum, alius caput contundebat, donec ſemiuiuos in ſubiectum flumen coniecerunt, at humus eorum ſanguine infecta horrorem prætereuntibus incutiebat. Carnifices verò ad

837. 400. 454. 517. 531.

ad eluendam crudelitatis suæ notam humum multa aqua perfundunt. Sed efficere non possunt quin sanguis ille continuò apud Dominum personet, qui cùm sanguinem humanum à brutis effusum reposcere non cunctetur, quid de hominibus est statuendum à quibus adeò iniustè effusus fuerit, quique hac ratione Dei imaginem violare nō dubitarint? Quidam Euangelij minister multis acceptis vulneribus, ambobus oculis effossis, tū fune pedibus alligato, huc & illuc est pertractus ac tandem palo alligatus, in struem lignorum coniectus est, atque ita viuus exustus.

Gen.9.5.6.

585.

Vt autem appareat nullius conditionis homines à tanta barbarie fuisse immunes, Quidam ex summi senatus præsidibus, senex, & venerandus, qui quidem iam pridem Religionis reformatę opinionē habebat, quam tamen (quæ erat illius timiditas) palàm professus nunquam erat, baculis primùm immaniter verberatus, ac penè mactatus est. At sicarij cum satis amplos loculos pro libidine non inuenissent, eū pecunias suas deglutiisse prætexentes capite ad pectus vsque in aquam demerso, ex pedibus suspenso, adhúcque viuo, ventrem dissecant, visceráque in flumen proiiciunt. Cor verò hastæ affigunt, perque vrbem circungestant, in hæc erumpentes verba. En vobis cor nefarij illius Hugonottorū Præsidis. Quid plura? Nunquid ex humanis auriculis frictura est confecta? Nobilis quidam adolescens glandibus scopetariis ictus,

595.
596.

pag.605.

nudúſque in dumum ſpinis conſitum conſectus eſt, atque ibi ardentiſsimis ad Deum precibus animã agit. Prouecta ætate vir pugionibus confoſſus & lapidibus obrutus, canibus obiectus eſt. Ex permultis cadaueribus viſcera extracta ſunt, ſicariis exclamantibus annon quis eſſet qui Hugonotti viſcera emere vellet. Sed, ô rem nefandam & inauditam! annon pueruli aſſati fuere? viríque viui terræ mandati? Quinetiam inuentum eſt cadauer multis confectum vulneribus ſale aſperſis. Quo nimirum ſupplicij verè diabolici genere miſer ille crudeliſsimè fuit excruciatus. Præterea ducenti vigintiquinque homines brachiis adnexo fune colligati fuerunt quaterni, & quini, nudi, oculis ad ſolẽ poſitis, atque hoc modo enſibus, ſecuribus, & pugionibus confoſsi fuere, ſtramine incenſo pudendis eorum ambuſtis. Vir pugione cõfoſſus cum ſtatim animam non ageret crebris ſecuris ictibus confeſtim mactatus fuit. Alius letali vulnere percuſſus in lecto decumbebat, huic malę ad aures vſque diſſectæ ſunt, tum in ipſo cubili iugulatus eſt.

Lib. 8 pap. 728. 717. Lib. 9 775. 777. 778. & 823. 260. 785. 795. 815.

Sed ne in iſtis hiſtoriis recenſendis quæ libris quos ad marginem adnotauimus memoriæ proditæ ſunt, æquo ſim prolixior, præſertim quum tabellis iam pridem excuſis depictæ ſint, quæ hæc præ ſe ferunt nomina, Lanienæ Vaſsiacę, Lanienæ Turonenſes, Lanienæ Cadurcorum, aliæque in Gallia noſtra patratæ: Quid quęſo, dicturi ſumus de cruenta

ta illa Tragœdia quæ initium habuit Lutetiæ die 24. Augusti, Anno 1572. qui dies D.Bartholomeo dicitur sacer, atque Gallicis in kalendariis meritissimè rubrica est adnotatus? Cuius quidẽ culpam in eos non reiicio, quos authores minimè habuit. Quámque Rex noster pacis edicto summo suo dolore actam fuisse iure declarauit. Inter cætera innumera, quæ tum per vniuersum regnum crudelissimè sunt admissa, annon cadauerum humanorũ adeps, ex Arari flumine (in quod proiecta fuerant plusquam Americana aut Turcica feritate mutilata,) extractorum Lugduni auctione publica venumdatus fuit? Nonne iecinora, corda, aliæque humanorum corporum partes ab immanissimis sicariis, quósque inferi ipsi abominantur, deuoratæ fuerunt? Nunquid Antissiodori, viri cuiusdam pij, nomine Cor-regis, atrociter excarnificati, cor in frusta concisum venale est à carnificibus expositũ, ac deinde ad prunas tostum & deuoratum? Innumera etiamnum sunt in viuis hominum millia, qui de istis ante nostra tempora inauditis cumulatissimè testabuntur. Libris quoque (vt iam dictum est,) hac de re scriptis & excusis posteris mandabuntur. Ac ne plura persequi cogar, (nam horret animus, deúmq; precor vt tanto vulneri remedium adhibeat) sæuitia cum sæuitia, immanitásque cum immanitate comparetur: tiésque aptentur tabulæ contiguæ, in quarum

Vide Comment. Gallica. & historiã nostri temporis.

Gallica immanitas cum Americana, & Turcica comparatur.

prima Barbari Americani depingantur, Clauis ſuis ligneis captiuos mactantes, fœminæ quoque cadauera, calidâ perfundentes, tum corpora fruſtatim conciſa, brachia etiam, crura, fœmora, capita *Boucano* impoſita, inter coquendum horridè contrahantur & deturpentur, ipſi denique Barbari geſtu quàm fieri poterit immaniſsimo carnes illas vorantes apponantur.

In ſecunda Turacanus tiara amictus, pyramidem ex humanis capitibus crudeliter obtruncatis conſtruens. Amuratus quoque & Mechmetus Turcarum imperatores adhibeantur: quorum prior, innumeris necatis hominibus eorum ſanguine Patris Manibus litet: Poſterior rotario afficiat ſupplicio complures milites, alióſque in duas partes vno acinacis ictu diſſecet, atque ita bis mori cogat. Addatur Vladus, qui ſubditos palis transfigat, & quidẽ magno numero, effingantur quoque rotæ & patibula, tanta copia vt ſyluam efficiant, humanis cadaueribus onuſta, infantuli ab matrum vberibus pendeant, vultu quos dolores moriendo perſenſerint, deformitate indicante: Coruis aliiſque inauſpicatis auibus circumuolantibus, atque in mediis quorum antè oculos, & viſcera deuorarint nidos conſtruentibus: Cæteráque ad rem exaggerandam adiiciantur, quæ ex deſcriptione ſuperiùs allata pictor excogitare poterit.

In tertia, furentes & rabidi Galli, naturæ

turæ leges & Principum suorum edicta violantes, qui veluti Tortores & carnifices immanissimi, homines ex pedibus suspendant, facie ad humum inuersa, ventrem ferro dissecent, viscera eximant, per vicos circumducant, & in fœdissima quælibet sterquilinia coniiciāt: Qui humana corda & iecinora verubus & longuriis transfixa circumgestent, eáque modò cruda, modò in prunis tosta vorent, immò cani deuoranda porrigant, qui horrore percitus aufugiat, taliáque monstra humanitate superet: Qui semiusta corpora humana, in mare proijciant, rursúmque extrahant, muróque applicent, ac tormenta displodentibus pro scopo proponant: Qui adipem humanum educant, venalémque instar bubuli seui exponant: Qui quorundam capita lapidibus comminuant, corporáque in flāmas coniiciant, ac postea canibus dilanianda proijciant: Qui muliebres mammas circumsecent: Qui puerperas è cubili auellant, puerulósque muris allidant, nonnullos instar nefrendis assent: Qui viris quibusdam oculos pugionibus eruant, quos arbore ex pedibus suspensos tormentulorum glandibus conficiant: Qui de media nocte nudos homines ad pontem quendam sicis dissecent, minutímque concidant, inque subiectum flumen dent præcipites: humo cruore adeo infecta, vt tortores ipsos horrore perculsos notam illam eluere oporteat: Qui Eumenidū furorem longè superantes, auriculas humanas in

ſartagine frigant, omaſorúmque inſtar comedant: Qui viuos homines ſepeliant: qui minutatim corpora concidant, vulneráque ſale aſpergant, vt grauiori cum dolore coniunctam mortem comminiſcantur: Qui complures ſimul vinctos, nudato corpore, ſoli oculis oppoſitis, gladiis, ſecuribus, pugionibus dilanient: quorum pudenda accenſo ſtramine amburant: Qui corpus ſica confoſſum nec dum exanimatum, ſecuri mactent: Qui viro, vulnere lethali accepto ac in lecto decumbente, vtramque malam ad aures vſque diffindant, eúmque inſtar ouis iugulent.

His, inquam, ita depictis, quæ minimè exaggero, ita enim geſta ſunt, immo maiori quàm quæ verbis exprimi poſſit, crudelitate: Quænam trium harum tabularum immanior & viſu magis horrenda eſt iudicanda? Nunquid hæc poſtrema? hæc vtique. Itaque non abs re quidam, cuius nomen me ignorare ſanctè affirmo, poſt Gallicam illam lanienam quam reliquas omnes omnium temporum immanitates longo interuallo ſuperare videbat, verſiculos Gallicos ſcripſit, quos ita expreſſimus.

Exulta Pharao, Neróque ſæue,
Herodéſque, & Achabe: nam furore
Gallo ſæuitia eſt ſepulta veſtra.

Immo addere poſſumus ſæuitiæ omnia quæ vnquam extiterunt exempla, ſiue apud Scy-

Scytas, aut Tartaros, siue apud alias nationes, ne excepta quidem immani Triumuiratus Romani laniena. Quapropter ne deinceps Barbarorum ἀνθρωποφάγων crudelitatem adeò abhorreamus, quandoquidem non minor, immo longè immanior apud nos passim locum habet. Illi enim feritatem in hostes suos tantum exercent: Nos verò, vt constat ex iis quæ relata sunt, cognatorum, vicinorum, propinquorum sanguine manus nostras commaculamus. Itaque monstrosissima quæque vt videamus in Americam vsque non est excurrendum. Verùm hîc forsitan Catholicus quispiam Romanus obijciat, quid? tu inuidiam omnem in nostros deriuas, de vobis autem Religiosum nomen profitentibus, ne verbum quidem. An scelerum immunes, & quasi Angeli in armis fuistis? Ego verò respondeo, quantum obseruando assequi potui, primo quidem ciuili bello ex nostris nõ paucos tales extitisse, prę sertim si cum vestrarum partium hominibus conferantur: Secundo autem non parum à pristina pietate degenerasse, ac proinde humana æquo plura perpetrasse: Tertio verò in peius ruentes, præsertim ex quo vobis admixti fuerunt, non negarim complures deploratæ spei homines in furias degenerasse. Quibus æquiores ab eo tempore minimè nos præbuimus, ac iis, aduersus quos sese bellum gerere profitebãtur, buibus tamen meliores non essent: Quod apparet vel ex ea, quam edidi, historia de fa-

Religiosi bellorum ciuiliũ in peius ruere cœperunt.

me & obſidione Sancerrana, cui ipſe interfui, Anno 1573. nec non ex iis quos in ipſo exercitu conſcripſi commentariis. Eorum itaque peccata minimè diſſimulaui, à quorum partibus ſtabam in optima cauſſa, quantumuis peſſimè acta. Atque vt hoc etiam loco teſter quanto cum dolore Galliam à ſuis alumnis ſanguine fœdatam conſpexerim, facinus narrabo cuius recordatio animũ meum ſine fremitu nunquam ſubit, adeo mẽti meæ, immanitatis illius imago adhæſit.

Noſtri oppidulum quoddam (cuius nomẽ conſultò non edo) obſedêre, oppidani rei militaris imperiti, ſeſe ad defenſionem parant, auxilium præſto ſibi affuturum rati: itaque tormenta crebrò diſplodunt, ac nõ modò milites quoſdam interficiunt, ſed etiam ex ducibus nonnullos vulnerant, Item equos præſtantiſſimos. Quæ res noſtros non parum exacerbauit. Denique cohortes aliquot ex noſtris ſub veſpertinum crepuſculum, Ducum induſtria deductæ, ac ſermone animatæ muris ſuccedunt, ſcalas admouent, conſcendunt, oppido denique quamuis munitiſſimo, fortitérque ab ciuibus propugnato, adeò vt nõ ſemel noſtros mœnia iam occupantes propulſarint, vi potiuntur: obuios quoſque ferro transfigunt, immo ne vnum quidem virum ſuperſtitem fuiſſe credo, niſi ſi qui abditiſſimis latibulis ſeſe commiſerant. Ego tum in vrbe vicina ab noſtris occupata eram. Po-

ſtridie cum quibuſdam aliis ad expugnatum illud oppidulum accedo, vt quid ibi contigiſſet viderem. Tantam nimirum ſtragem nactus ſum vt totus cohorruerim: quippe iugulatis pleriſque, locóque decliui, vndiquáque ſanguinis riuuli defluebant. Ego tā atrox facinus conſpicatus, quod tamen infectum fieri nequibat, Præfectum rogo, liceat cadauera illa terræ mandare, quod lubens conceſſit. Ruſticos duos latentes metu conſternatos magno labore inuenio, eos mortis metu eximo: tres ingentes foſſas ab iis excauari curo: vnam in Sacello, reliquas duas in hortis, pro temporis opportunitate commodis, illa enim die eò vnde migraram redeundum mihi erat. Cadauera vndiquaque ſcalis & aſſeribus impoſita ad foſſas illas cōportari iubeo. Inter mortuos ſeptem mulieres repertę ſunt tréſque pueruli. Eueſtigio Præfectum adeò, rei atrocitatem oſtendo, iuſta Dei iudicia tātam crudelitatem vltura nobis imminere expono. Ille diligenti facta inquiſitione, refert ea non conſulto ſed per imprudentiam contigiſſe, dum noctu milites oppidum ingreſſi domos intrant, lucerníſque minimè accenſis obuios quoſque trucidant, vel in ipſis cubilibus vbi permulti latitabant: veriti ne oppidani inſtauratis viribus noui quidpiā molirentur. Ego ad inſtitutum opus reuertor. Mortuorum, qui numero erant centum & quinquaginta plùs minùs, aceruo iuſto. Fœminæ viros ſuos & affines ſingulę perquirūt,

Funeſtū ſpectaculum.

Fœminæ & pueruli ab Religioſis per imprudentiam interfecti.

quarum pleræque lugentes & lachrymantes me quem ſedulò de ſepeliendis illis curam gerere videbāt, rogant liceat ſibi linteis ſuos inuoluere. Id verò per me omnibus quibus ea res erat cordi licuit. Sed (Proh, facinus indignum! atque irati in te Dei certiſſimum iudicium, miſerrima Gallia, apud quam iuſtis ſuppliciis minimè profecit, tu enim magis ac magis induruiſti.) mulier quædam ſuos inter cadauera requirit, virum primò conſpicit, vnúmque ex natis: tum alterum mox animaduertit: ſuos deinde fratres duos conſpicatur. Hæc iuſtiſſimo mœrore ac dolore (ſi quę vnquam mulier) perculſa, puerulum ſeptem annos natum quem manu tenebat his compellat verbis: Ah mi filiole, quàm verè orphanũ te homicidæ iſti effecerunt! Patrem tuum, duos fratres, duos etiam auũculos tibi hodie abſtulerunt. Quanto tum dolore perculſus fuerim quærendum minimè arbitror. Ac ne quid diſſimulē, immo quas pepererint miſerias bella noſtra ciuilia commonſtrem (hic enim eſt ſcopus meus vt agnito malo, noſtro ſaltem cauti fiamus periculo) miles quidam è noſtris legionibus (noſtrum non dicam) repertus eſt adeo humanitatis ſenſus expers, vt audita homicidarum voce quam mœſtiſſima illa mulier emiſerat, viris quinque illa cæde amiſſis quibuſcum tam arcto amoris vinculo erat coniuncta, eam confoſſurus pugioni manum admouerit. Illum ego compeſco, quæróque nunquid me agnoſcat: probè ex-

Facinus lugendum.

bè excipit. (nos enim cuilibet ſatis eramus noti, vtpote qui miniſterio noſtro in ipſo exercitu fungeremur.) Tum doceo miſerrimam illam mulierculam in tāta animi ægritudine ferēdam eſſe: Se niſi ferreus ſit, mecū gemitus illius luctibus adiungere debere, ob tam immane facinus, quod omnium noſtrū peccatis acceptum erat ferendum: Simúlque miſeri illius populi reliquias conſternatas metu conſolor, ac periculi, quo nondum liberatas ſe eſſe credebant, metu eximo. Miles verò ille ſeu ebrius, ſeu potiùs inſano aut Diabolico furore percitus, gementi illi mulieri denuo minatur. Ego verò qui amicis verbis erga immaniſſimum illum nihil profeceram, denuntio, ſi eam attingat, fore vt noſtrum alter ſepeliendorum augeat numerum. Hoc ego narraui exemplum, vt quanta confuſio noſtros quoque inuaſerit palàm faciam. Noſtrum omnium Deus miſereatur: Enimuerò ſi Gallos ob inſignem ſuam comitatem & manſuetudinem olim per vniuerſum terrarum orbem adeò celebratos inſpiciamus: eos ab auitis moribus vſque adeo degeneraſſe comperiemus, vt crudelitate vincant non modò cęteras omnes gentes, vt ſatis demōſtratum eſt à nobis, ſed & feras ipſas, Leones, Tigres, vrſos, lupos, ipſúmque adeo *Ianou-are* Americanum. Deum Opt. Max. rurſus oro vt Gallorum tot ſceleribus condonatis, faxit tandem vt ad ſanam mentem redeant.

Miles naturę affectu vacuus ac Diabolico furore percitus inter Religioſos.

CAP. XVI.

Quid nomine religionis apud Barbaros Americanos veniat: De erroribus in quos ab impostoribus, quos Caraibes *vocant inducuntur: Déque crassissima Dei ignoratione quæ apud eos obtinet.*

1. de legib.

QVAMVIS Ciceronis illud dictum, nullam esse gētem neque tam immāsuetam, neque tam feram quæ non, etiamsi ignoret qualē Deum habere deceat, habendum sciat, communi omnium calculo pro axiomate certissimo habeatur, tamen quomodo erga *Tououpinambaultios* nostros constet, non satis scio. Nam verum Deum ignorāt. Nullos quoque Deos falsos siue cœlestes siue terrestres agnoscunt, nec colunt: ac proinde locum vllum publicū in quem religionis ergò conueniant non habent. Contrà quàm ab Ethnicis olim, ac etiānum ab Idololatris nostri temporis vsurpatur. Nominatim verò ab Indis Perūanā prouinciam incolentibus, quę cum *Tououpinambaultiorum* regione est continens, ab eáque distat passibus 1000000, qui Soli & Lunę sacrificant. Mundi quoque creationem ignorant, dies nominibus non discrimināt, alium alio non præferunt: hebdomades, menses & annos non obseruant, Tempora Lunis dimetiun-

Toupin. verū & falsos Deos ignorant, mundíque creationem.

metiuntur: Scripturę, siue sacra illa sit, siue prophana, nón modò penitus sunt ignari, sed etiam Characteribus quibus animi sensa notare possint penitus carentes, Quum primò in eas terras venissem, verba & sentẽtias aliquas vt sermoni eorum assuescerem scribebam, cásque mox coràm ipsis legebam. Illi præstigias id esse rati, inuicem his verbis alij alios alloquebantur: Non mirum! istum qui heri ne vnum quidem verbum idiomatis nostri callebat, nunc vi & ope huius chartæ, quæ illum nostra eloqui docet, ita peritè ea sonare vt à nobis intelligãtur? Barbari Hispaniolam Insulam incolentes idem prorsus de hispanis qui primi ad eos accesserunt, iudicabant: Hæc sunt historiographi verba. Indi animaduertẽtes Hispanos etiam absentes, mutuò inter se colloqui literarum beneficio, credebant vel eos prophetico agi Spiritu, vel literas ipsas loqui. Quo factum est vt Barbari, veriti ne peccata innotescerent sua, ita sese in officio cõtinuerint, vt ab eo tẽpore, nec mẽtiri, nec quicquã Hispanis suffurari ausi fuerint.

Quid de scriptura sentiãt Barbari.

Hîc si quis hoc argumentum dilatare cupiat latissimus ei pateat campus tum ad scripturæ artem laudibus prosequendam, tum ad demonstrandum quanto nos Deus affecerit beneficio, nos, inquam, Europæos, Asiaticos, & Afros, præ Barbaris istis quartã orbis partem incolentibus. Illi enim mentis conceptũ nonnisi expressis vocibus exponere possunt, Nos verò scripturæ adminiculo, aliorum arcana cognoscimus, nostra verò consilia cum

Scripturę ars excellentissimum Dei donum.

eis communicamus, qui vel in remotissimis degũt terris. Ac sanè præter bonas artes quas ex libris addiscimus, (quæque Barbaris sunt ignotæ) scripturæ quoque ars inter excellentissima quibus nos Deus cumulauit dona est recensenda.

Minimè autem moror quod Socrates (vt refert Plutarchus) dicebat: Literas quas vulgus putat repertas iuuandæ memoriæ, vehemẽter illi officere. Olim enim homines si quid audissent dignum cognitu, nõ libris sed animo inscribebant: hac exercitatione confirmata memoria facilè tenebant quicquid volebant: & quod quisque sciebat habebat in promptu. Post, reperto literarum vsu, dum libris fidũt, non perinde studuerũt animo infigere quod didicerant. Ita factum est, vt neglecto memoriæ cultu, minùs viuida esset rerum cognitio, & pauciora quisque sciret: quandoquidem tantum scimus, quantum memoria tenemus. Quam ego sententiam, præsertim in Philosopho, ac Græciæ sapiente dignam iudico reprehensione. Nam & Cicero, cæteríque docti, post eum, historiam, quæ sine librorum vsu commodè contexi non potest, matrem esse temporum affirmarunt. Illud quidem verum est, Patres qui ante Mosis scriptorum omnium primi, tempora vixerũt permulta, & quidem optima, quæ non commentariis, sed menti & memoriæ mandabãtur posteris per manus tradebant. At longè tutiùs illud est factum ex quo obtinuit scriptura.

Ergo, vt ad *Tououpinambaultios* nostros

redeamus, Quoties cū illis colloquebamur, ac mentio de Deo incidebat, dicebamus nos credere in vnum Deum creatorem cœli & terræ, qui vt orbem & quæcunque in eo sunt, condidit, ita omnia pro arbitrio gubernat. Illi vbi hæc audierant, alij alios intuentes, & in hanc vocem (quæ admirationis nota ipsis familiaris est) erumpentes, *Teh!* defixi & stupefacti hærebant. Præterea, quoniam, vt suo dicemus loco, Tonitru fragore vehementer terrentur, (id *Toupan* vocant) si eorum consulentes ruditati occasionem inde arriperemus, eos edocendi, diceremúsque Deum illum esse de quo verba illis faciebamus, qui, vt suam indicaret potentiam, cœlum terrámque eo modo concuteret: illi excipiebant Deum illum à quo adeo terrerentur esse nequam. Hæc est hominum illorum miserrima conditio. At, quærat fortasse quispiam: fieríne potest, vt brutorum instar Americani sine religione viuant? Ego verò respondeo, quod iam antè attigi, perparum ab eo abesse, nec credere me gentem vllam in toto terrarum orbe esse quæ ab omni religione sit magis aliena. Attamen vt etiam exponam quantulum lucis inter densissimas tenebras quibus obcæcantur perspexerim, Affirmo eos non modò immortalitatem animarum credere: sed pro certo quoque habere, post mortem eorum animas qui virtutem coluerint (virtutem autem illi definiunt suo more, nēpe vltionem sumere de hostibus & quam plurimos mandere) pòst altissimos montes euo-

Barbari de Deo vero audientes admirabundi defixi manent.

Toupan tonitru.

Psal.29.

Americani animarum credunt immortalitatē.

lantes, patrum & auorum ſuorum animis aggregari, ibíque in amœniſsimis hortis perpetuis deliciis ac tripudiis lætum æuum agere: (Hæc eſt longa illa Socratis peregrinatio, hi Poetarum Elyſij campi) ignauorum contrà manes, qui ſine vlla propugnandæ patriæ cura inglorij vixerunt, abripi ab *Aygnan*, (ſic illi cacodæmonem vocant) & cum eo ſempiternos inter cruciatus viuere.

Ioſeph. de bello Iudai. lib. 2. cap. 7.

Conſtat etiam Eſſenios Græcorum ſententiæ ſuffragantes, olim credidiſſe bonas animas carnalibus vinculis releuatas vltra Oceanum degere, (cui furori ſi fides eſſet adhibenda, Braſilia denotaretur) vbi eis ſit repoſita perfruitio: Illic quippe eſſe regionē, quæ neque imbribus, neque niuibus, neque æſtu aggrauetur, ſed quam Oceano oriens Zephyrus, & leniter aſpirans amœnet: malis autem animabus affirmant (ſeu potiùs ſomniant) procelloſa loca & hyberna deſtinari, plena gemitibus exercēdarum ſine fine pœnarum. Cæterùm miſerrimi noſtri Barbari, in hac etiam vita miſere ab Cacodæmone torquentur. (quem alio nomine *Kaagerre* vocant) ipſe enim eos nonnunquam vidi etiam nobiſcum colloquētes protinus inſtar phreneticorum exclamantes! *Hei, hei*, opem ferte nobis, nos enim verberat *Aygnan*. Immò affirmabāt illi cacodæmonem ab ſe conſpici modò beluæ ſpecie, modò auis, modò etiam portentoſa aliqua forma. Quia autem magnopere mirabantur nos ab cacodæmone non infeſtari.

Aygnan cacodæmon Barbaros vexat.



Itaque dicentibus nobis tormẽtis illis à Deo illo nos eximi, de quo frequenter illis verba faciebamus, qui Aygnano longè ſuperior eſſet, ac ne nobis moleſtiam vllam pareret obeſſet, non ſemel contigit, vt periculo vrgẽte, ſe in Deum credituros pollicerentur, malo autem liberati promiſſionis erant immemores. At verò vt conſtet tormenta quibus infeſtantur ludicra non eſſe, ipſe eos nonnunquã vidi, malum illud recordantes adeo horrore perculſos, vt præ angore ſudantes manúque femur plaudentes, his verbis apud nos conquererentur. *Mair Atouraſſap, Acequeiey Aygnan Atoupaué.* Hoc eſt mi ſtulte, mi ſocie, Cacodæmonem præ reliquis omnibus malis reformido. Si verò quis noſtrûm contrà his eũ compellabat verbis, *Nacequeiey Aygnan*, hoc eſt ego verò Cacodæmonẽ non metuo. Tum illi ſortem ſuam deplorantes, Ah, quam nos felices eſſemus, ſi eo, ſicuti vos eſtis ab illo, tuti eſſemus! Tum nos excipiebamus, credẽdum igitur eſſet in eum qui *Aygnan* eſt potentior. At illi, vt dictum eſt, quamuis periculo præſente ſeſe id facturos pollicerentur, mox ad ingenium ſuum redibant. Antequam progrediar vlteriùs, ad ea quæ de Barbaris animam immortalem eſſe credẽtibus, addam, id quod ab Occid. Ind. hiſt. ſcriptore eſt relatum, Barbaros Cuſco vrbis accolas non modò animarum immortalitatem, ſed etiã (Præter Theologorum axioma Philoſophos omnes cæteróſque ethnicos ac Barbaros corporum

Peruẽſes Barbari, corporũ credunt reſurrectionẽ.

rum

rum resurrectionem ignorasse, immò negasse) corporum resurrectionem credere. Quæ res hoc exemplo ab illo confirmatur. Indi, inquit, cùm animaduerterent Hispanos sepulchra, vt auro, cæterísque pretiosis potirẽtur, aperientes ossa proiicere, ac dispergere rogabant ne ita dispergerentur, ne illud resurrectioni obesset: illi enim (inquit) corporum resurrectionem vt & animæ immortalitatem credunt. Alius quoque author prophanus affirmat gentem Barbaram & ethnicam eò vsque processisse vt resurrectionem crederet. Hæc sunt illius veba. Postea Cæsar Ariouistum & Germanos deuicit, qui corporis erant insolita proceritate, fortitudine non minori, fortiter enim pugnabant, mortémque contemnebant, se resurrecturos opinantes.

Hist. Gen. Ind. lib. 4. c. 124.

Vide Appianum de bello Celtico. co cap. 1.

Hæc ego ideo commemoro vt intelligãt omnes, si Athei, quorum plena hîc sunt omnia, id habent cum *Tououpinambaultys* commune, quòd sibi persuadent, & quidem portentosiùs quàm illi, nullum esse Deum, ab illis saltem discant Cacodæmones esse, qui in hac etiam vita eos excruciant, qui Deum, eiúsque potentiam inficiantur. Si verò obiiciant (quod faciunt nonnulli,) Cacodæmones aliud nihil esse quàm prauos hominum affectus, ac proinde stultè Barbaros ea imaginari quæ non sunt: Respondeo: si ea quæ à nobis verisime dicta sunt considerentur,

In Atheos.

nimirùm Americanos viſibiliter, & realiter à Cacodæmone excruciari, ex eo patere ſatis quàm ineptè cruciatus ille humanis tribuatur affectibus. Etenim quînam fieri poteſt, vt quantumuis ſint violēti, homines vſque adeò afficiant? Ea omitto quæ quotidiana hic edocet experientia, immò etiam, niſi illud eſſet coràm porcis margaritas proiicere, Dæmoniacos, quorum meminit hiſtoria Euãgelica à Chriſto ſanatos huc afferre poſsim.

Deinde quandoquidem Athei iſti indigni ſunt penitus, quibus ea proponãtur, quæ tã diſertè de animæ immortalitate ſacræ teſtantur literæ, Barbaros denuò illis noſtros opponam, à quibus, licèt obcæcatiſsimis, diſcent animâ hominem præditum eſſe, quæ nonmodò nunquàm intereat, ſed etiam à corpore ſeiuncta, vel æternæ deſtinetur beatitati, vel damnationi ſit obnoxia.

Tertiò, ad carnis reſurrectionem quod attinet, quoniam canes iſti ſibi quoque perſuadent, corpus ſemel extinctum nunquam excitatum iri: Indos Peruenſes illis oppono, qui falſa licèt ſint imbuti religione, immò non alio quàm naturæ ducantur inſtinctu, cum nefariis tamen iſtis in iudicio ſunt ſurrecturi. Verumtamen cùm ſint Cacodæmonibus ipſis peiores, (vti iam diximus) qui Apoſtolo teſte Deum vnũ eſſe credunt & horreſcunt, plus æquo illis à me tribuitur,

Iac. 2. 19.

buitur,

buitur, quando Barbaros Americanos illis pro doctoridus propono. Quapropter perditorum illorum mentionem in posterum non faciam, ſed eos iam inde ad Inferos relego vbi portentoſorum errorum ſuorum fructus promeritos percipient.

Ergo vt ad inſtitutum ſermonem meum reuertar, nimirum de eo quod religionis nomine apud Barbaros nuncupari poteſt, ſi diligenter id quod iã antè attigi perpendatur, eos nimirùm quibus alioqui maximè grata eſſet ab omnibus perturbationibus immunitas, audito tamen tonitru inuitos contremiſcere, potentiæ cuiuſdã metu, cui reſiſtere nullo modo poſsint, inde facile eſt colligere nõ ſolùm Ciceronis ſententiã à me initio allatã apud eos locum habere, verũ etiam metũ illum potentię Dei, quem agnoſcere nolunt, ἀναπολογήτους illos redditurum eſſe. Ac ſanè ex eo quòd Apoſtolus dicit Deum, qui prætẽritis temporibus ſinit omnes Gentes ſuis ipſarum viis incedere, non tamen paſſum eſſe ſe expertem teſtimonij, bona tribuendo, dando cœlitus pluuias, ac tempora fructibus edẽdis apta: patet ſatis ſolam hominum malitiam obſtare quò minùs ad Creatoris ſui notitiam perueniant. Alibi quoque dicitur Dei inuiſibilia ex creatione Mundi perſpici.

Act. 14. 17.

Rom 1. 20.

Itaque licèt Americani noſtri ore Deum non confiteantur, quandoquidem apud ſei-

psos conuincũtur aliquam esse diuinitatem:
Inde colligo eos nec excusabiles futuros, nec
ignorantiæ prætextum meritò captaturos es-
se. Verùm præter ea, quæ à me dicta sunt de
animæ immortalitate, quam ipsi credunt, de
tonitru, quem perhorrescunt, & de Caçodæ-
monibus, à quibus excruciantur: (quæ tria in
primis sunt notãda) quartum insuper addam
caput, ex quo manifestum erit tenebras den-
sissimas, quibus obruuntur, minimè efficere
vt religionis illud semen, (si modo nomen
tam augustum rei adeo obscuræ conueniat)
in illis non pullulet, aut penitus extinguatur.


Caraibes pseudoprophetæ.

Igitur vt narrationem ipsam ordiar, in pri-
mis tenendum est Prophetas, seu sacerdotes
quosdam apud eos esse, quos ipsi *Caraibes*,
qui vicatim commeantes miseris illis persua-
dent, se (quod cum Spiritibus commercium
habeant) quibuscunque visum fuerit fortitu-
dinem impertiri, qua bello hostes superẽtur,
sed etiam sua ope fructus omnes, crassásque
illas radices enasci, quas Americanum solum
producere diximus. Præterea (quantum à
Neustriis interpretibus accepi, qui multos ã
annos in illis terris vixerant) *Toüoupinam-
baultys* id moris est, vt tertio, vel quarto quo-
que anno frequentissimi conueniant. Cui
conuentui ex inopinato vt mox dicam ipse
interfui. De quo quæ sequuntur referenda
habeo. Ego, cum Gallo quodam nomine Ia-
cobo Ruffo, atque etiam interprete quodam
Neu

Narratio de maxima Barbarorum celebratione.

Neustrio peregrè profecti, in vico quodam diuertimus: postridie illius diei ad iter nos summo manè accingebamus, cùm vndiquaque confluentes accolas conspicimus. Vici verò illius incolæ aduenientibus sese adiunxerunt, ac mox sexcentenos in area quadam aggregatos videmus. Nos conuentus illius causam sciscitamur: consistimus: sciscitantes turbam illam in tres diuidi partes videmus. Viri omnes in casam quandam se recipiunt, fœminæ in alteram, pueri quoque in tertiam confugiunt. Ego, qui *Caraibes* aliquot viris permixtos videram, insolitum quid ab illis factum iri suspicans ab comitibus meis efflagito, vt mecum rem totam obseruaturi illic consistant: quod ab illis impetraui. *Caraibes* antequam fœminas & pueros dimitterent summa cautione prohibuerunt ne è casis suis egrederentur, sed diligenter ad cantum attẽderent, nobis quoque indicũt vt in ea in qua erant mulieres casa delitesceremus. Nos qui ientaculo intenti eramus, atque eorum quæ acturi erant ignari, murmur quoddam submissum è casa, in quam viri secesserant erumpens exaudimus (casa porrò illa à nostra triginta fermè passibus distabat) mulieres quæ numero erant 200. stantes, auresque arrigentes in vnum veluti aceruum sese glomerant. Viris verò vocem paulatim attollentibus, adeò vt eorum distinctæ voces à nobis exaudirentur hortantium istam interiectionem identidem repetentium,

Barbarorum modulatio.



mox mulieres tremula voce eandem illam interiectionem recinentes audimus, *He, he, he*, &c. Vocem verò tantâ animi cõtentione sustulerunt, idque toto quadrantis horę spatio, vt nos spectatores in admirationem rapuerint. Ac sanè illæ non modo horrendum vlulabant, sed etiam magno impetu prosiliebant, mammásque suas concutiebant, spumámque ore emittebant, immo nonnullæ (non absimili ab iis modo qui comitiali morbo conflictantur (exanimes procidebant. Quo fit vt credam Cacodęmonem corpus illarum inuasisse, eásque dæmoniacas repentè factas fuisse. Præterea perspectis iis, quæ à Bodino libro cui Dæmonomaniæ nomen fecit de veneficarum exstasi, quam asserit veneficis omnibus quæ cum Cacodęmone expressum fœdus pepigerunt, familiarem esse, quæque nonnunquam spiritu rapiũtur, corpore sensus omnis experte remanẽte, quamuis etiam & corpore & animo nonnunquam rapiantur. Adde (inquit ille) quod nusquam conueniunt quin choreas agant, inter quas quantum ex veneficarum quarundam confessione elicere potuit, conclamant omnes. *Har, har* (quòd optimè cum *He, he*, Americanarum nostrarum conuenit,) *Dæmon, huc salta, illuc salta*: Aliæ verò respondent, *Sabbath, Sabbath*, hoc est festum, seu quietis diem, ma-

Vlulatus gestúsque horrendi fœminarũ Amer.

Lib. 3. cap. 3.

Lib. 2. cap. 3. & lib. 3. cap. 1.

nus, ſcopáſque, quas in manibus habent attollentes, vt certiſſimum lętitię edãt ſignum, ſéque ex animo Dæmoni ſeruire ſignificent. atque adeò vt adorationem Deo debitã imitentur. Nam in Lege diuina Iſraelitis præſcriptum erat, vt ad Dominum manus attollerent, ac coram ipſo ſeſe exhilararent. His inquam perſpectis colligo Satanam vtrarumque Dominum eſſe: eáſque eodem duci ſpiritu, nec locorum interuallum obſtare quo minùs pater ille mendaciorum hîc & illic in eos agat, qui ſibi iuſto Dei iudicio traditi ſunt. Pueros conſimiliter conclamantes cùm audiſſem (etiam ſi iam per ſemiannum cum Barbaris egeram, ac penè eorum moribus aſſuefactus eram,) tamen, ne quid diſſimulem, nonnihil tum timui, præſertim quum quis rei illius exitus eſſet futurus ignorarem, tandem quum clamoribus illis finis eſt impoſitus, viris aliquantulum ſilentibus, pueris quoque & fœminis penitus tacentibus, mox viri tam ſuauiter, tantáque cum harmonia cantare cœperunt vt miro eos videndi tenerer deſiderio. Sed cùm è caſa illa exire vellẽ, & à mulieribus detinebar, & ab Interprete admonebar, ſe (qui ſeptem iam annos apud Barbaros exegiſſet) ad ſolennia illa accedere nunquam auſum fuiſſe, deníque ſi accederem non ſatis prudenter me facturum. Quibus effecit vt periculi metu pauliſper hæſerim, attamen, quoniam ille probabilem nullam rei illius cauſam afferebãt, fœminis & inter-

Deut. 12. 6. 7.

Americanæ mulieres eodem cum veneficis noſtratibus ducuntur ſpiritu.

prete nonnihil reluctantibus, egressus sum: vetulorum quorundam vici illius incolarum amicitia fretus. Accedens igitur ad eum locum in quo concentum illum audiebam, ego vt commodiùs quid intus fieret perspicerem, casæ tectum manu perforaui. Sunt enim oblongæ ac rotundæ in morem pergularum hortensium nostratium, herbísque à summo ad imum contectæ. Inde comites meos digito innuens aduoco, ac tandem in casam illam ingredimur. Barbaros vt vidimus præsentia nostra non commoueri, (quod futurum suspicabatur Interpres) immò ordines optimè seruare, ac versus suos persequi: in angulum quoddam secessimus, ac otiosè eos contemplati sumus. Atque vt id exequar quod pollicitus sum superiùs, descripturum me esse alterũ chorearum genus: Hi sunt eorum inter saltandum gestus. In orbem dispositi erant, sibi mutuò adhærentes: manus tamen sic mutuò non apprehendebant proni, corpore nõnihil inclinato, alteram tãtum è tibiis, nimirum dextram, succutientes, manu dextera clunibus imposita, sinistra verò pendula, atque hoc habitu & cantilabãt, & tripudiabãt. Tres istiusmodi orbes vniuersa illa multitudo constituebat, in quibus mediis terni erant aut quaterni *Caraibes*, pileis, vestibus, atque armillis plumaceis ornati. Eorum singuli vtraque manu *Maraca* gestabant, hoc est crepitaculum illud è fructu struthiocameli

Quæ sit casarũ Americ. forma.

Barbarorum in orbem Saltantium gestus.

Caraibes Maraca consecrantes.


ouum

cuum magnitudine ſuperante, cuius iam antè facta eſt mentio, in eum inquiebant vſum, vt ex illis Spiritus loqueretur: atque vt ea ritè conſecrarent continuò concutiebant. Hos eo habitu commodiſſimè conferre poſſum cum circulatoribus papiſticis, qui ementita diuorum Antonij, & Bernardi fercula, aliáque idololatriæ inſtrumenta circunferentes miſeræ plebeculæ imponunt. Porrò typo, quem ſubiecimus & tripudiatorem, & *Caraibem Maraca* quatientem oculis conſpiciendum præbemus.



Inſuper *Caraibes* illi ſaltantes modò progrediebantur, modò regrediebantur, nec continuò vt cæteri in eodem loco fixi manebant. Prȩterea obſeruaui eos frequenter cãnâ prælonga, cui *Petum* herbam accenſam imponebant, huc & illuc ſeſe conuertiſſe, ac herbæ illius fumum in circunſtantes exſuflaſſe cum his verbis. Accipite omnes Spiritum fortitudinis quo hoſtes veſtros ſuperetis. Id verò ab *Caraibibus* iſtis ſæpius eſt factitatum. Rituum iſtorum celebratio in duas horas producta eſt: viris illis continuò ſaltantibus, & cantillantibus. Concentus verò eorum adeò ſuauis erat, vt inexpertis vix ſit credibile quàm optimè ſymphonia illa quadret, præſertim cùm Barbari muſicȩ artis penitus ſint ignari. Ac ſanè cùm initiò aliquo fuiſſẽ perculſus metu, vt nuper commemoraui, contrà tunc tanta fui lætitia perfuſus, vt non modò extra me raptus fuerim: ſed nunc etiam quoties mihi in mentem venit concentus ille & exultat animus, & eo aures continuò perſonare videntur, præſertim verò rithmi epodiũ gratum auribus ſonum exhibebat, quod poſt ſingulos verſus ad hunc modum modulabantur.

Caraibes Barbaros exſuflantes.



Modulationi illi finem impoſituri pede dextero vehementiùs quàm antea humum quatientes ſinguli quoque ſputum emiſerunt, at-

que omnes vna voce, eâque rauca, hunc crebrò repetitum modulabantur cantum.



Tum ego qui, quòd eorum linguam nondum planè callerem, non pauca eorum quæ ab illis fuerant dicta non ceperam, Interpretem rogo vt ea mihi explicare velit. Ille mihi ſignificat iſtos primùm quidem auos vita functos, qui fortiſsimi fuerant, luxiſſe, tandẽ verò conſolationem ex eo cepiſſe quòd ſperarent futurum vt illos tandem poſt montes adirent, ac cum illis tripudiarent & hilaria celebrarent: deinde grauiſsimè *Ouetacatibus* (populi ſunt non multùm ab eis remoti, quibuſcum inimicitias perpetuas gerunt, quos etiam ſuperare nunquam potuerunt.) interminatos eſſe, ac prædixiſſe futurum vt breui caperentur ac deuorarentur, prout ab *Caraibibus* ominatum erat. Inſuper neſcio quid cantionibus ſuis interſeruiſſe de diluuio aquas olim adeò exundaſſe, vt vniuerſam terrã operuerint: atque illa inundatione homines omnes fuiſſe extinctos exceptis demũ maioribus ſuis, qui præaltas arbores cõſcenderant. Quod poſtremum proximè ad ſacram accedit hiſtoriam & ab illis aliâs non ſemel audiui. Veriſimile eſt autem illos de Diluuio quod Noachi temporibus contigit aliquid audiuiſſe, ac poſteà (quæ eſt hominum in veritate obſcuranda procliuitas, adde quod vt nuper

Confuſa Barbarorum opinio de diluuio.

nuper attigi, omni carent scripturæ genere, ac proinde difficile est illis res vetustate obsitas ab mendacio sartas tectas conseruare) fabulam illam confinxisse, Proauos nimirùm suos proceris arboribus conscensis saluti con suluisse.

Sed ad *Caraibes* nostros redeamus. Illi eo die ab Barbaris lautè excepti fuere, nam & cibis exquisitissimis, & largo potu *Cauoin* liberaliter fuerunt tractati. Ego quoque cum sociis meis qui inopinato Bacchanalibus illis interfueramus à *Moussacat* nostris, hoc est patribusfamiliâs, qui victum hospitibus præbent, lautissmè fuimus excepti. Præter ea autem quæ à me dicta sunt diebus illis (quibus hæc solennia tertio quoque anno celebrantur apud *Tououpinambaultsos*) exactis, aliquando quoque antequam aduenerint, *Caraibes* illi vicatim circumeunt, plumis præstantissimis in singulis familiis iubent ornari tria quatuórue illa crepitacula quæ *Maraca* nominãt: quibus ita ornatis, longiorem baculi quo transfiguntur partem humi defigunt, tum cibum potúmque eis apponi iubent. Quo fit vt miseri illi ex impostorum illorum persuasione credant fructus illos excauatos atque ad illum modum ornatos, cibos absumere. Quare singuli *Moussacat* diligenter eis apponunt non modò farinam cum carnibus & piscibus: verùm etiã *Caouin*. Quinimmò *Maraca* illis in terrã ita defixis totos dies quindecim summa cum diligentia

Maraca Apparatus.

Crassa superstitio.

ministrant. Denique miseri illi post fascinationem illam tantam de *Maraca* illis (quæ continuò manu gestāt) opinionem induunt, vt sanctitatem illis tribuentes, affirmēt dum ab se concutiuntur spiritum quendam secum è mediis illis colloqui. Adeò autem erāt præstigiis illis fascinati, vt si nos illac iter facientes conspectis delicatioribus quibusdā cibis quos *Maraca* suis apposuissent, edendos accipiebamus, (quod sæpe factum est à nobis) Barbari magnum aliquod infortunium inde nobis euenturum rati, non minùs offendebantur, ac solent superstitiosi, ac Baalis sacerdotum successores, si libationes idolis suis oblatas abripi videant: Quibus tamen in Dei contumeliam tum ipsi, tum meretrices cum spuriis suis aluntur. Præterea si ex eo arrepta detegendi eorum errores occasione, significaremus se ab *Caraibibus* decipi non modò in eo quod *Maraca* edere ac bibere docerent, sed præsertim in eo quod falsissimè iactarent sua opera, fructus & radices crassas quibus vescerētur, nasci: quod soli Deo in quem crederemus esset acceptum ferendum: hęc inquam tanti erant apud eos momenti, ac si quis hîc in Papam obloquatur, vel Lutetiæ Genouefæ ferculum pluuiam ciere negarit. Quam ob causam impostores illi *Caraibes* non minore nos prosequebantur odio, atque olim Baalis pseudoprophetæ Eliam suas præstigias detegentem. Ac proinde conspectum nostrum fugiebant. Cæterùm licet *Tououpinambaultij* nostri,

Crassissimus error.

1. Reg. 18. 19.

Veritas mendaciū fugat.

nostri, vt à me initio huius Capitis est dictũ, externo ritu nullo, immò ne adgeniculatione *Caraibes* suos nec *Maraca*, nec rem vllam creatam colant, multò minùs adorant, vel inuocant. Exemplum subiiciam earum quas in illis obseruaui religionis reliquiarum. Cùm forte aliquando cum aliis Gallis aliquot in quodam pago essent (*Ocarentim* ipsi nominãt) & in aperto ac propatulo coenaremus, confluentes Barbari eius vici incolæ, nostri contemplandi non conuiuandi gratiâ (nam hoc de more habent, vt cum iis quos maximè colunt nusquam conuiuentur) maiores natu præsertim, cum multis beneuolentiæ signis nos tanquam stipatores nostri circunstabãt. è naribus piscis cuiusdam os longitudine trium quatuorue pedum, in serræ formam, præ manibus habentes pueros à nobis arcebant his verbis: Procul este, nebulones: estis enim indigni qui ad viros istos accedatis. Nos verò ne minimo quidem verbo dicentes interfati, attentè & tacitè intuebantur. Donec peracto conuiuio magno natu quidam quum obseruasset nos à precibus cibum auspicatos, precibus cibum auspicatos, precibus quoque cœnam clausisse, accedẽs ita infit. Quid sibi vult hic ritus, quo vos modò vsi estis cùm sublatis pileis omnes præter vnum qui loqueretur silentium tenuistis? ad quem pertinebat ea oratio quam ille habuit? Vestrûmne præsentium ad aliquẽ, an ad ab-

Vetuli Barbari quomodo Gallos excipiant.

sentium? ibi ego opportunè oblatam eam occasionem arripiens, vt apud eos de vero Dei cultu loquerer: cùm præter eius pagi amplitudinem & frequentiam, Barbaros etiam solito attentiores animaduerterem: rogare Interpretem nostrum vt suis verbis meum illis sermonem quoad capere ipsi possent explicaret. Tum à quæstione senis exorsus, preces nostras ad Deum dirigi respōdi: eúmque, etsi sub ipsius aspectum non caderet, non tantùm liquidè audiuisse nos, sed etiã quidquid pectore occultum haberemus, id perspicuè cognoscere. Inde ad creationem mundi delapsus, in primis laboraui, vt docerem: hominē nobilissimum inter creaturas à Deo esse conditum, vt eo magis celebrandæ opificis sui gloriæ studeat. Ac nos quidem quòd ipsum coleremus eius manu infinitis periculis longissimæ nauigationis in tam vasto mari eripi, eiusdémque ope fretos ab omni *Aignan* metu tum in hac, tum in ventura vita esse liberos. Quare si *Caraibum* suorum imposturas, & Barbarum deuorandæ humanæ carnis morem abiicere vellent, eadē prorsus Dei dona consequuturos, quæ nos habere cernerent. Multa præterea de humani generis labe ac ruina, vt eorũ animos ad Christũ præpararemus subiecimus, quoad eius fieri potuit accommodatis ad eorum captum rationibus & exemplis: (prout legimus à Paulo & Barnaba factum, qui Listrenses ab idololatria ad

verum

Occasio veri Dei annuntiandi Barbaris.

Act. 14. 15.

verum Dei cultum reuocaturi docebant, vt à vanis rebus, quibus dediti erant ad Deum viuum conuerterentur qui, fecit cœlum & terram & omnia quæ in eis sunt) quæ in præsens fusiùs persequi supersedeo. Illi quum nos ingenti cum admiratione duas amplius horas perattentè auscultassent: tum vnus ex iis authoritate & ætate grauis, in hũc modum disseruit: Mira, equidem, optima & nobis non antè audita, hîc dixistis, Ac vestra quidẽ oratio mihi in memoriã redigit, quæ nobis sæpe auos nostros narrantes audiuimus: Nempe iam inde à priscis temporibus, & tã multis ab hinc Lunis quot iam meminisse non possumus (quippe illi Lunarum numero aut vicibus, non mensibus atque annis, temporũ spatia definiunt) venisse in has terras quendam *Mair*, (id est Gallum seu qualibet alia è gente aduenam) vestro more vestitum & barbatum. Atque eum, vt ipsos sub Dei vestri obsequium duceret, eadem oratione apud eos esse vsum qua nos hodie affamini. Sed, vt nobis quoque à Patribus per manus traditum est, eos illius verbis fidem adhibere noluisse. Itaque mox successisse alium, qui Ensem, symbolum maledictionis, illis traderet. Inde sequuta inter nos bella, neque ex eo mutuis cædibus alij in alios sæuire destitimus. Nunc verò postquam diuturno vsu his assueuimus, si nunc repentè auitum morem exueremus,

Barbari de vero Deo sermonem audientes obstupescunt.

Notatu dignissima Barbari narratio.

apud vicinas gentes ludibrio & derisui essemus.

Hîc nos summa contentione ac vehemẽtia testari, tantum abesse, vt finitimorum ludibriis moueri oporteret, vt cõtrà, si summum illum & cœli & terræ opificem seriò colerent, de omnibus, qui ob id vltrò molesti essent, victoriam referrent. Postremò eam verbis nostris efficaciam addidit Dominus, vt non multi tantùm Barbarorum, ad eam quã ex nobis didicissent legem, deinceps vitam composituros, nec cæsorum hostium carnes vltrà esturos, se promitterent: sed secundum hoc Colloquium, positis humi genibus, nobiscum Deo gratias agerent. Ea oratio quæ ab vno è nostris clara voce in medio eorum cœtu ad Deum concepta fuerat, mox illis per interpretem exposita est: nos ab illis in pensilia è bombyce cubilia, dormitum deducimur: Sed nondum somnus nos corripuerat, quum ecce istos cantantes, & conclamantes audimus. Sumendam de hostibus vltionem, & plures quàm antea esse mandendos. En inconstantiã miseri huius populi, & humanæ naturæ triste exemplar.. Mihi tamen equidem persuadeo, si Villagagno nunquam à vera Religione desciuisset, & nos diutiùs in illis terris morati essemus, fore vt aliqui tandem Christo lucrifierent.

Barbari Dei cultui adhęrere pollicentur precibúsque intersunt.

Id mihi ab illo tempore non semel in mẽtem venit quod dixerat ille à maioribus sibi per

per manus traditum fuiſſe, *Mair* quendam, hoc eſt noſtratem hominem, (neque enim Gallúſne fuerit an Germanus multum laboro) ad ſe deuectum, verum ſibi Deum annuntiaſſe: Ac quærere apud me cœpi an non ex Apoſtolis quendam innuant. Ac ſanè, quamuis eos libros meo calculo comprobare nolo, qui præter Dei verbum de Apoſtolorum peregrinationibus mira narrant, Nicephorus de Diuo Matthæo agens, ſcribit illum apud Cannibalas Euangelium prædicaſſe, qui & ἀνθρωπόφαγοι ſunt, nec multum ab Tououpinambaultiis diſtant. Sed multò magis mouet me Diui Pauli, quem ex pſalmo 19. deſumpſit locus, In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum, quod à doctis quibuſdam interpretibus ad Apoſtolos refertur. At enim quandoquidem cõſtat Apoſtolos in remotiſſimas vſque orbis partes penetraſſe, quid incommodi ex eo conſequetur, ſi aſſeramus vnum aut plures Apoſtolos in Americam commeaſſe? Faceret illud quoque ad generaliſſimam expoſitionem, quam nonnulli afferri volunt dicto illi Chriſti, fore vt prædicetur Euãgelium regni in vniuerſa terra. Quod tamen præciſe de Apoſtolorum ætate affirmare nolim. Confirmo tamen (quod à me iam initiò eſt dictum) me noſtra memoria Euangelium apud Antipodas annuntiatum vidiſſe & auidiſſe. Itaque & obiectio ſoluetur quæ illi loco fieri ſolebat, & Barbari in extremo die magis

Lib.2 cap. 41.

Rom.10 18.

Mat.24.14.

Euangelium noſtra ætate apud antipodas annuntiatum.

fient ἀναποχόγητοι: Ad reliquum verò Americanorum sermonem quod attinet, quo affirmant maioribus suis recta docenti & monenti obsequentes se præbere recusantibus, gladium datum fuisse, quo etiam nunc se mutuò trucidant: non alienum ab eo videtur, id quod est in Apocalypsi equo rufo insidenti datum fuisse vt tolleret pacem è terra, vt alij alios mactarent, datúmque fuisse ei gladium magnum. Hæc sunt ipsa Ioannis verba, quæ, quo ad literam (vt loquũtur) ad *Tououpinambaultiorum* nostrorum sermonem proximè accedunt: Attamen, ne sententiam detorquere, néue longiùs petita afferre videar, locum hunc aliis applicandum relinquam.

Cap. 6. 4.

Interim alterum succurrit exemplum, ex quo patet Barbaros illos Brasilienses, si modò diligenter docerentur, satis dociles esse, vt ad veram Dei cognitionem perueniãt. Exemplum illud hoc loco inseram. Ego cibariorũ parandorum causa, in continentem transductus, cum Barbaris duobus *Tououpinambaultys* ac tertiò *Oueanen* (quæ gens est *Tououpinambaultys* fœdere iuncta) qui cum vxore amicos inuiserat, atque tum domum redibat. Cum his tribus iter per syluam faciens, noua arborum herbarúmque specie, simul canoro auium concentu, ad prædicandas Dei laudes imitatus, totum psalmum 104. alta voce cecini. Tres illi mei comites adeo cantu (neque enim verba capiebant) sunt delectati, vt *Oueanen* ille finito psalmo vultu maximè hilari

Nota sermonis seriem & quæstiones Barbari.

lari

lari his me compellarit verbis. Tu ſanè ſua-
uiſsimè ceciniſti. ac tuus cantus mihi in me-
moriam reuocauit gentis cuiuſdam, quæ &
vicina eſt nobis & ſocia modulationem: Quo
nõ mediocri affectus ſum lætitia. At (inquit)
illius verba capimus, tua verò minimè: Quę-
ſo igitur vt quidnam id ſibi velit quod ceci-
niſti nobis exponas. Ego, tum quantũ po-
tui copioſè (ſolus enim tum Gallus cum illis
eram, duo verò me in proximo vico oppe-
riebantur) expoſui me in genere Deum cele-
braſſe, ob rerum conditarum pulchritudinẽ,
ac earum adminiſtrationem: Speciatim verò
id illi à me tributum fuiſſe, quod ſolus homi
nes cæteráque animantia alat, quódque ar-
bores ac plantas, quæ in vniuerſo ſunt ter-
rarum orbe eius vi ac potentia enaſcantur.
Cantionem porrò illam iam olim ante de-
cem Lunarum millia (quæ ſola eſt illis tem-
porum diſtinctio) à Dei illius mei Spiritu di
ctatam fuiſſe, atque ab Propheta ex noſtris
ſummo cantatam, & poſteris in eundẽ vſum
traditam. At hæc Barbari, (prout ſunt ad ea
quæ dicuntur attentiſsimi, & cœptum ſer-
monem minimè abrumpunt) hunc meum
ſermonem, quem in ſemihoram produxe-
ram auidè excipientes ingenti cum admira-
tione in exclamationem hanc eruperunt.
The! quàm vos *Mair* (ſic illi Gallos appel-
lant) fœlices eſtis, qui tot arcana ſciatis quæ
nobis miſeris occulta ſunt! Inde ex illis qui-
dam vt mihi gratularetur animalculũ *Agoti*,

Barbari ſuã agnoſcunt obcæcatio-nem.

quem gerebat,(de quo Ca.10.)ita me cõpellans dono dedit. En tibi quia suauiter acciuisti.hãc ego digressionẽ haud grauatè adiunxi, vt docerem Barbaros Americanos quantumuis in hostes ferocissimos,non adeo esse agrestes vt ea quæ audiunt cum iudicio non discernant. Immò ausim affirmare illos sermonibus texendis aptiores esse quàm sint rustici nostrates,atque adeo ex illis permulti,qui vel magnificè de se sentiunt.

Iam superest vt quæstionem expediam, quæ hinc oritur, vnde nam Barbari Americani genus duxerint.Ego verò primùm assero quidem eos ex vno filiorum Noachi originem traxisse, sed à quo non ita constare: Quòd neque ex sacra historia,neque ex profana confirmari possit. Constat quidem Mosem,vbi de Iapheti filiis verba facit,eos Insularum incolas fuisse asserere, sed quia omnes in eo consentiunt, quòd eo loco Moses Greciam,Galliam,& Italiam designet, quas regiones,quod interiectum sit mare, insulas appellat,minimè consentaneum est illud ad Americam referre. Neminem quoque credo assensurum si dicantur à Semo oriundi à quo Iudæi & semen benedictum: licèt ipsi quoque vsque adeo fuerint deprauati vt eos tandem meritissimè, reiecerit Deus. Itaque quandoquidem illi earum rerũ penitus sunt ignari,quæ ad salutem æternã spectant, (quã in solo Christo sumus adepti,) sintque gens (si quæ alia)à Deo maledicta & derelicta:etsi

Vndénam originẽ traxerint Barbari.

Gen.10.5.

ad

ad hanc vitã quod attinet iam demonstraui atq; demõstrabo etiã deinceps, eos de rebus istis caducis non admodũ solicitos esse, quo fit vt vitam hilarem ac ferme curis vacuam transigant, contra quàm faciunt nostrates non pauci, terrenis istis adeo inhiantes, vt veriùs languere quàm viuere dicãtur) probabiliùs esse videtur eos à Chamo originem trahere. Quam sententiam hac coniectura, verisimillima confirmo. Cùm Iosue iuxta promissiones Patriarchis factas mandatúmque sibi peculiariter datum, in terram Chanaan ingrederetur, testatur Scriptura, tãtum terrorem irruisse super illius terræ incolas, vt diffluxerint metu Israelitarum: vnde etiam fieri potuit (quod aliorum pace dixerim) vt Americanorum nostrorum Maiores, Israelitarum conspectum fugientes mari se commiserint, ac tandem in terram Americam appulerint. Quinetiam Gomara, historiæ Indicæ scriptor, vir eruditus, existimat Peruenses, (quorum terra Americæ est continens) à Chamo originem ducere, ac maledictionis diuinæ in Chamum heredes esse. Quod mihi in mentem venerat & in commentarios retuleram, annis 16. antequam Gomaræ libros conspexissem. Huic quoque sententiæ id suffragari videtur, quod in Sapientiæ libro scriptum extat, cap. 12. ver. 4. 5. Antiquos habitatores terræ sanctæ, viscera comedisse humanarum carnium. Attamen quia multa aduersus isthæc afferri possunt, prout multos in ob

Americani feliciter hãc transigunt vitam.

Iosu. 2. 9.

Lib. 5. c. 217.

iectionibus afferendis laboraſſe ſcio, nihil mihi hac de re ſtatuendum exiſtimo. Ergo fruatur vnoſquiſque ſua ſententia, vt vt ſit, ego pro mea parte, certiſſimò ſcio eos homines eſſe, ex Adami corrupto ſemine prognatos, ac tantum abeſt vt eorum in diuinis rebus ἀναισθησίᾳ perſpecta, fides mea, quæ aliũde, per Dei gratiam firmatur, concuſſa aut labefactata fuerit, multò minùs, vt inde, Atheorum & Epicureorum more, aut nullum eſſe numẽ, aut ſi quod ſit rerum humanarum curam abieciſſe cõcluſerim: Cùm potiùs agnito in illis maximo diſcrimine quod eſt inter eos qui Spiritu Sancto & Sacrarum literarum lumine ſunt illuſtrati, & alios qui cæcitati ſuæ ac reprobo ſenſui ſunt traditi, magis ac magis fuerim in amplexanda cœleſti veritate confirmatus.

CAP. XVII.

De coniugio, polygamia, & conſanguinitatis gradibus quos Barbari obſeruant: déque liberorum apud eoſdem educatione.

Conſanguinitatis gradus.

IN coniugiis hi tantum obſeruantur conſanguinitatis gradus: Nemo eorum matrem, ſororem, vel filiam in vxorem ducit: reliquorũ ratio nulla habetur: patruus neptem ducit, atque ita deinceps. Tamen, vt infrà dicetur in

Collo-

Colloquio Americano, nemo filiam aut sororem sui *Atourassap* matrimonio sibi iungere potest. Is autẽ *Atourassap* dicitur, cuius tanta est cum quodam necessitudo, vt bona inter vtrumque sint communia. Ritibus verò seu ceremoniis nullus est locus. Qui viduã aut virginem cupit, comperta amatæ voluntate parentes, aut si desint, propinquos adit, rogátque num filiam suã sibi nubere velint? Si annuant, eam continuò domum deducit, nullo conscripto dotali instrumento (perscriptoribus enim apud Barbaros nullus est locus) atque pro legitima vxore habet. Si vero repulsam patiatur, absque vlla animi perturbatione, cœpto desistit. Sed notandum est polygamiam apud eos in vsu esse, ac proinde cuilibet viro tot vxores ducere, quot visum fuerit licere. Immo quò plures quis habuerit, eò fortiorem & generosiorem censeri. Inter cæteros quendam vidi qui octo Domi haberet, atque de illis non rarò permulta in sui commendationem prædicaret. Id verò est maximè mirandum quòd in tãta vxorum multitudine, licet vna præ cæteris à viro diligatur, cæteræ nusquam illud ægrè ferãt, aut Zelotypia ducãtur, aut apertè mussitent. Itaque tranquillissimè & maximè concorditer viuunt, sua xylina cubilia texentes, rem familiarem curantes, hortos construentes, radices plantantes. Dispiciant verò omnes, annon (etiamsi polygamia à Deo non esset prohi-

Polygamia.

Cõcordia inter Americ. mulieres admiranda.

bita) inter mulieres nostrates tam bene conuenire posset. Meliùs sanè cum quouis ageretur si ad triremes demãdaretur, quàm vt tãto rixarum inuolucro implicaretur. Huius rei testis est Iacobi Sancti Patriarchæ anxietas, ductis Lea & Rachel quantũuis sororib⁹. Qui verò fieri posset vt nostrates mulieres plures vnà simul viuerent? vt vna illa quæ à Deo in adiutorium viro data est non rarò instar mali cuiusdam genij domestici eum vexet? Attamen non eo hæc à me dicuntur animo, quasi eas insimulare velim quæ sese in officio continent, hoc est, obsequium cultúmque viris debitum exhibent: quin immò has quæ sibi hac ratione laudem conciliant, tanto magis laudandas, quam reliquas vituperãdas existimo. Atqui, vt ad institutum de Americanorum coniugiis sermonem reuertar, sciẽdum est adulteras mulieres adeo Barbaros abominari, vt sola naturæ lege ducti, hęc obseruent, in viri sitam esse potestate adulterã, vel mactare, vel saltem summa cum ignominia & opprobrio dimittere. Hoc quidem verum est eos de innuptarum pudicitia conseruanda non admodum sollicitos esse: immò facilè cuiuis eas prostituere. Ita vt (quod iam à nobis est dictum) permultas in variis pagis ab Neustriis Interpretibus compressas viderim, quibus tamen nulla ob eam rem ignominiæ nota inusta erat. Nuptæ verò diligenter caueãt ne hac in parte peccent, ni mactationis aut ignominiosæ dimissionis pœnam velint

Gẽ. 29. & 30.

adulteriũ abhorrẽt Am.

velint incurrere.

A me præterea eſt obſeruatum, (quamuis illi regionem calidam incolant, ac contrà quàm de Orientalem plagam incolentibus vulgò dici ſolet,) Iuuenes cum mares tũ fœminas libidini non admodum deditos eſſe. Atque vtinã noſtrates æquè ſibi hac in parte temperarent. Verùm ne plura quàm par ſit illis tribuam, memini eos nonnũquam inter rixandum, conuitium hoc *Tyuire*, hoc eſt, ἀρσενοκοῖται, mutuò ſibi obiicere ſolitos, ex quo conijcere eſt (neque enim pro comperto habeo, nec aſſeuerare velim) flagitiũ illud apud eos locum habere.

Grauidæ mulieres, ab grauioribus oneribus tantùm abſtinent, reliqua munia conſueta exequũtur. Ac ſanè mulieres multò labore viros antecedunt, viri enim (niſi quod aliquãdo matutino tempore, nuſquam meridiano, arbores quaſdam ad hortos conſtruendos collocant) tempus inſumunt in militia, venatione, piſcatu, clauis ligneis fabricandis, arcubus, ſagittis, alijſque id genus. Ad mulierum partum quod attinet, non auditione accepta, ſed viſu percepta referemus. Ego aliúſque Gallus in vico quodam diuerteramus, circa mediam noctem clamorem muliebrem ingentem exaudimus, ſurgimus, eam ab belua *Jan-ouare* interceptam rati, accurrimus, mulierem parturientem offendimus, cui vir obſtetricabatur: is puerulo in vlnas recepto, dẽtibus vmbilicum abſcidit, naſum verò de-

Grauidę mulieres Americ. quomodo ſe gerant.

viri Amer. vxoribus obſtetricantur.

pressit, (illi enim puerorum formam in simitate collocant contrà quàm faciant obstetrices nostrates, quæ infantulorum recens natorum ad elegantiam protrahunt) quod etiam apud cæteros omnes locum habet editus in lucem infantulus statim lauatur, ac coloribus atro & rubro ab patre depingitur: tum, fasciis minimè inuolutus, xylino cubili pensili imponitur. At si masculus fuerit, pater ligneum gladiolum, pusillum arcum, & paruas sagittas iam inde ab natiuitate ei dabit, lectulóque cum puero imponet, ac puerulum osculis, hísque compellabit verbis. Mi fili, vbi adoleueris, ad vltionem de hostibus tuis sumendã fortis esto. Ad nominum impositionẽ quod attinet, memini eum de quo modò egi ab parente *Orapacen* nominatum fuisse. Quæ dictio arcum & neruum sonat: vox enim est composita ex *Orapat* quod est arcus, & *Cen* neruus. Eadem quoque in aliis seruatur ratio. Nam illi sine delectu rerum sibi cognitarum nomina liberis imponunt, vti nos canibus, alijsque nostratibus brutis: verbi gratia, *Sarigoy*, quadrupes animal: *Arignan*, gallina: *Arabouten brasilia arbor*: *Pindo*, herba prægrãdis: & sic de aliis.

Quare Barbar. infantulis deprimatur nasus.

Infantuli crepundia.

Quę sit Americ. nominũ imponendorum ratio.

Alimentum est præter lac maternum, farina mãsa, & tenerrimum quodque cibi genus. Puerpera biduo tãtùm, aut ad summũ triduo discumbit, deinde puerulo mitella xylina imposito vel hortum petit, aut ad cætera expedienda negotia proficiscitur. Quæ tamen non

Infantulorũ alimentum.

non ita ſunt accipienda, quaſi noſtratium mulierum cõſuetudini detractum quicquam velim, quæ ob aeris intemperiem viginti minimùm dies reſupinæ in lecto iacent: Quæque adeo ſunt delicatæ vt nulla vrgente neceſſitate, ſimulac liberos ſunt enixæ, procul ab ſe eos ablegent, atque adeò vel inſciis ipſis extingũtur, vel ſaltem iam grandiuſculi ſint, oportet vt luſibus eas oblectent, antequam domum admittantur. At vero ſi delicatulæ quædam querantur iniuriam ſibi à me fieri, qui eas cum Barbaris mulieribus comparem, quarum, inquient, ruſticitas nihil habet cum ſua teneritudine commune: Equidem ad leniendum acerbum iſtud dictum eas ad Bruta ipſa animantia remittam. Quæ quidem vniuerſa ne exceptis minimis auiculis vna veluti voce eas docebunt generi animantium omni à natura eſſe inditum, vt de prolis educatione ſit ſolicitum. Atque vt tandem obiectiones omnes anteuertam, quæro ab iſtius farinæ mulierculis annon ſint delicatiores regina quadam Gallica? quæ cum comperiſſet puerulum ſuum alienæ mulieris lac exuxiſſe, materno accenſa affectu, adeo excandu iſſe fertur, vt non priùs conquieuerit, quàm Infantulus lac alienum euomuiſſet?

Sed ad rem, apud nos hęc obtinuit opinio, puerulos, niſi diligenter faſciis inuoluerẽtur, ac conſtringerentur, diſtortis futuros cruribus: Atqui aſſero iſthæc minimè à Barbaris curari (vt pote qui infantulos recens natos

nudos ac minimè religatos lectis xylinis imponant) quorum tamen liberi omnium mortalium rectissimè incedunt. Fateor equidem aeris temperiem ad id plurimùm valere, ac proinde concedo, puerulos nostrates hyemis tempore diligenter esse inuoluendos ac fasciis in cunis religandos, quòd alioqui frigori ferendo sint impares. At æstate ac temperatis anni tempestatibus, præsertim cum gelu non riget, (cum bona tamen aliorum venia) censuerim, quantum experientia assequi potui, infantulos vinculis illis esse soluendos atque in libertatem vindicandos, genere quodam cubilis ad id excogitato ex quo decidere minimè possent. Ac sanè in hac sum sentẽtia, non parùm incommodi afferre calorem summum, quo æstatis tempore puerali apud nos fasciis reuincti quasi percoquuntur.

Infantuli Americ. mundissimi absque linteorum vsu.

Ne tamen plura quàm par sit Satagere me ab nonnullis obijciatur puerulos nostrates parentibus & nutricibus educãdos relinquo. De Americanis verò, addo matres quæ & linteis carent, & foliorum (quorum tamen maxima illis suppetit copia) ad hæc ministeria non vtuntur adminiculo, frustulis ligneis tam diligenter posteriora infantulorum abstergere, vt ab omni sorde continuò sint immunes. Adultiores quoque eandem seruant rationem, quos etiam (in fœdam istam materiam paulisper digrediens) commemorare libet, in casis quidem mingere consueuisse, nec tamen fœtorem vllum inde oriri: licet igni-

bus

bus crebris ferè iugiter colluceant, atque are-
na sint stratæ: at quoties aluum sunt exone-
raturi, procul ab ædibus secedere solitos.
Præterea, cùm Barbari de liberis suis singu-
lìs sint soliciti, quorũ in singulis familiis ma
gnus est numerus, (non tantus tamen vt oc-
currat Pater qui sexcentos filios susceperit,
prout Gen. Ind. Scriptor affirmat se regem
vidisse cui tot essent liberi, quod meritò qui-
dem inter prodigia est recẽsendum,) tum ve-
rò maximè mares diligunt quod soli bello
sint apti, ac vindictæ de hostibus sumendæ
sint cupidissimi. Iam verò si quis quærat quo-
nam eos imbuant à teneris eruditionis ge-
nere? Respondeo: ex iis quæ à me capitibus
8. 14. & 15. de eorum ingenio, bellis, ac hostiũ
deuorandi ratione dicta sunt, facile esse colli-
gere, eos, quibus scholę ne auditione quidem
notæ sunt, bonas artes minimè edocere. Ac
proinde, eos tanquam veros Lamechi, Nim-
rodi, & Esaui successores, non modò vena-
tores esse, & bellatores: sed etiam hominum
mactatores & deuoratores.

Cap. 96.

Gen. 4.23. & 10.8.9. & 27. 23.

Quibus in rebus occupentur Barbari.

Insuper de *Tououpinambaultiorum* coniu
gio dicere quantum feret pudor, pergens,
Assero (contrà quam ab nonnullis est confi-
ctum) viros naturalem verecundiam seruãtes,
nusquam cum vxoribus coràm congredi. Qua
in re, non modò sunt Cynico illi præferendi
qui ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehensus impudentissi
mè responait, se hominem plantare: sed etiã
fœtidissimis nostratibus hircis, qui homi-

Naturalis verecundia in Americanorum coniugiis seruatur.

num conſpectum turpia quæque admittentes minimè fugiũt. Præter ea quæ dicta ſunt, notatu eſt imprimis dignum, nos qui in terris illis per annum integrum viximus, fœminam nullam menſtruis laborantem vnquã conſpexiſſe. Ego crediderim fluxum illum ratione nobis ignota eas diuertere. Puellas enim annos duodecim natas vidi, quarum latus ab axilla ad genu vſque animalis cuiuſdam dente acutiſſimo, ab matribus inciderentur. Puellæ verò præ ſummo dolore frendentes, magnam cruoris copiam emittebant: Hoc illas remedio menſtrua anteuertere cõijcio. Hîc verò ſi à Medicis, atque aliis harum rerum peritis obijciatur, hæc cum eo quod nuper à me eſt dictum mulieres Barbaras eſſe fœcundiſſimas, non conuenit, quandoquidem menſtruis ceſſantibus mulieres nec cõcipere, nec parere poſſunt: Reſpondeo, mihi in animo eſſe quæſtionem hanc ſoluere, imo nec plura de his adijcere.

Americ. fœminarum purgatio.

Cap. 8. ſub finem eorum refellimus errorem qui vel ſcripſerunt, vel tacitè crediderũt, fœminarum nuditate viros ad libidinem pellici. Nonnulla etiam de puerorum Barbarorum educatione adiũximus. Itaque ea lector inde requirat moneo, vt fuſiori ſuppleant tractationi.

CAP.

CAP. XVIII.

Quid leges, quidque politia apud Brasilienses nuncupari possit: Quàm humaniter excipiant hospites: Deque lachrymis ac factis sermonibus, quibus hospites in ipso ingressu ab mulieribus excipiuntur.

AD politiam Barbarorum quod attinet, vix credibile est quàm pulchrè inter eos sola naturæ luce ductos conueniat. Nec referri istud potest nisi summo eorum pudore qui Diuinis & humanis sunt instructi legibus. Quod tamen de tribulibus inter se, aut de fœderatis est intelligendum: etenim erga inimicos quomodo se gerant, iam est à nobis demonstratum. Si quæ tamen contentio inter quosdam apud eos exoriatur, (quod rarissimè accidit, nam toto anni spatio, quo apud eos vixi, bis tantùm rixantes videre mihi cõtigit) spectatores litem componere minimè curant: sed eos pro libidine agere, oculos licet sibi mutuò sint confossuri, sinunt. At si alter alteri vulnus inflixerit, comprehendíque possit, vulnus ei eadem in corporis parte ab vulnerati cognatis infligitur. Imò si fortè vulnus mors consequatur, ab mortui cognatis de medio tollitur homicida. Denique vitam pro vita, oculum pro oculo, dentem

Barbari cõcorditer viuunt.

Homicidarũ apud Barbaros pœna.

Leuit. 24. 19. 20.

pro dente rependunt. Sed isthęc, vt dixi, rarissimè apud illos contingunt.

Res soli apud eos sunt casæ, & agri longè ampliores quàm qui incolis alendis desiderentur. Ad casas quod attinet, sciendum est primùm, singulos pagos sexcentena hominum capita capere: quare complures eadem casa habitare necesse est. Attamen singulis familiis suum occupantibus locum (absque vllo interstitio, nam nihil est quod impediat quominùs ab extremo vno ad alterum ædes illæ pateant (quæ in passus 60. vt plurimum producuntur) pater quisque familias vxores & liberos seorsim positos habet. Ad hæc obseruandum est (quod est sanè mirandum) Americanos vnum locum vltra quinque aut sex menses non incolere. Sed exportata materia, atque herba *Pindo* quibus casæ eorum constant, vicos suos frequenter transportant, quibus tamen eadem semper seruantur nomina. Nos ipsi pagos nonnullos à pristino loco mille passibus remotos conspeximus. Ex quibus satis constat, non modò apud Americanos nostros ingentia non ędificari palatia (quemadmodum à quodam scriptum est Indos Peruēses domos ligneas tā magnificas habere, vt in illis cœnacula sint longitudine passuū CLL. latitudine vero LXXX.) sed etiā à nullo casam ædificari, quam & perficere, immo vltra vicies struere ac destruere ante obitum non cogatur, si tamen iustam hominis ætatem attigerit. Iam si quæratur ab ipsis cur

Pagi & familiæ Americ. quo disponātur modo.

Pagorū apud Americ trāsportatio.

Hist. gen. Indic. lib. 2 c. 3.

curuam tam frequenter ſedes mutent? In promptu eſt reſpõſio. Cœli mutationem ad valetudinẽ multùm conferre: Prætcrea ſe ſi ab maiorum conſuetudine recederent confeſtim interituros. Ad agros quod attinet *Mouſſacat* quiſque aliquot quidem peculiares habet quos pro arbitrio vbicũque viſum fuerit ad componendos hortos ſeligit. Sed anxiam illam curam de fundis diuidendis, & limitibus figendis, & definiendis agris Auaris & leguleiis noſtratibus relinquunt.

Quos agros peculiariter poſſideat Americ.

De eorum ſupellectile non ſemel à nobis in ſuperioribus eſt dictum. Sed ne quid eorum omittamus quæ ad Oeconomiam Barbarorum pertinẽt, hoc loco recenſebo Americanarum mulierum in goſſipio, (cuius apud eas vſus eſt multiplex tam in funiculis, quàm in penſilibus ſuis cubilibus texendis) nendo artificium.

Extractum ex flocculis, pro omni carminatione digitis aliquantulum extendunt, tum humi aceruatim diſponunt, (nam colis vti non norunt) pro fuſo virgulam habent digiti craſſitudine, pedali longitudine, qua orbiculum ligneum transfigunt, goſſipium virgulæ ſummæ alligãt, tum ad femur (vt fuſos ſuos ſolent noſtrates) inſtrumentum illud torquentes, è manu emittunt. Orbiculus ille per domos vel plateas inſtar verticuli deuoluitur. Atque eo modo filum nent, non modò craſſum ad cubilia xylina texẽda, ſed & ſub-

Goſſipium quo modo nent Amer. mulieres.

tilissimũ. Huiusmodi ego in Galliam attuli, quo thoracem è candida tela ornari curaui: cuius tanta erat tenuitas, vt à quibusuis pro lectissimo Serico haberetur.

Inis cubilia xylina.

Cubilia sua xylina *Inis* nuncupant. Fœminæ, ad quas pertinet istud opificium, textrinas habent ab nostratibus nõnihil absimiles: neque enim in planum sunt constructæ, neque tot machinamentis constant, sed editæ ad earum staturam: suo more ordiuntur, tum ab imò texendi initium faciunt. Quædã ex cubilibus illis ad formam retium, alia densiora instar telæ rarissimæ conficiunt. Quinque aut sex pedum longitudinem obtinent, latitudinem vlnæ: extremo vtrique fibulæ xylinæ adduntur, quibus funes annectunt: ac trabibus ad hunc vsum in casis accommodatis suspendunt. In Castris degentes, aut in syluis ad venationem aut in litoribus ad piscatum ea ex arboribus suspendunt. Hæc cubilia (nequid à nobis prætermittatur) vbi sordes vel ex humano sudore vel ex fumo, ob ignis perennitatem contraxerunt, hoc abluũtur modo. Mulieres fructum quendam in syluis colligunt, forma ab cucurbitæ planæ non absimili, verum longè ampliorem, adeò vt ægrè singula poma alterâ manu gestentur, hos fructus frustatim concidunt, atque in prægrande aliquod fictile vas coniectos aqua madefaciunt. Tum baculo vehementer mouent, atque spumam ex illis excitant,

Cubilia Barbarorũ quomodo sternãtur.

Spuma quæ Saponis vicẽ supplet apud Americ.

tant, cuius ope (loco saponis) cubilia sua ita mundant, vt niuem vel fullonicos pannos cãdore adæquent. Cæterùm expertis iudicandum relinquo, annon suauiùs, æstiuo præsertim tempore, in Cubilibus illis decumbatur, quàm in lectis nostris vulgaribus: An etiam temere in Historia nostra Sancerrana, affirmarim longè commodiorem esse eiusmodi cubilium vsum in excubiis, quàm & recepto more, milites in στιβαδίοις volutentur, nam & vestes conspurcantur, & pediculi comparantur, & quod magis est, si ad certamen sit consurgendum corpus quodammodò armis quæ continuò militibus adhærent conquassatur: quod in vrbis Sancerranæ obsidione experti seriò sumus. Hostes enim per integrum annum ad portas nostras permansit.

Reliquam Americanorum Suppellectilem vt in pauca contrahamus, mulieres (quibus res Domestica est curæ) Cannas ingentes parant, & prægandia fictilia vasa conficiunt ad *Caouin* suum imponendum. Ollas quoque varia forma effingunt, pelues paruulas & mediocres, paropsides atque id genus alia, vasa quæ extrinsecus quidem minimè sunt polita, intrinsecus tamen adeò læuigata & alba nescio qua infectura quæ continuò indurescit decorata, adeò vt figulorum nostrorum industriã mulieres illæ facilè adæquent. Præterea fucũ nescio quẽ Leucopęũ aqua madefaciũt, deinde varias rerum formas in suis vasis af-

Ingentia, mediocria & exigua fictilia vasa mulieres Amer. fabricant.

fingunt intrinſecus, atque in iis præſertim, in quibus farinam, aliáque ciborum genera aſſeruanda reponuntur. Eorum itaque vſus eſt gratiſsimus, immò longè præſtant illa vaſa ligneis quibus non pauci hîc vtuntur. Hoc tamen pictrices illæ laborant vitio, quòd vbi penicillo quicquid collibuerit effinxerunt, ſi rogentur eadem denuò pingere, minimè poſſint: quod exemplum nullum præter phantaſiæ ſuæ induſtriam propoſitum habeant. Hinc fit vt picturarum iſtiuſmodi duæ vix vnquam ſimiles reperiantur.

Pocula aliáque vaſa ex fructibus. Corbes & Caniſtri.

Prætereà (vt alibi dixi) Barbari cucurbitas aliáque fructuum genera habent, quæ diuidunt atque concauant, illíque pro poculis (quæ *Coui* appellant) aliíſque varij vſus vaſis vtuntur. Corbes quoque habent amplas & mediocres, atque adeò caniſtros, iuncis aut herbis ſubflauis, ab ſtramine triticeo non alienis aptiſsimè contextos. Hos *Panacon* nominant, inque illis farinam, aliáque quæ fuerint viſa imponunt. De armis, veſtibus plumaceis, Inſtrumentóque *Maraca* iam eſt à nobis facta mentio, itaque vt breuitati conſulam plura non addo. Ecce iam Caſas Barbarorum extructas atque ſupellectile inſtructas habemus, iam ipſi in illis ſunt inuiſcendi.

Sed paulò altiùs iſtud eſt repetendum. Etſi *Tououpinambaultij* hoſpites perquam humaniſsimè excipiunt, tamen Galli, aliíque ad-

uenæ

uenæ, qui eorum linguæ sunt ignari, initiò non parùm sunt ob tam insuetos mores attoniti. Ego quum primùm inter illos versarer (quod vigesimo circiter die post nostrum ad Castellum Collignium appulsum cōtigit) Interpres quidam ad vicos quosdam in continentem me deduxit, is quem primum vidi indigenarum lingua *Ybouraci*, Gallica verò *Pepin* de naucleri cuiusdam nomine qui quondam ad eũ locum nauem onerarat, nuncupatur: quatuor tantùm passuum millibus ab Castello nostro distat. In ipso ingressu me frequentes circumeunt Barbari, hísque compellant verbis. *Marapé-derere, Marapé dereré?* hoc est, quo nomine vocaris? quæ quidem voces verè mihi erant Barbaræ, alius verò eorum galerum meum mihi ablatum capiti suo imponit, alius cingulum & ensem meum lateri nudo suo subligat: alius tunicam induit: méque suis clamoribus hebetant: átque meis induti spoliis huc & illuc discursant. Ego tum meorum omnium iacturam fecisse me arbitrabar, nec satis sciebam quàm tutò apud illos essem. Verùm vt ipse expertus sum, metus ille ex moribus illorum ignoratione oriebatur, illi enim idem omnibus aduenis, præsertim iis quos nondum conspexerũt, factitare solent. sed vbi animi gratia aliquantisper eo habitu obambularunt, singula præcisè restituũt. Tum fui ab interprete admonitus illos vehementer optare quod mihi nomen esset intel-

Barbari comiter hospites excipiũt.

Eorum quæ authori cum primùm Barbaros adiit, acciderunt, faceta narratio.

ligere : sed in eo edendo ab nominibus apud nos vsitatis abstinendum esse, vt pote quæ Barbari nec pronuntiare, Ioannis enim loco *Nian* dicebant, nec memoriæ mandare possent:sed aliquid esse proponendum quod illis esset notum. Res tam feliciter successit vt, quantum significauit mihi interpres, qui linguæ Brasilicæ erat peritissimus, (neque enim subtilius inquirendo hæc confinxi, vt impudenter calumniatur Theuetus, ineptissimè de suo *Quoniambeco* Viror. Illust. libro disserens) nomen meum Lerij Ostreum significaret. Itaque respondi me, *Lery-oussou* vocari. Illi rem probare, atque interiectione sua admirante *Teh!* crebrò vsurpata, his me compellare. Præclarum sanè nomen! nec vnquam *Mair* vllum offendimus cui tale esset nomen. Ac sanè Circe nusquam hominem in tale ostreum transformauit, nec qui tam sedulo cum vlysse dissereret, quàm ego ex illo tempore cum Barbaris disserui. Obseruandū est autem eos adeo tenaci esse præditos memoria, vt si cuiusquam nomen semel audierint, illud nusquam obliuioni mandent. Reliquos quos in hospitibus excipiendis obseruant ritus posteà recensebo: iam quid mihi tum primùm inter Barbaros versanti contigerit explicabo. Ego cum interprete eo die vlterius sum progressus, atque in pago *Euramiri* Indigenarum lingua, Gallica verò Goset de interpretis cuiusdam nomine, qui eum aliquādiu incoluerat, diuertimus: occidente

Autoris nomen Americ, lingua.

sole

sole appulimus, Barbaros saltantes, & *Caouinantes*, ob captiuum, quem eo die mactarant, offendimus. Carnium illius frusta Boucano imposita animaduerto. Quanto ibi horrore fuerim perculsus, minimè quærendum arbitror. Attamen id minimum fuit si cum summo metu quo postea fui consternatus conferatur. Casam ingredimur, cubilibus pẽsilibus insidemus more recepto, fœminæ eo, qui à nobis dicetur modo, lugent, Paterfamiliâs amicis nos excipit verbis. Interpres qui istis erat assuefactus, quíque eorum compotationibus apprimè delectabatur, me rerũ omnium ignarũ insalutatũ relinquit, atque ad saltantes ac *caouinantes* abiit. Ego vero qui defessus eram, postquam me farina, & quibusdam aliis cibis nobis appositis refeci, in cubili decubui. Attamẽ & strepitu Barbarorum saltantium & *caouinantium*, & captiuũ deuorantiũ, mox fui expergefactus, & (quod maximum) quodã qui captiui boucanatũ pedem manu gestabat ad me accedente, atque à me (vt postea intellexi, tũ enim verba illius minimè capiebã) annõ vellẽ ex eo edere quęrente, adeò fui metu consternatus, vt à sõnoléẽtia fuerĩ penitus liberatus. Ac sanè omnino credebam gestu illo, quẽ in deteriorẽ partẽ rapiebã, ab Barbaro mihi indicari, fore vt mox carnes meæ eo modo vorarentur. Præterea vti metus suspicionem parit, in mentem mihi extemplò venit Interpretẽ prodidisse me,

atque in Barbarorum manus tradidiſſe. Quare ſi qua fugiendi patuiſſet mihi via, ego impigrè fugam capeſſiſſem. Sed vndiquaque me Barbari, quorum mentem non ſatis noueram (nihil enim mali in me moliebantur) circumſtabant. Ego in metu confirmatus futurum ominabar vt mox mactarer, quare totam noctem precibus ad Deum fundendis tranſegi. Cogitent lectores qui de iis quę à me narrãtur ſeriò cogitabunt, num mihi longiſſima viſa meritò fuerit. Prima luce Interpres, (qui totam noctem cum Barbaris genio indulſerat,) ad me redit , atque me pallidum atque febri correptum videt , ibi quærit num me malè haberem, annõ placidè quieuiſſem? Ego tum acriter eum increpare, qui me inter barbaros illos ſolum reliquiſſet, quorum ſermonem minimè capiebam: , quid multa? cum metum deponere non poſſem obnixè rogo vt ſine mora, illinc faceſſeremus. Ille verò bono me animo eſſe iubet: ac minimè malè in nos affectos eſſe Barbaros denunciat. Rem omnem Barbaris aperit, qui mihi totam noctem, vt aduentum gratularentur, adſtiterãt: Illi ſignificant ſe de eo nonnihil ſubolfeciſſe, dolere tamen ſe quod in tanto eorum metu noctem illam tranſegiſſem. Ac tandem in cachinnos prorumpunt , quod fuit metus illius mei ſolatium. Inde ad quoſdam alios vicos ego & Interpres illi perreximus. Sed iſthæc de primo meo inter Barbaros errore dicta

cta sint satis. Ad cætera reuertar.

Hi sunt ritus quod excipiendis hospitibus Barbari obseruant. In primis oportet hospitem statim vbi in domum *Moussacat* illius fuerit ingressus, quem sibi hospitem delegerit, (quod in singulis pagis est faciendum, nec ad alium est diuertẽdum, nisi illius in malam gratiam velis incurrere) cubili Xylino pensili insideat, ac tacitus ibi aliquãtulum remaneat. Mox mulieres adueniunt, cubile cingunt, humíque sedentes manus oculis imponũt suis, atque eo modo faustum hospitis aduentum deflentes, innumera in illius laudem proferunt.

Mulieres Americanæ hospitum aduentum deflent.



Verbi gratià : tu tantum vt ad nos accederes laborem suscepisti:tu bonus es, fortis es. Si vero hospes fuerit Gallus, addunt, merces præclaras permultas nobis attulisti, quibus hîc caremus. In summa, vt dictum est, mulieres illæ lachrymis obortis adulatoriis huiusce modi sermonibus hospites excipiũt. Hospes verò qui in cubili xylino sedet, si gratiam vult cũ hospite inire, composito vultu, nisi seriò lachrymari voluerit (prout nonnullos ex nostris vidi adeo fracto animo, vt fœminarum istarum vlulatu lachrymę illis excutentur) saltem quædam respondẽdo, & suspiria trahendo fletum simulet necesse est. Peracta hac lepidissima à mulieribus salutatione, *Moussacat* hoc est pater familiâs, qui etiã, vt in pictura videre licet, in fabricanda sagitta vehementer occupatus, ne oculos quidem quasi non animaduertens in hospitem per aliquod tempus coniecerit, (blanditiæ à nostris amplexibus admodum alienæ) tandem ad hospitem accedens, his eum compellat verbis. *Ere* Ioubé? hoc est, venisti ne? tum vt vales? quid quæris? &c. quibus quo sit respõdendum modo inferiùs in Colloquio Americ. dicetur. Quærit postea num esurias? Si annuas, confestim cibos varij generis, putà, farinam, quæ illis panis vices præstat, ferinam, volatilia, pisces, aliáque id genus, in fictilibus tibi apponi iubet: verũ, quod mẽsis scãnísque vsus non sit apud eos, humi omnia illa appo-

Hospitis apud Americ. gestus.

Moussacat quo modo hospitem excipiat.

nũtur. Ad potum quod attinet, si *Caouin* volueris, domíque fuerit, statim tibi dabitur. Denique postquam mulieres fletibus hospitum aduentum strenuè celebrarunt, ad eos accedunt fructus aut alia munuscula ferentes, atque ita tacitè pectines, specula, vitreos globulos, quibus brachia inuoluunt, exigunt.

Porro si in eo vico pernoctare voles, *Moussacat* cubile mundissimum tibi suspendi iubet, quod circum igniculos accendi curabit, atque noctu crebro suscitari folliculis quæ ipsi *Tatapecoua* vocant ab orbiculis non absimilibus, quibus ignis inuasionem ab vultu arcent apud nos delicatiores fœminæ. Non quod frigori obnoxia sit illa regio, sed propter noctis humiditatem, maximè verò quia moribus est ab illis receptum. Sed quando in ignis mentionem incidimus, quem illi *Tata*, fumũ verò *Tatatin*, nũcupant, operæpretium puto preclarã illius excitandi rationem vt exponam. Ea non minorem meretur admirationem quàm scoticus lapis, qui (vt refert singularitatum regni illius inuestigator) stuppa aut stramine obuolutus ignem per se excitat. Ergo Barbari, quod eo admodum delectentur, igne vbicunque sint, ægrè carent, siue domi, siue in syluis venantes, siue ad littus piscãtes, præsertim noctu, vehementer enim metuũt, me incauti excipiãtur ab *Aygnania* à quo (vt iam diximus) crebrò cæduntur, & affligũtur. Itaque pro eo quod nos lapide atque chalybe ad

Scoticus lapis admiranda ratione ignem concipit.

Cur barbari igne delectẽtur: atque de egregia illius apud eos excitandi ratione.

be ad ignem excitandum vtimur, cuius vſus illis eſt incognitus. Illi lignorum genera duo habent, quarum alterum eſt molliſſimum, alterum verò duriſſimum, quibus ad ignem excitandum hoc vtuntur modo: virgam ex prę-duri illius ligni pedali longitudine ab altera parte exacuunt ad fuſi modum, huius cuſpidem in fruſto aliquo mollis illius ligni defigunt, tum ſiue humi, ſiue ſtipiti impoſitum, virgam illam, manuum volis maxima celeritate voluunt quaſi ſuppoſitum ligni fruſtum perforaturi. Illa tam celeri támque violenta agitatione non modò fumus excitatur, ſed etiam ignis, itaque admoto goſſipio, vel foliis quibuſdam ſiccis (fomitis noſtratis loco) commodiſſimè ignis concipitur. Cuius rei ego ipſe feci periculum. Nec tamen mihi eſt animus ea confirmare, quę Theuetus ſcripſit, Barbaros Americanos, ante ignis vſum cibos fumo exſiccare conſueuiſſe, prout enim philoſophicum hoc ἀξίωμα quod in prouerbium abiit vt veriſſimū habeo, ignem abſque fumo non eſſe, ſic eum indoctum phyſicum iudico, qui nobis perſuadere nititur fumum abſque igne exiſtere. Fumum hîc intelligo, cibis percoquendis aptū, cuiuſmodi ab Theueto innuitur. Nā ſi hac ſolutione nodo illo ſe expedire vellet, ſe id de exhalationibus intellexiſſe, etiamſi concedatur calidas eſſe, nō tamen datur eas cibos exſiccare & percoquere poſſe: quinimo & carnibus, & piſcibus potius humiditatem ſint aucturæ. Quapro-

Sing. Amer. cap. 53.

pter, quid quæso est lectoribus imponere si hoc non est? Quando igitur adeò grauiter tum in Cosmographia, tum alibi de iis conqueritur Theuetus, quos, quia res ab se commemoratas pro sua libidine non exponant, eo accusat nomine, quòd nō satis diligenter in suis scriptis sint versati: Lectorem rogo, vt locum istum diligenter obseruent de nouo isto calido, ac imaginario fumo, quem ego ad ipsius ventosum remitto cerebrum.

Aduenæ quid hospitibus rependant.

Iā igitur ad *Tououpinambaultiorum* in hospitibus excipiendis curam redeamus. Postquàm eo quo diximus modo, hospites cibum sumpserunt, atque decubuerunt, si liberales sint, viris cultros, forfices, atque volsellas, ad barbam euellendam aptas: Fœminis pectines, & specula: pueris hamos dare solent. Si verò cibariis hospes indigeat, vbi de pretio est conuentum, ea asportare licet. Porrò quia illi iumentis omnibus carēt, omnes pedibus iter facere necesse est, si aduenæ fuerint defessi, atque cultrum cuidam ex Barbaris obtulerint, ille confestim (nam ad gratificādum sunt promptissimi) operam suam offeret ad defessum gerendum. Ego ipse cùm in terris illis versarer non semel baiulis illis vectus fui, & quidem bis mille passuum itinere. Quos si vt paulisper requiescerent monebamus, illi nos his verbis irridebāt, Quid? Nósne tā effœminatos aut fracto animo esse censetis, vt oneri succumbamus? te potiùs totum diem absque vlla intermissione gestarem. Nos verò in cachin-

Barbari aduenas humeris gerunt.

Gradarij bipedes.

chinnos erumpentes gradarios illos bipedes mirabamur, atque illis animum addentes, dicebamus: Pergamus igitur.

Barbari natura duce charitatem colunt.

Naturalem charitatem abũdè inter se mutuò exercent, nam & pisces, & ferinam, & fructus, aliáque quotidie alij aliis donant, immò vehementer dolerent si vicinos iis rebus quas ipsi habent indigere cernerent. Atque etiam eadem liberalitate erga aduenas vtuntur. Cuius rei exemplum vnum afferre satis erit. De periculo quodã quod euasimus, ego Gallíque alij duo, quod scilicet, mors nobis imminebat, ingenti lacerto nobis obuiam facto, capite huius libri decimo memini: nos tum à via in mediis syluis per biduum aberrauimus, ac famem non mediocrem sumus perpessi, tandem ad vicum quendam *Pauo* nomine, ad quem iam ante diuerteramus, peruenimus. Ibi nos liberalissimè ab Barbaris fuimus excepti. Illi enim auditis incommodis quæ perpessi eramus, ac præsertim summum in quo versati eramus periculum, vt ab feris deuoraremur, maximè vero vt ab *Margaiatibus*, communibus nostris hostibus mactaremur, ad quorum fines per imprudentiã proximè accesseramus: Conspectis quoque spinarum incommodis quorum miserè cutis nostra erat lacerata, adeò nostra mala grauiter tulerunt, vt verè affirmare hoc loco possim blanditias fictas quibus nostrates miseros consolari solent, longè ab sincera gentis illius, quam nos Barbaram appellamus hu-

manitate abesse. Illi enim limpida aqua pedes nostros (quod antiquorum morem mihi in memoriam reuocauit) abluerũt, singulis nostrûm seorsim in pensili lectulo sedentibus. Tum patresfamiliâs, qui iam cibos nobis apparari prouiderant, recentémque farinã, quæ (vt aliâs dixi) candidi panis medullę bonitate non cedit, corradi iusserant, confestim nobis nonnihil refocillatis præstantissimos quosque cibos, putà ferinam, volatilia, pisces, fructúsque exquisitissimos, quibus continuò abundant, nobis apponi iubent.

Barbarorum humanitatis insigne exẽplum.

Præterea nocte adueniente *Moussacat* hospes noster, pueros omnes à nobis, vt placidiùs quiesceremus, remouet. Postera autem die summo manè ad nos accedit, quærítque agite *Atourassap*, (hoc est fœderati intimi) placidéne hac nocte quieuistis? Placidissimè, excipimus. Tum ille: adhuc quiescite, filioli mei, heri enim vos admodum defatigatos esse animaduerti. In summa verbis exprimere non queo quàm humaniter & blandè à Barbaris illis excepti fuerimus, qui nos non minori prosequuti benignitate, ac Melitenses Barbari Paulum cæterósque naufragos: de quibus Lucas in Actis Apostolicis. Cęterùm nos nũquã absque pera mercibus plena peregrè proficiscebamur, quæ nobis pecuniæ instar essent apud Barbaros illos. Itaque illinc abeuntes quæ visa sunt hospitibus donauimus: nimirũ cultros, forfices, volsellas viris: pectines, specula, armillas, & vitreos globulos

Act. 28. 1. 2.

los

los fœminis: pueris verò piscatorios hamos.

Hîc quid mihi aliquando apud eos contigerit narrare libet, vt quanti faciant merces illiusmodi commonstrem. Ego in quodam pago diuerteram, à *Moussacat* verò meo rogatus sum, vt quid in pera mea haberem, sibi indicarem, vásque ingens fictile mercibus meis imponendis afferri iubet: vniuersas depromo, ordinéque dispono: Tum ille vehementer admiratus Barbaros reliquos aduocat, atque infit. Videte quæso, ô boni, qualem virum apud me exceperim! an non liquidissimè apparet illum prædiuitem esse, quãdoquidem tantas opes apud se habet? Illę tamẽ merces (vt comiti meo Gallo subridens significaui) quas tanti Barbarus ille faciebat, nimirum cultelli sex vario capulo, totidem pectines, tria specula, aliáque minimi pretij pauca, vix Lutetiæ duobus argenteis capitatis væniissent. Ego tum, quia homines liberales (vt est à nobis dictum, amãt, vt mihi authoritatem & gratiam apud illos conciliarẽ, *Moussacat* meo cultrorum meorum præstantissimum coram omnibus donaui, quem non minoris ille fecit atque apud nos quilibet torquem aureum maximi pretii donatum faceret.

Quãti à Barbaris æstimentur cultri, aliæque merces.

Iam si quæratur an tuta nobis esset apud illos habitatio? respondeo eos pro vt inimicos tam insano prosequuntur odio, vt captos mactent voréntque: sic vice versa tanto, támque arcto amicos (in quorum eramus nume-

Barbari amicis fidissimi.

ro)amore complecti, vt potiùs quiduis subeant ad eos tuendos, quàm vt vllo eos affici incommodo patiantur. Itaque eorum expertus fidem illis iam tum maximè fidebam, ac nunc facilius fiderem, quàm plerisque Gallis infidissimis atque à proauorum fide degeneribus. Nominatim degeneres addo: nam bonis, quibus per Dei gratiam nondum penitus est destituta Gallia, vllo modo detractum nolim.

Historia de periculo in speciem imminente.

Veruntamen vt nihil quoad eorum mores attinet dissimulem, rem hîc narrabo maximè mihi in speciem periculosam. Accidit vt sex Galli casu in vicũ illum *Ocarantin*(de quo sæpe facta est mentio)conueniremus: ibi pernoctare statuimus, terníque arcu cõtendim⁹, ea cõditione vt victi Indicis gallinis, aliísque cibis in cœnã mulctarẽtur. Ego qui cum sociis inferior in ludo fuerã, gallinas venales conquiro. Puer quidam ex eorum numero, quos suprà Rosea naui aduectos fuisse ad linguam Americanam ediscendam demonstraui, mihi occurrit, dicítque: En tibi præpinguem Indicam anatem: Eam occide, pretiũ postea numerabis. Pareo, eóque faciliùs, quòd non semel in pagis aliis itidem Gallinas occideramus, quas cum bona Barbarorũ gratia cultris quibusdam redemeramus: mortuam manu apprehendo, domúmque in quã ad *caouinandum* frequentes Barbari conuenerant ingredior: cuiusnam sit anas preciũ numeraturus quæro: prodit vetulus quidam caperata fronte, ac suam esse significat. Pro

ea sibi numerari quod velit pretium peto. Cultrum, inquit ille. Ego haud mora pręebeo: Elegantiorem velle se ait. Denuo elegantiorem offero. Nec istum placere ait: Quid ergo à me exigis? inquam. Falcem, excipit. Ego qui pretium inauditum exigi à me videbam, quíque apud me falcem tum non habebam, cultro contentus sit moneo, méque aliud nihil daturum esse. Interpres cui mores Barbarorum innotuerant (quamuis hac in parte, vt mox dicam deceptus fuit) vehementer Barbarum iratum esse significat: falcem quouis tandem pretio inuestigandam esse, atque illi pendendam. Falcem ab puero de quo nuper dixi mutuò accipio, ac Barbaro trado. Renuit. Ego nonnihil iratus, tertiò ab eo quæro quid igitur petat? Ille audacissimè, te interficere volo, ait, pro vt anatem meam occidisti. Ea enim fratris cuiusdam mei olim fuerat, atque idcirco præ omnibus meis in pretio habebam. His dictis bardus ille domũ abit, clauáque ingenti lignea sex pedum longitudine instructus ad me redit: denuóque mortem mihi minatur. Ego tum valde fui attonitus, metum tamen meum dissimulabam diligẽter. Tum interpres cubili pensili quod inter me & aduersarium meum erat interiectũ quid facto opus esset opportunè monuit. Gladium tuum & arcum ac sagittas ostentãdo, inquit his illũ cõpella. Quo cũ sibi negotium esse putet? te fortem ac strenuum esse,

nec impunè eum mortem tibi intentaturum: denique quod in animo erat dissimulans, varijs sermonibus vltro citróque habitis nullo de dissidio sedando laborante, Barbarus ille meus ebrius, quippe totum diem *Caouinando* transegerat, dormitum abiit. Ego cum interprete ad socios nostros contentionis meæ ignaros coenatum me cõfero. Nihilominus tamen totum illud à Barbaro meo ioco factũ fuerat. Norunt enim illi se qui immortales cum Lusitanis inimicitias gerunt, si vel Gallũ vnum occidant, mercibus penitus prohibitos iri. Ac sanè ille paulò pòst experrectus, per Barbarum quendam mihi significat, me suum esse filium, quæque abs se acta fuerant, eo tantùm animo gesta fuisse, vt quàm strenuè in Lusitanos & *Margaiates* bellaturus essem, periculum faceret. Ego verò vt occasionem omnem ei idem vel in me, vel in alium quemuis tentandi tollerem, adde quod istiusmodi lusibus delectari nemo solet: Respondeo me facilè tali parente, qui exserto gladio filiorum periculum faceret carere, immo etiam postridie eius diei domum quandam in qua erat, ingressus, vt quàm ægrè illud ferrem, seriò cognosceret, eo præsente, astantibus cultellos, aque hamos dono, illum verò indonatum relinquo: Ex hoc igitur exemplo, eóque cuius antè memini, de periculo quod sum imaginatus tum, cumprimùm apud illos versatus sum, satis apparet ea, quæ dixi, constare, nempe amicis eos fidis-

fidiſsimos eſſe. Iſtud quoque obiter eſt notandum quòd Senes qui ſecuribus, falcibus, ac cultris olim caruerunt, quibus tamen ad ligna ſecanda, ad arcus fabricandos, ſagittáſque parandas tam cõmodè iam vtuntur non modò Gallos humaniſsimè excipiunt, ſed & iuniores vt idem in poſterum præſtent crebrò hortantur.

CAP. XIX.

Quam curam morbis ſuis adhibeant Barbari: de eorum ſepultura & exequijs: déque inſano eorum circa mortuos luctu.

TANDEM vt huic de Barbaris Americanis ſermoni finem imponamus: hoc quoque loco aliquid de eorum in morbis ſuis cura, ac obitu dicendum eſt. Ergo ſi fortè contingat, vt eorum aliquis in morbum incidat, partem dolore affectã vbi indicauit ægroti intimus, quidam ore exſugit, nonnunquam etiam ab impoſtoribus quibuſdã, quos illi *Pagés*, hoc eſt medicos aut chirurgos, appellant. (Sunt autẽ à *Caraibibus*, de quibus antea, diuerſum genus) miniſterium illud præſtatur. Dolorem quoque ſe extrahere dicunt, ac vitã producere. Febribus, aliíſque vulgaribus morbis aliquando laborant: at non ita frequenter atque nos ſolemus. Præterea cum inſanabili quodam morbo conflictantur, quem illi

Pagés Barbarorũ medici.

Pians Vocant. Is plerumque à libidine prouenit: puerulos tamen eo infectos vidi non absimili ab variolis nostratibus modo. Contagio hæc in pustulas tãdem abit digito pollice ampliores, quæ corpus vniuersum, atque adeò faciem ipsam inuadunt. Itaque iis qui hoc morbo affecti fuerint tã insignes suæ impuritatis notæ inuruntur, atque apud nos venerea lue laborantibus. Cuius rei exemplo fuit Neustrius quidam interpres, qui crebris sese scortationibus cum mulieribus ac puellis Barbaris contaminarat. Is meritis dignissimam reportauit mercedem: nam eius corpus vniuersum, atque adeò vultus ipse, tam erat deturpatus, vt elephantiaco morbo laborantem deformitate referret: támque insignes inustæ sunt notæ, vt deleri nusquam potuerint: hinc fit vt morbus ille omnium perniciosissimus ab illis habeatur. Sed ad rẽ. Ægrotanti cibum nusquam præbent, nisi ab eo petatur, inedia licèt sit periturus. Præterea morbus quantumuis sit grauissimus, valentes non desistunt saltando, cantando, bibendo, more recepto, miserum ægrum strepitu obtundere: nec conqueritur æger, quòd se nihil profecturum esse norit. At si diẽ suum obeat, cantus ille (si præsertim pater quidam familiâs fuerit) in lachrymas repentè conuertitur, tantíque eduntur gemitus, vt si fortè in pago quodam diuertebamus luctus illius tempore, nobis vel aliò erat commigrandum, vel insomnis nox erat ducenda. In primis autem

Barbari ægrotos quo modo tractent.

tem non ſine admiratione mulieres exaudiũtur, quæ ſic vociferantur atque exclamant, vt luporum aut canum vlulatus, non humanas voces edi dicas. Has autem effundũt querelas voce tremula. Obiit fortiſsimus ille, qui nobis tot captiuos deuorandos olim præbebat! Tum cæteræ, ô egregium venatorem, ô præſtantiſsimum piſcatorem, ô ſtrenuum Luſitanorum & *Margaiatium* mactatorem! In ſumma mulieres illæ ſeſe mutuò ad luctum incitantes, brachiáque inuicem amplexantes, vt in ſubiecta pictura videre eſt, ab his luctibus ac præconiis non priùs deſiſtunt, quàm cadauer elatum fuerit.



Denique Barbaræ istæ mulieres Bearnensium ritum in viris suis mortuis lugẽdis imitantur, quos quantum accepi, his prosequuntur querelis. *La mi amou, la mi amou: Cara ridẽt, œil desplendou: Cama leugé, bet dansadou: Lo mé balen, lo m'esburbat: mati depes: fort tard cougat.* hoc est, mi amice, mi amice vultu hilari, oculis splendẽtibus, cruribus pernicibus, egregie saltator, fortis ac strenue, qui summo manè surgebas, atque ad multam noctem vigil decumbebas. Vascones quoque mulieres, quæ superioribus isthæc addunt, *Yere, yere, O le bet renegadou, ô le bet iougadou qu'here*: hoc est heu, heu, quã strenu⁹ erat deierator, quàm insignis lusor! Porrò iis quas diximus querelis Barbarę mulieres crebrò epodiũ hoc adijciunt. Obijt, obijt is quẽ iam lugemus! Tum viri, heu! mortuus est, nec eum amplius videbimus, donec post montes cum ipso pro vt docent nos Caraibes nostri choreas agamus. Alia insuper eiusdem generis multa addunt. Eiulatus verò illi ad sex horas producuntur, neque enim mortuos suos insepultos diutiùs seruare solent. Tum excauata fossa non oblõga, vt solemus, sed in orbem, dolij maioris instar, cadauer erectum sepelitur. Patres verò familiâs defunctos cubili suo xylino obuolutos in mediis ædibus sepeliunt, plumis, alijsque quibus dum vita manebat delectabãtur, in sepulchro reconditis. Permulta in hanc sententiam antiquorum exempla huc afferri possent, à quibus idem olim erat factitatum:

Sepulchra, atque in Sepeliẽdo ritus Americanorum.

Antiquit. lib.7.c.12.

cuiusmodi est illud quod Iosephus commemorat de pecuniis in Dauidis sepulchro cõditis: Id etiam quod profanæ testantur historiæ de viris illustribus, qui post obitum pretiosissimo quoque mũdo ornati sepulti sunt. Ac ne longiùs ab Americanis nostris recedamus, Indi Peruenses Reges suos ac *Caciços* sepelientes, magnam auri, argenti, atque gẽmarum vim in eorum conijciunt sepulchra: quę cùm Hispani scrutarentur, ingentes inde diuitias contraxerunt. Quibus rapacissimis hominibus apprimè id conuenit quod Plutarchus de Semiramide commemorat. Semiramis Regina, quę Babilonem condidisse dicitur, monumento quod sibi pararat inscripsit, Quisquis rex pecuniis eguerit, aperto monumento quantùm voluerit capiat. Darius potitus ea ciuitate, titulo credens, saxum ingens, quo claudebatur monumentum, vix amolitus, nihil quidem inuenit pecuniarum, sed ex altero saxi latere hoc inscriptum reperit. Ni vir malus esses, & pecunia inexplebilis, haudquaquam mortuorum loculos moueres. Sed ad *Tououpinambaultios* nostros redeamus. Ex quo Galli ad eos commeare cœperunt, ab pretiosorum in sepulchris repositione abstinuerunt. Sed inauditam ac verè Diabolicam superstitionem retinuerũt. Prima à funere nocte, Barbari, quibus hoc persuasum est, fore vt *Aygnan*, ni alios cibos offenderet paratos, cadauer effoderet, ac deuoraret, vasa nõ pauca farinę, piscium, carnium, alio-

Mũdus cum cadauere sepelitur.

Consule Bẽzonem lib. 3.c.22.

Error verè Diabolicus.

aliorúmque ciborum diligenter paratorum, nec non potionis *Caouin* plena circa ſepulchrum apponunt. Quam libationem tandiu faciunt quoad cadauer penitus conſumptum eſſe credant. A quo errore eò difficiliùs dimouebãtur, quòd interpretes quidam Neuſtrij, ſacrificorum Belis exemplo, non ſemel ante noſtrum aduẽtum cibos illos clam ſubripuerãt. Quo facto Barbaros in errore adeò confirmarant, vt quamuis cibos illos veſpere appoſitos manè ſupereſſe demonſtraremus, magno tamen labore perpaucos ab errore dimouimus. Hoc autem Barbarorum ſomniũ ab Rabbinorum commento non eſt alienũ: nec ab eo quod Pauſanias cõmemorat. Rabbini enim ſcribũt cadauer hominis tradi in poteſtatem Cacodæmonis cuiuſdam, quem Zazel, aut Azazel nominant: quémque principem deſerti in Leuitici libro dici affirmãt. In cuius erroris confirmationem Scripturæ locos detorquent, quibus dicitur ſerpenti, puluerem comedes omnibus diebus vitæ tuæ: atque ita ratiocinantur. Quandoquidem corpus noſtrum è limo terrę deſumptum eſt, qui ſerpentis eſt cibus, ei ſubijciatur neceſſe eſt, quoad in ſpiritualem naturã transformetur. Pauſanias etiam author eſt interpretes Delphicos tradidiſſe Cacodæmonem quendam, quem Eurinomum appellant, mortuorum carnes deuorare ſolitum, atque oſſa carnibus nudata relinquere. Qui errores ad Americanorum ſomnia proximè accedunt.

Conſule viret. Phyſic. Papal. Dialo. 3. pag. 210.

Leuit. 16. 8.

Gen. 3. 14.
Iſa. 65. 24.

Denique quoties Barbari, eo quo diximus modo, vicos ſuos aliò comportãt, ſepulchris mortuorum tegmina quædã ex herba *Pindo* imponunt. Quò fit vt viatores cœmeterij formam quandã agnoſcant. Ad quę loca ſi quando in ſyluis errantes virorum defunctorum recordentur, tantos edunt eiulatus, vt procul exaudiantur. Tandem eas quò quantùm ad ſatietatem fuerit, lugeant relinquo. Quando igitur Barbaros ad ſepulchrũ vſque ſum proſequutus, de eorum moribus dicendi hic finẽ faciã. Lector tamẽ præter ea quæ attigimus, nonnulla poterit obſeruare in eo quod ſubijcimus colloquio: quod ſcriptum fuit eo tempore quo in America viuebam ope cuiuſdam interpretis, qui & linguę Americanę erat peritiſſimus, (quippe ſeptem annos iam in illis terris vixerat) & linguam Græcam à qua non paucas voces mutuantur Barbari, optimè callebat.

CAP. XX.

Colloquium in ipso aditu Brasiliensis oræ inter indigenas Tououpinambaultios Tououpinenkin *Brasilicè ac Latinè conscriptum.*

Tououpin ambaultius.

Ere-ioubé? Venisti ne?

Gallus.

Pa-aiout, Sic est, veni.

T.

Teh! auge, ny-po, Benè dixisti.
Mara-pê-dérérê? Quomodo vocaris?

G.

Lery-oussou, Ostrea magna.

Cognomen authoris lingua Americana.

T.

Eré-iacasso pienc? Patriam ergo reliquisti vt hîc deinceps habitares?

G.

Pa, Ita est.

T.

Eori-decretani ouani repiac. Adesdum igitur, & locum habitationis tuæ circumspice.

G.

Auge-bé, Bene est.

T.

I-endê rêpiac? aout I-endérêpiac aout é ébéraire Teh! Oouéreté Tenoy Lery-oussou ymé en!
Ecce igitur, fili mi, venit in has regiones nostri memor, papæ?

Ererou de caramemo? Attuliſtine capſas? Eo verò nomine comprehendimus quidquid includendis omnis generis veſtimentis aptum eſt.

Caramémo arcæ, aliáque vaſa.

G.

Pà arout. Etiam, attuli.

T.

Mobouy? Quot?

Quotquot habueris vſque ad numerum quinque, verbis notare poteris, hoc modo. *Augépé*, 1. *mocouein*, 2. *moſſaput*, 3. *oioicoudic*, 4. *ecoinbo*, 5. Si duas tãtùm habes, quatuor numerare nõ oportet. Satis enim erit ſi dixeris tria *mocouein*. Si quatuor habueris ſic dices *oioicoudic*. Et ſic de reliquis. At verò ſi quinarium numerum excedant, numerum quem voles totidem digitis tuis, aut ſi non ſufficiunt, ſociorum qui tibi adſtant indicare poteris: Non enim habent aliam numerandi rationem.

T.

Maé pérérout, de caramémo poupé? Quid in capſis attuliſti?

G.

Veſtimenta.

A-aub. Veſtimenta.

T.

Maravaé? Cuius coloris?

G.

Colores.

Sobouy-été. Cærulei.
Pirenk. Rubei.
Ioup. Lutei.
Son. Nigri.
Sobouy, maſſou. Viridis.
Pirienlz. Variorum colorum.
Pegaſſou-aué. Coloris columbini.
Tin. Albi. Et de induſiis intelligitur.

T.

T.

Maé pámo? Quid prætereà?

G.

Acang aubé-roupé, Galeros.

T.

Seta-pe? Multos?

G.

Icatoupaué. Innumeros.

Galeri.

T.

Aipogno? Id ne totum eſt?

G.

Erimen. Minimè.

T.

Eſſe non bat. Omnia nomina.

G.

Corómo. Expecta paululum.

T.

Neïn. Age igitur.

C.

Mocap, ſeu, *Mororocap*. Ignea tormenta, Catapultas vtriuſque generis: Nam *Mocap* omne genus tormẽti ſignificat: maiora etiam quæ nauibus imponuntur ad repellendos piratarum inſultus. Pronunciant autem aliquando per B. & In ſcribendo, ſi fieri poſſet, intermiſcendę eſſent M. & B.

Tormenta bellica.

Mocap-coui. Attuli etiam puluerem igneum.

puluis pyroides.

Mocap-couiourou. Cornua & alia inſtrumenta ad puluerem includendum.

Inſtrumenta ad puluerem contiņendũ.

T.

Mara vaé? Cuiuſmodi ſunt?

G.

Tapirouſſou-ak, E cornu bonis conflata.

T.

Augé-gatou-tégué. Optime dictum.

Maepé ſepouyt rem? Quid tibi numerabitur pro

ea res?

G.

Arouri. Ea instrumenta tantùm attuli, quasi dicas, nolo tam citò vendere.

T.

Iuteriectio.

Hé! Interiectio est, qua vtuntur dum quis eos alloquitur, quasi respondere velint, Libenter? Et tamen quiescunt, ne importuni videantur.

G.

Arrou-ita ygapem. Cultros ferreos attuli.

T.

Naoepiac-icho pén é? Nunquid eos videbo?

G.

Bégoé irem. Quando erit otium.

T.

Falces.

Néréroúpe guya-pat? Nunquid falces attulisti?

G.

Arrout. Attuli.

T.

Igatou-pé? Sunt ne pulchræ?

G.

Guiapar été. Eximiæ sunt.

T.

Aua-pomoguen? Quis eas fabricauit?

G.

Pagé-ouassou remymognén. Ille qui tibi notus est, cuiúsque nomen tale est, eas fabricauit.

T.

Augé-terah. Id bene se habet.

T.

Acêpiati-mo-mên. Papæ? Libenter eas viderem.

G.

Karamoussee, Alio tempore id fiet.

T.

Tâcépiah taugé. Iam iam videam.

G.

G.

Eémbereingué.Expecta adhuc.

T.

Eréroupé itaxé amo? Attulisti ne cultros?

G.

Arroureta.Plerosque attuli.

T.

Secouãrantin vaé? Sunt me cultri capulo diuiso?

G.

En-en.non.*Ivetin*.Albo capulo,
Taxe miri. paruos cultros.
Pinda,hamos.*Moutemouton*, Subulas, *Arrouã*. Specula.*Kuap*,pectines.*Moúrobouyé te*,Armillas cæruleas.*Cepiah yponeum*.Cuiusmodi hîc non extant.Eæque pulcherrimæ sunt inter eas quas hîc vidimus ab eo tempore quo adferri cœperunt.

hami,subulæ,specula, pectines, armillas.

T.

Easo-ia voh de caramemo t'acepiah de maé.Aperi arcam vt tua bona intuear.

G.

Aimossaénen.Occupatus sum.
Acépiag-oucairen desue? Alio die aperiam ad te veniens.

T.

N'ârour ichop' Irémmaé desue? Nonne aliquando ad te bona adferam?

G.

Mae'pererou potat? Quidnam vis adferre?

T.

Sceh dé,Nescio. Quid tu?
Maé peréipotat? Quid vis?

T.

Soô.feras.*Oura*.Aues. *Pira*.pisces.*Ouy*. farinam. *Tetic*.rapas.*Cõmenda-ouassou*.Magnas fabas.*Commendamiri*.fabas paruas. *Morgouia ouassou*. aurea

bestiæ,aues, pisces, farina,rapæ,fabę,Mala aurea & citra.

& citrea mala. *Mae tirouén.* Omnes denique aut plerasque res.

T.

Mara-vaé ſóo éréiuſceh? Cuius generis animal comedere aues?

G.

N acépiah quevon-gouaaíre. Nolo ea comedere quæ hîc proueniunt.

T.

Aaſſenon deſuoe Ea tibi nominabo.

G.

N ein. Age vero.

T.

Tapiroųſſou quale animal.

T apirouſſou. Fera quam ſic vocant, quam ſemi aſinum aut ſemi vaccam dicere poſſis?

genus cerno rum ac Damarum.

Sé-ouaſſou. Genus cerui ac Damæ.

Aper.

T aįaſou. Aper.

Agouti.

Agouti. Rufum animalculum nefrendis magnitudine.

Pague.

Pague. Fera eſt magnitudine nefrendis, nigro & albo colore diſtincta.

Tapiti.

T apiti. Genus leporis.

G.

Eſſe non ooca ychesue. Nomina mihi aues.

T.

Magnę aues trium generum.

Iacou. eſt auis caponis magnitudine. Eius autẽ tres ſunt ſpecies, Nempe *I acoutin*, *I acoupem*, & *I acou-ouaſſou:* boni guſt⁹ omẽs inter cęteras aues.

Mouton. Sylueſter pauo. Sunt autem nigri & Leucopæi, & corpus adeo magnum habent ac noſtri, auis rara.

Genus magnarum perdicum.

Mocacoua. eſt genus perdicis quæ corpus magnitudine caponis habet.

Ynambou- ouaſſou. eſt etiam perdix fera alterius magnitudinem æquans.

Ynambou. Perdix eſt non multum ab iis diſtans,

quas, in Gallia videmus. *Pegassou.* Turtur. *Paicauc,* Aliud genus turturis minoris.

Turtures.

G.

Seta-pé-pira senaé? Est ne magnus bonorum piscium numerus?

T.

Nan. Tot sunt.
Kurema. Mulus.
Parati. Mulus altero melior.

Aaara-pep. Piscis planus delicatior aliis.

Atrara bouten. Alius lutei coloris, qui minoris est pretij.

Atrara-meri. Maximè parui qui in dulci aqua viuunt, boníque gustus sunt.

Ouara. Magnus piscis boni saporis.

Kamouroupouy-ouassou. Magnus piscis.

G.

Mamo-pe-dérétam? Vbinam degis?

T.

Kariauh, ora-ouassou-onêe. Iaueu-ur assic? pira-cam, opem, Eiraia itanem, taracouir-apã, Sarapo-u. Sunt nomina propria virorum qui Ganabarã sinũ ingredientibus ad sinistrum latus apparent, nec mihi commodè explicari posse videntur.

Vici circa ripas Ganabaræ.

Keri-u Ahara-u Kouroumouré, *Ita-auh, Ioira-rouem.* Vici in ripa eiusdem fluuij ad latus dextrum.

Maiores vici in continenti ex vtroque latere hi sunt.

Sacouarr-oussou-tuue, Ocarentin, Sa popem, Nouroucuue, Arasa tuue, Vsu-potiue. Ac multi alij qui ab iis qui cum indigenis commercium habuerunt, cognosci poterunt & à patribus familiàs, quos falsò reges vocant, qui in illis vicis habitant.

G.

Môbouy-pé toupicha gatou heuou? Quot magnî sunt in his regionibus, hoc est, fortes?

T.

Séta-gué. Multi sunt.

G.

Essenon auge pequoube ychesue, Nomina mihi aliquem.

T.

Nân. Vocabulum ad reddendum eum attentum cui vis aliquid dicere.

Eapira-ui ioup. Nomen proprium hominis quod nomẽ sic exponas, caput semi caluum, & pilo admodum raro.

G.

Mamo pé se tam? Vbi habitat?

T.

Kariauh-bè. nomen compositum.

Kariauh-bè, In vico quem ita appellant est autem nomen fluminis cuiusdam à quo nomẽ vicus sortitur, quia ad eum situs est. Significat autem *Karios* domum. Componitur autem ex voce *Karios*, & *auh* quæ domum significat extrahendo *os* & addendo *auh* erit. *Kariauh. Be*, autem est articulus ablatiui & significat locum quem petis aut in quem proficisceris.

T.

Custos medicinæ aut fœmina Cacodęmone obsessa.

Mossen ygérre. Quod significat custodem medicinarum, aut ad quem medicinæ pertinent. Eo vero vocabulo vtuntur quum mulierã veneficam designare aut à Cacodæmone agitatam. Nam *Mossen*, est medicina, *gerre* proprietas.

T.

Ourauh oussou auh arentin. Vici illius maxima penna.

T.

T.

Tau-couar-oussou-tuue-gouare. In quo cannæ instar magnarum arundinum leguntur.

T.

Ou-acan. Pręcipuus locus eius vici, quod significat caput ipsorum.

T.

Soouar-oussou. Folium ab arbore collapsum.

Diuersarum rerum nomina.

T.

Morgouia-ouassou. Ingens malum citreum aut aureum, Sic vocatur.

T.

Maé du. Est flamma ignis.

T.

Maraca-ouassou. Magnum tintinabulum.

Tintinabulum.

T.

Mae-uocep. Res quæ partim emersit è terra, aut ex aliquo loco.

T.

Kariau piarre. Via quæ ducit ad carios. Sunt vero ipsi præcipui inter eos qui fluuium Ganabarum incolunt.

T.

Che-rorup-gatou, derour-ari. Maxime gaudeo te venisse.

Nein téréico, pai Nicolas iron. Mane vero cum domino Nicolao, sic nominabant Villagagnonem.

pai Nicolas Villagegnō.

Neréroupé déré miceco? Adduxisti ne vxorem?

Miceco vxor.

G.

Arrout-iran-chereco augernie. Adducam quum expedita erunt negotia mea.

T.

Marape derecouran? Quid tibi est negotij?

G.

Cher auc-ouam. Domus ad habitādum parāda est.

Domus.

T.

Mara-vae-auh? Quod genus domus?

G.

Seth, Daé-ehereco-rem-eouap-rengué. Nondum ſcio quid ſim facturus.

T.

Mein tereicouap derecorem. Cogita ergo quid ſit faciendum.

G.

Peretam-repiah-iréé. Poſtquã veſtram regionem videro & aliquandiu commoratus fuero.

T.

N'éréico-icho pe deauem a irom? Nónne cum tuis, hoc eſt cum popularibus tuis habitabis?

G.

Maraui-amo-pé? Cur illud petis?

T.

Aipo-que. Non ſine cauſa dico:

Che poutoupa-gue déri. Id me male habet, quaſi dicas, id ſcire cupio.

G.

Princeps aut ſenex,

N'énpé amotareum-pe oreroubicheh: Nũquid primarium noſtrum ſiue ſenem odio habetis?

T.

Erymen. Minimè verò.

Sérécogatou pouyr eím été mo? Niſi res eſſet maxima cura digna, dicendum eſſet.

G.

Sé couaé apoau-e eugat engatoureſme, yporere cogatou. Eſt mos boni parentis, vt quod amat diligenter conſeruet.

T.

Bellum.

N'ereſco-icho pirem ouariui? Nõne in bellum poſthac

hac es profecturus?

G.

Assoirénué. Aliquando proficiscar.

Mara-pé pérouagérré-réré? Quod est nomẽ vestris hostibus?

T.

Touaiat siue *Margaiat*. gẽs est quæ eadẽ est cum illis lingua: apud quam Lusitani habitant.

Ouetaca, Verè sunt barbari & degunt ad fluuium *Mach-he*, & *parai*.

Ouéaném. hi Barbari cæteros antecedũt, in syluis & montibus habitant.

Caraia. hi nobiliores sunt, atque etiam cibis, tum aliis rebus ad vitam necessariis præ cæteris omnibus abundant.

Karios. Est populus qui degit vltrà *Touaiare*. ad fluuium Platam cuius lingua eadem est cum Tououpinambaultiis & Tououpinenkin. Differentia idiomatis est inter eos quos supra nominauimus. Ac primùm quidem *Toupinambaultys toupinenlzin: Touuaiarre, Tenreminon. & Kario*. Fermè eandem habent linguam.

Karaia. Diuersam à reliquis habent & viuẽdi & loquendi rationem.

Ouetaca. Differunt ab vtrisque & viuẽdi & loquendi ratione.

Oueanem. hi etiam diuersum & victus & sermonis ab aliis modum habent.

Nomina hostium Tououpinam.

Ouetaca vbi habitent.

Cararia. Inter alios excellentes.

Affinitas ac differentia lingu inter Bras.

T.

Teh-oioah pœireca à paauné, iendéue.

Alius alium quærit, atque id magno nostro bono. Nã vox hęc *iende-ue*, est dualis quo Græci vtũtur cum de duobus fit sermo: hic tamen resoluitur voce nobis.

Modus loquendi.

Ty ierob ah apóau ari. Exultemus quòd nos homines inuisunt.

Apóau ae mae gerre, iendesue. Gens est nostri cõmodi studiosa, quæ nobis bona sua largitur.

Tyréco-gatou iendesue. Diligenter eã conseruemus, hoc est, eã ita excipiamꝰ vt ipsi satisfaciamus.

Iporenc été-am reco iendesue. Præclara se nobis res offert.

Tymaran gatou apoau-apé. huic populo nos dedamus.

Tymomourrou, mé mae gerre iendesue. Ne iniuriam faciamus Genti quæ sua bona nobis affert.

Typoich apoaue iendesue. Suppeditemus eis cibos ad viuendum.

Typoeraca apoaué. Laboremus vt prędam pro ipsis venemur. Vox *yporraca*, præcipuè de piscium venatione intelligitur, sed eam ad alia etiam genera extendunt.

Tyrrout mae-tyronam ani apé, adferamus illis quidquid inuenire poterimus.

Tyre comremoich-meiende-mae recou ssa-ue. Ne illos male excipiamus qui nobis adferunt bona sua.

Pé-peroinh auu-mecharaire oueh. Ne mali sitis pueri mei.

Tapéré coih mae. Vt bona consequamini.

Tœrecoih peraire amo. Et vestri etiam liberi.

Nyrecoih ienderamouyn maé pouaire. Nulla bona habemus ab auis nostris.

O pap cheramouyn mae-pouaire aitih. Quæcũque mihi auus reliquerat proieci.

Apoau maé ry oi ierobiah. Magni æstimans ea bona quæ nobis afferuntur.

Ienderamouyn remiẽ piae potategue aou-aire. Quæ cùm nostri videre optassent nec tamẽ viderunt.

Teh!

Teh!oip otarhété ienderamouyn recohiare ete,iẽdesue. Id bene eſt,quanta potior noſtra conditio patrum noſtrorum conditione?

Iendé porrau-ouſſou vocare. Id nobis triſtitiam omnem eximit.

Iende-co-ouaſſou-gerre. Id efficit vt magnos hortos habeamus.

En ſaſſi piram,iendere mêmynon apê. Non amplius dolent pueruli noſtri quum tondentur.

Tyre coih apouau,ienderoua-gerre ari. Hos nobiſcum contra hoſtes deducamus.

Toere coih mocap, ó maé-aé. Habeant catapultas,quod genus armorum ſibi vendicant.

Mara-mo ſentén gatou-euin-amo. Cur non eſſent ſtrenui?

Memé-taé morerobiarem. Eſt gens impauida.

Ty ſenenc apouau,maram-iende-iron. Ex periamur ipſorum vires dum nobiſcum erunt.

Ménré-taé moreroar roupiare. Illi ſunt qui debellant alios,Id eſt,Luſitanos.

Agne-he oueh. Quaſi diceret, quidquid dixi verum eſt.

T.

N ein-tya-moueta iéndéré caſſariri. Colloquamur de iis qui nos inuiſunt.Quod in bonam partem eſt accipiendum.

G.

N ein-che atour-aſſauep age igitur mi ſocie:hic verò notandum eſt voces *Atour-aſſap* & *Cotouaſſap*, differre. Nam prior ſignificat perfectum fœdus inter eos ac nos pactũ eſſe,quo fit vt bona ſint communia. cuius Filiã aut ſororem ducere in vxorem non poſſumus: Non ita vero de Coutouaſſap. ea.n.appellatione nominis alicuius vtũtur, vt tibiæ,oculi,auriculæ & alia pleraque eius gene

Differentia inter *Atour-aſſap*,& *Cotouaſſap*.

neris nomina.

T.

Maé-resse,iende moueta! De quibus loquemur?

Colloq.de variis rebus.

G.

Sceh macrouem-resse. De multis ac variis rebus.

T.

Mara-pieng vvah rere? Quomodo vocatur cœlum?

Cœlum, sol, Luna, stellæ, terra, mare, aqua dulcis & salsa.

G.

Cœlum.

T.

Cyh-rengne-tasseuouh maetirouem desue.

G.

Augebe, Rectè.

T.

Mah. Cœlum *Couarassi.* Sol. *Iasce,* Luna, *Iassi tata ouassou.* Stella matutina & vespertina quæ Lucifer vocatur. *Iassi-tata-miri.* Aliæ omnes stellæ paruæ. Y*bouy,* terra. *Poirauem.* Mare. *Vh-ete.* aqua dulcis. *Vh-éen.* aqua salsa. *Vh-een buh*k. aquæ quas nautæ vocant Sommaque.

T.

Ita, petra, metallum & domus fund.

Ita. proprie lapis est, accipitur etiam pro quolibet metallo & ædificii fundamento vt *ach ita,* domus columna.

Y*apurr-ita.* fastigium domus.

Omne genus lignorum.

Iura-ita. trabes domus.

Igourah seu *y bouirah.* omne genus lignorum.

Ourapat arcus.

Ourapat. arcus, & quamuis nomen sit compositũ ex ybouyrah, quod est lignum & apat, vncũ. Tamen pronunciant *orapat* per syncopem.

Arre, aer. *arr aip.* Malus aër.

Amen. pluuia.

pluuia.

Amen poytou. tempestas pluuia ingruente.

Tonitru.

Toup-en. tonitru: toupen *Verap* est coruscatio.

Yarye

Yory-hu. Nubes aut brumæ. — Nubes.
Ybnet ure Montes. — Montes.
Quum. campeſtria loca vbi nulli montes. — Planities.

T.

Taue viri auh. Domus. *Vh-écouap* Fluuius decurrens. — Vici & fluuij.
Vh paou. Inſula. — Inſula.
Kaa, omne genus ſyluarum & nemorum. — Syluæ.
Kàa-paou. Eſt ſylua in media planitie.
Kaa-ouan. Qui in ſyluis educatus eſt.
Kaa-gerre. Cacodęmon eſt qui ipſos vehementer vexat. — *Kaa-gerre* Cacodæmon.
Ygat. Linter ex cortice arborum, triginta aut quadraginta homines ad bellum euntes capiens: accipitur etiam pro naui quam vocāt *yguerrouſſou.* — *ygal* Cymba.
Puiſſa-ouaſſou. Eſt rete piſcatorium. — Rete piſcatorium.
Inguea. Eſt magna Cymba ad piſcandum.
Inguéi. Diminutiuum, Cymba quæ vſui eſt cum fluuij exundant.

T.

Nomoquot, mae taſſe nomi déſue. Quæſo ne quid amplius nomines.
Emourbéou deretam icheſue. Iam de tua patria & habitatione diſſere.

G.

Augêbé derengué eporen doup. Bene eſt, primùm ergo interroga. — Colloq. de Gallia.

T.

Ia eh marape deretam-rere. hoc faciam. Quod eſt patriæ ac regioni tuæ nomen?

G.

Rothomagum. Vrbs quędam nominis.

T.

Tan ouſcou-pe-oum. Eſtne magnus vicus? Nullam ponunt differentiam inter vrbem & vicum: quia ipſi nullas habent vrbes.

G.

Pa. Sic eſt.

T.

Moboij-pe-perouhichah gatou? Quot habetis Dominos?

G.

Augé-pé. Vnicum.

T.

Mara-pe-ſere? Quod illi eſt nomen?

G.

Henricus.2. *Henry.* Tempore henrici ſecundi hæc nauigatio fuit ſuſcepta.

T.

Tére-porren c. Præclarum nomen eſt.
Mara-pé-peroubichan eta-euin? Cur non habetis plures Dominos?

G.

De principe ac ſubditis. *Moroéré-chih-gue.* Non plures habemus.
Ore ramouim-aue. A tẽporibus maiorũ noſtrorũ.

T.

Mara pienh-pee? Vos vero quid?

G.

Oroicôgué. Nos eo contenti ſumus.
Orée-mae-gerre. Et bene nobiſcum agitur.

T.

Epé noéré, coih-péroupichah-maé? Veſter autem princeps bona ne habet?

G.

Oerecouh. Infinita habet.
Oré-maé-gerre a hépé. Quidquid habemus in ipſius arbitrio poſitum eſt.

T.

Oriuij pe ogépé? In bellumne proficiſcitur?

G.

Pa. Ita.

T.

Colloq. de vrb. ac vicis. *Mobouy-taue-pe-iouca ny mae?* Quot vrbes aut vicos

cos habentis?

G.

Setà-gatou. Plures quàm poſsim dicere.

T.

N'ireſce nouih-ichopene? Nunquid mihi recenſebis?

G.

Ypo icopouy. Id nimis longum foret

T.

Yporrenc pe-peretani? Locus veſtræ originis eſtne pulcher?

G.

Yporren-gatou. Pulcherrimus.

T.

Eugaya-pe-per-auce. Veſtræ domus ſunt ne ſimiles noſtris?

G.

Oicoe-gatou. Multùm abeſt.

T.

Mera-vaé? Cuiuſmodi ſunt ergo?

G.

Ita-gepe. Sunt prorſus lapideæ.

T.

Tourouſſou-pe. Sunt ne magnę?

G.

Tourouſſou-gatou. Maximæ.

T.

Vate-gaton-pé. Súntne multùm excelſæ?

G.

Mahmo. Multùm. Id verò vocabulum admirantis eſt.

T.

Engaya-pe-pet-ancynim?. Interior pars accedítne ad ſimilitudinem noſtrarum?

G.

Erymen. Non.

T.

De rebus ad corpus ſpectantibus,

Eſce-non-de-rete renomdan eta-icheſué. Recita mihi ea quæ ad tuum corpus pertinent.

G.

Eſcendoup. Audi.

T.

I-eh. Paratus ſum.

Ché-acan. Caput meum. *De acan.* Caput tuũ. *Ycan*, Caput ſuum. *Oreacan.* Noſtrum caput. *Pé-acan*, Veſtrum caput. *An atcan.* Eorum caput Vt autem hæc pronomina melius intelligantur, perſonas ſingularis & pluralis numeri tantùm declarabo.

Primùm.

Ché. Eſt prima perſona ſingularis numeri, quæ in omni ſermonis genere, ſiue primitiuo ſiue deriuatiuo, poſſeſsiuo, aut alio denique inſeruit.
Ché-aué Caput meum aut capilli.
Ché-voua. Mea facies.
Che-nembi. Meæ aures.
Cheſshua. Mea frons.
Ché-reſſa. Mei oculi.
Ché-tin. Meus naſus.
Chè-iourou. Meum os.
Che-retoupaué. Meæ genæ.
Ché-redmua. Meum mentum.
Ché-redmua-aué. Mea barba.
Ché-ape-cou. Mea lingua.
Ché-ram. Mei dentes.
Ché-aioeué. Meum collum, aut mea gula.

Ché-aſſeoc.

Ché-asseoc. Meum guttur.
Ché-poca. Meum pectus.
Ché-rocapé. Mea pars anterior.
Ché-atoucoupé. Mea pars posterior.
Ché-pouy-assöo. Mea spina.
Ché-rousbony. Mei renes.
Ché-reuiré. Meæ nates.
Ché-inuanpony. Mei humeri.
Ché-inua. Mea brachia.
Ché-papouy. Meus pugnus.
Ché-po. Mea manus.
Ché-poneu. Mei digiti.
Ché-puyac. Stomachus meus aut iecur.
Ché-reguie. Venter meus.
Ché-pourou-asseu. Vmbilicus meus.
Ché-cam. Mammæ meæ.
Ché-oup. Coxæ meæ.
Ché-roduponam. Genua mea.
Ché-porace. Cubiti mei.
Ché-retemeu. Tibiæ meæ.
Ché-pouy. Pedes mei.
Ché-pussempé. Vngues pedum meorum.
Ché-ponampe. Vngues mearum manuum.
Che-guy-encg. Cor meum & pulmo.
Ché-encg. Anima mea aut mens.
Ché enc gouere. Anima mea postquam è corpore exijt.

Nomina partium corporis pudendarum.

Ché-rencouem.
Ché-rementien.
Ché-rapoupit.

Quæ quidem breuitatis causa non fusiũs persequar. Notandũ verò est, nomina rerum accõmodari non posse nisi pronomina primæ, secundæ, ac tertiæ personæ vtriusque numeri attribuãtur.

Vt autem meliùs capiantur, hoc sit exemplum.

Primo.

Che, Ego, *De*, tu. *Ahe*, Ille.

Plurales.

Oree, Nos. *Peè*, Vos. *Au-ae*, Illi.

Quòd ad tertiam perſonã *ahe*. eſt maſculinum. Et pro fœminino & neutro *aè* ſine aſpiratione. Et in plurali *Au-ae*, eſt maſculini ac fœminini generis, & proinde communis.

De rebus ad domum & culinam pertinentibus.

De rebus ad familiã ſpectantibus.

Emiredu-tata. Accende ignem.
Emo-goep-tata. Extingue ignem.
Erout-che-rata-rem, adfer fomites ad ignem ſuſcitandum.
Emogi-pira, piſces coque.
Eſſeſſit. Torre.
Emoui. Elixa.
Fa-vecu-óuy-amo. Fac farinam.
Emogip-caouin-amo. Compone potum.
Coein vpé. Vade ad fontem.
Erout-v-icheſue. adfer mihi aquam.
Ché-renni augepe. Da mihi potum.
Quere me che-remyou-recoap. Veni vt mihi cibũ præbeas.
Taie-poeh. Manus meas lauem.
Tae-iourou-eh. Abluam os meum.
Ché-embouaſſi. Efurio.
Nam che iourou-eh. Non eſurio.
Ehe-vſſeh. Sitio.
Chè-reaic. Caleo, Sudo.
Ché-rou. Frigeo.
Ché racoup. Febricito.
Ché-carouc-aſſi. Triſtis ſum.
Carouc tamen veſperam ſignificat.
Aicoteue. Me res quædam excruciat.

Che-

Che poura-oussoup. Pesimè agitur mecum.
Chero emp. Lætus sum.
Aico memouoch. Ludibrio expositus sum.
Aico-gatou. Res mihi cedunt ex sententia.
Che-remiac-oussou. Meum manc ipium.
Chere miboye. Meus seruus.
Che-roiac. Qui sunt minores me & ad mihi ministrandum nati.
Che-porracassare. Piscatores mei.
Ché-mae. Bona mea, merces, suppellex. Denique quidquid meum est.
Chê-rémigmognem. Est industriæ meæ.
Ché-rere-couarré Meus custos.
Ché roubichac. Qui est maior me, quem nos Regem nostrum, ducem, principem denique vocamus.
Moussacat. Est bonus paterfamiliâs qui peregrinos viatores excipit.
Querre-muhau. Potens in bello, & in quadam re perficienda strenuus.
Tenten. Qui videtur in bello, aut in alia re fortis.
Ché-roup. Pater meus.
Che-requeyt. Meus frater natu maior.

De progenie.

Ché-rebure. Minor natu.
Ché-renadire. Mea soror.
Ché-reue. Filius sororis meæ.
Ché-tipet. Filia sororis meæ.
Ché-aiché. Amita.
Ai. Mater mea Dicũt etiam *Ché-si*, Mater mea: & sępe quidam dum loquuntur de ipsa.
Ché-sut. Socia matris meæ, quæ patris etiam est vxor..
Ché rayt. Mea fila.
Chéremememynou. Filij filiorum meorum & filiarũ.

Notandum est auunculum nomine patris vocari & patrem nepotes & neptes suos filios ac filias appellare.

Verbũ apud grãmatices.

QuodGrammatici nostri verbum nominant apud Brasilienses dicitur *guengaue*, quod idem est ac loquendi modus. Vt autem aliquam eius rei notitiam habeamus, exemplum in medium proferemus.

Primum.

Singular. Indicat. aut demonstrat.

Aico, Sum. *Ereico*, Es. *Oico*, est.

Pluralis.

Oreico, Sumus. *Peico*, estis *Auraé oico*, Sunt.

Tertia persona singularis & pluralis similes sunt, nisi quòd in tertia *an aé* pluralis numeri pronomen est addendum quod significat, Illi, vt apparet in præterito imperfecto numeri singularis, quod resoluitur per aduerbium *aquoémé*. Id est eo tempore.

Aico-aquoémé, Tunc eram.
Ereîco-aquoémé, Tunc eras.
Oico aquoémé, Tunc erat.

Plus imperfectum.

Oroico aquoémé, Tunc eramus.
Peico aquoémé, Tunc eratis.
Aurae-oico-aquoémẽ. Tunc erant.

Pro præterito perfecto.

Singularis.

Accipiemus verbum, *Oico*, vt ante & hoc aduerbium *Aquoé-méné*, quod est temporis, præteriti & plusquàm perfecti.

Exemplum.

Assauoussou-gatou-aquoéméné, Eum perfectè amaui eo tempore. *Quo-uénén-gatou-tégné*, Nũc vero nullo modo quasi dicas debebat amicitiam meã colere

colere quando ipſum amabam.

Pro futuro. *Aco-iren*, Ero in poſterum. Et ita deinceps de ſingulis perſonis tam ſing. quã plur.

In Imperatiuo.

Oico, Sis. *Toico*. ſit.

Plurali.

Toroico, Simus, *Tapeico*. Sitis.

Aurae-toico, Sint. Pro futuro vero addere oportet, *Irén*, vt ante. Et Imperando pro pręſe ti dicẽdum eſt, *Taugé*, quod eſt, Statim.

Pro optatiuo.

Aico-mo-men. Quã libẽter eſſẽ. Et ſic deinceps.

Optatiuum reſoluimus per aduerbium *Iron*.

Exemplum.

Taico-de-iron, Tecum ſim, & ſic deinceps.

Participium.

Chéré-coruré. Ens. Quod participium rectè per ſe intelligi non poteſt niſi addatur pronomen *de-ahe-et-aé*. Pluralis quoque *Oreé, pée, an-aé*.

Vox indefinita pro infinito accipi poteſt. Sed ea raro vtuntur.

Coniugatio verbi *Aiout* Exemplum Indicatiui aut demonſtratiui in præſenti tempore.

Singularis numerus.

Aiout. Venio, aut veni.

Ere-iout. Venis, aut veniſti.

O-out. Venit, aut venit.

Plural. numerus.

Ore-iout. Venitis, aut veniſtis.

An-ae-o out. Veniunt, aut venerunt.

In aliis temporibus accipere debemus aduerbia quæ pòſt declarabimus. Nullum enim verbũ coniugatur quin per aduerbium reſoluatur, tũ in pręterito, præſenti imperfecto, pluſquã perfecto, Indefinito & futuro.

Exemplum præteriti nondum perfecti.

Aiout-agouéme. Tunc veniebam.

Exemplum præteriti imperfecti & perfecti.

Aiout-agouéméné. Veni, aut veneram eo tempore.

Aiout dimaé-né. Longum tempus elapſum eſt à quo veni.

Quæ tempora potiùs indefinita ſunt cenſenda.

Exemplum futuri.

Aiout-Iran-né. Veniam certa die. Poſſumus etiam dicere *Iran*. quamuis non addatur *né*.

Notandum eſt etiam quòd dum adduntur aduerbia, perſonæ repetendę ſunt, vt ſic in præſenti indicatiui & demonſtratiui.

Exemplum Imperatiui ſingularis numeri.

Eori. Veni: habet tantùm ſecundam perſonam.

Eyot. Nam in hac lingua non poſſumus imperare tertiæ perſonæ, quam non videmus. Poſſumus quidem dicere.

Emo-out. Fac vt veniat.

Pluralis numeri.

Pe-ori. Venite.

Pe-iot. Venite.

Soni.

Eiot & *pe-iot*, Similem ſenſum habent, ſed prior,

eiot,

eiot, honestius est inter homines, quoniam vltimus *Pe-iot*, vsurpatur in vocandis bestiis & auibus quas domi alunt.

Exemplum optatiui: tamen videtur imperare.

Singula.

Aiout mo. Libenter venissem. Et sic de cęteris personis vt in Indicatiuo: habet tempus futurum addito aduerbio.

Exemplum coniunctiui.

Ta-iout. Veniam.

Sed ad implendam significationem addenda est hæc vox *N ein*. quæ est aduerbium exhortandi, imperandi, orandi, & incitandi. Verbum hoc indicatiuo caret: attamen ab eo formatur participium.

Tovvme. Veniens.

Exemplum.

Che-rourmé-Assoua-nitin.

Ché-remiéreco pouére.

Vt veniens inuêni quod aliâs perdideram.

Senoyt-pe. Hirudo.

Inuby-a. Cornua lignea quibus barbari sonitus cient.

FINIS COLLOQVII.

Insuper vt faciliùs iudicium de rebus à nobis in hac historia commemoratis ferre possint tum ii quibuscum eundo, ac redeundo nauigaui, tum ij omnes qui me in America viderunt,(è quibus non paucos superstites esse credo) ipsíque adeò nautæ, aliíque qui vel tantillum ad Sinum *Ganabara* sub Capricorni Tropico vixerunt: In eorum gratiam colloquio catalogum hunc, qui nomina pagorum 22. ad quos non semel obertraui adiungere visum est.

Pagi 22. quos in America peragrauit Autor.

Ac primùm quidem hæc sunt eorum nomina qui siti sunt ad dexteram, ingredienti sinum illum. *Cariauc.* 1. *Yaboraci.* 2. Quorum postremum Galli Pepinum nominabant, de nauarchi cuiusdam nomine, qui nauem aliquando ad eum pagum onerarat.

Euramyry. 3. A Gallis Gosset nominatur de interpretis cuiusdam nomine, qui aliquandiu ibi habitarat.

Pira-ouassou. 4. *Sapopem.* 5. *Ocarentin*, pagus amoenissimus. 6. *Oura ouassououeé.* 7. *Tentimen.* 8. *Cotiua.* 9. *Pauo.* 10. *Sarigoy.* 11.

Alium præterea Galli petram vocant, ob rupeculam à mola non absimilem, quæ syluam ingredientibus iter ad istum pagum indicabat. 12. Alium quoque Galli *Vpee* nominant de Indicarum gallinarum nomine, quas Barbari *Vpec* nuncupant.

Alium

Alium præterea sagittarum vicum appellabamus, quòd cum primùm ad eum iter faceremus, in syluam ingressi, sagittas multas ad procerissimæ cuiusdam arboris putrefactæ cacumen emissas defixeramus, quę in posterum indicis vices nobis præstarent. 14.

Qui ad dexteram.

Keri-u. 15. *Acara-u.* 16. *Morgouia-ouassou.* 17.

Qui in Insulam magnam.

Pindo-oussou. 18. *Corouque.* 19. *Pirauijou* 20. Alius præterea, cuius nomen mihi excidit situs inter *Pindo-oussou*, & *Pirauijou*, ad quem in quibusdam captiuis emendis operam posui. 21.

Alius quoque inter *Carouque* & *Pindo-oussou*, cuius etiam appellatio non occurrit 22.

Quæ sit tum pagorum, tum ædium forma alibi demonstrauimus.

CAP. XXI.

De nostro ab America discessu: déque naufragijs & alijs non minimis periculis, quæ primùm in reditu nostro euasimus.

VERAM discessus nostri ab America causam si quis intelligere cupit, in memoriam sibi id reuocet necesse est quod suprà Cap. VI. sub finem retulimus. Nos nimirum postquã menses octo in Insula quam occuparat Villagagno, viximus (quos ad Idololatriam vi adigere non poterat) ab eo post suam à veræ religionis defectionem eiectos fuisse. Itaque in continentem secessimus, ad sinistram Ganabaræ sinum ingredientibus, ad eum locum quem nos *la briqueterie* nuncupamus, qui ab Castello Collignio passibus. M. distat. Ibi menses duos in tuguriolis quibusdã à Gallis piscatum euntibus olim extructis degimus. Per illud tẽpus Chappellęus & Boissius quos apud Villagagnonem reliqueramus ad nos veniunt, eandem ob causam eum deserentes ob quam nos ab illo discessionem feceramus: quòd nimirùm ab Euangelio defecisset. Duo verò illi in nostrum sunt adscripti numerum qui naulum sexcentenarum Gallicarum libellarum, vnà cum aliquanta commeatus copia cum nauclero, cuius naui transportati sumus,

Lateritia, locus in America.

Chappellęus & Boissius cur à Villagagnone abscedunt.

mus,pacti eramus.

Verùm antequam vlteriùs progrediar, id eſt à nobis dicendum quod anteà nos dicturos recepimus,nimirum quo ſe geſſerit modo in nobis dimittendis Villagagno. Legati regij nomen prę ſe ferebat,munúſque obibat in illis regionibus: Quare Gallorum qui eò veniebant nullus quidquam contra illius nutum adgredi auſus erat. Ille igitur tantiſper dum nauis qua reuecti fuimus in anchoris ſtabat ad Ganabaræ ſinum,quo in loco onerabatur,ex ſcripto nobis abeũdi poteſtatem facit,& literas dat ad nauarchum,quibus illi ſignificat ne cunctaretur nos naui deportare, id quidem illi per ſe licere: nam (inquiebat fraudulẽter) quàm gratus fuit mihi olim eorum aduentus,quo me id aſſequutum eſſe rebar quod optabam, eorum diſceſſione tam delector, quando mecum non conſentiunt. Qua ſpecie inſidias nobis clam ſtruxerat. Arculam enim cerata tela obuolutam (qui mos eſt ab nauigantibus receptus)epiſtolis plenã, quas ad familiares ſcribebat,eidem nauarcho tradit:quibus dicam in nos conſcriptam clã interſerit,qua primo quoque obuio regio Iudici vt in nos manus conijciat,ignique addicat' edicit,vtpote hæreſeos criminis reos à ſe peractos. Atque ita merita noſtra in ſe collata Villagagno indigniſſima perfidia veluti obſignauit. Quam tamen (vt mox dicetur)in cõtrarium Deus conuertit euentum: maximo enim noſtro ſolatio, Villagagnonis verò

Villagagnonis indigniſſima perfidia.

ignominiæ cessit.

Tandem Prid. Nonas Ianuarij Anno 1558. nauem nostram, Iacobæam nomine, brasilio, pipere Indico, gossipio, cercopithecis, Saguinis, psittacis, alijsque id genus quæ iampridem plerique nostrum, sibi compararãt, oneratam conscendimus. Sed antequam è portu soluamus prætermittere nolo, vt magis ac magis pateat Villagagnonem vnum impedimento fuisse quominus Galli regionem illam tenuerint, Faribæum quendam nomine, Rothomagensem, nauis nostræ præfectum nauigationem illam suscepisse religiosi nominis procerum rogatu, vt terram illam exploraret, atque habitationi idoneum locum deligeret. Ac sanè is nobis significauit, nisi Villagagnonis defectio obstitisset, vltra octingenta hominum capita lõgis belgicis nauibus eò nauigatura mox fuisse. Ego verò facile credo, si Villagagno constanter in proposito perseuerasset è Gallia vltra capitum decem millia eo commigratura fuisse, quæ & Insulam nostram ab Lusitanorum insultibus propugnassent (qua tamen non multò post discessum nostrum sunt potiti) amplissimósque ac fertilissimos agros sub regia autoritate in America incolerent. Quæ terra si id cõtigisset, Antarcticæ Galliæ nomen quod inditum fuerat, merito retinuisset.

Villagagnonis à vera religione defectio in causa est cur a Gallis America non sit occupata.

Sed vt ad rem, eodem ipso die, nimirum Prid. Non. Ian. soluimus, ac Deo duce, vasto illi Occidentali Oceano rursum nos committ-

mittimus. Recensione facta, capitum numerus ad quadraginta quinque est inuêtus. Nauigium enim quo vehebamur oneraria erat nauis mediocris, cuius Nauarchus, nomine Baudouinus, de quo antè facta est mentio, nautas vigintiquinq; habebat, nos verò quindecim eramus. Nauigationem porrò illam nonnisi imminentis periculi cum formidine suscipimus: enimuerò plerique nostrûm ob infinitos quos intereundum exantlauerant labores, nisi adeò iniquus nobis fuisset Villagagno, vt in Galliam remigrarent nunquam adduci potuissent: tum quòd sincerè Deum illic colere liceret, tum etiam soli fertilitate experta: quarum rerum in Gallia tum erat, atque est etiamnum longè maior difficultas. Hinc fit vt ego, qui Patriam meam semper amaui atque amo, Americę valedicturus, hoc loco fateri cogar, me non rarò Americanorum consortij teneri desiderio, apud quos integritatem ac synceritatem maiorem sum expertus quàm apud nostrates plerosque Christianum nomen præ se ferentes. Iam enim apud nos fides nulla superest, résque adeò nostra tota Italica facta est, inque dissimulationibus, atque verbis inanibus posita.

Qua die ab America discesserimus.

At quoniam ipso nauigationis nostrę initio Breuia erant nobis transmittenda, (sunt autem scopuliq; arenæ permixti) quæ in mare ad LX. passl. Mill. porriguntur, quæ etiã quàm longissimè possunt fugiunt nautę, vento non satis ad altum tenendum secundo, vt tã graue

Breuia.

declinaremus periculum retrò cedere prope-modum coacti fuimus. Attamen postquam totos ſeptem dies fluctibus agitati oberrauimus, nec multùm promouimus circa mediam noctem accidit nobis vt nautis pro more alternatim aquam è ſentina ὑδραύλῳ haurientibus quamuis diu multúmque in illo perſtitiſſent labore eã tamen exhaurire nuſquam potuerunt. Nauclerus noſter rem illam admiratus ad ſentinam deſcendit, quidnam rei illud eſſet ſciſcitaturus. Nauem rimoſam atque adeò aquis oppletam, vt iam paulatim demergi eam perſentiremus, comperit. Quare, minimè quærendum arbitror, vtrum ſingulis noſtrûm expergefactis vbi imminens illud periculum in quo verſabamur innotuit, vehementer perculſi fuerimus nec ne. Ac ſane, tam certum erat ſubmerſionis mox futuræ indiciũ, vt ſalutis ſpe omni abiecta, plerique iam mortem expectarent.

Imminens naufragium.

Veruntamen Deo ita prouidente quidam (in quibus eram) vitam ſuam quàm longiſſimè poſſent producere decernunt: ſéque colligunt, ac duobus ὑδραύλοις nauem ad horam vſque meridianam ſuſtentant hoc eſt duodecim horarum ſpatio, quo tanta abundãtia in nauem influxit quanta totis viribus à nobis potuit exhauriri. Immo cum braſilium quo erat nauis onuſta aqua attigiſſet, ſanguinem bubulum rubore referens è canalibus effluebat. Tantiſper igitur dum tãta cum diligẽtia, quantam res ipſa flagitabat, neruos omnes

con-

contendimus, ſecundo flante vento ad reditum in Barbarorum oram, quam (vt pote non multùm à nobis remotam) illius diei hora vndecima conſpeximus proram, eò conuertimus. Interea nautæ qui cum fabro lignario ſub foris erant rimulas quæ aquæ ingreſſum præſtabant luſtrantes, tã nauiter officio functi ſunt, vt lardo, plumbo, pãniculis, atque id genus aliis quæ illis non parcè nobis ſubminiſtrabantur, infeſtiſſimas quaſque obthurant: atque ita viribus iam deficientibus paulisper leuati fuimus. Attamen vbi faber lignarius nauem vndiquaque diligenter recognouit, aſſeruit eam (vt pote vetuſtam & vermibus eroſam) ad tantam nauigationem minime eſſe parem quanta erat ea cui iam nos accincti eramus: Autórque fuit, vt vnde exceſſeramus eò rediremus, ibíque vel nauem aliam è Gallia venturam opperiremur, vel nouam conderemus: de qua ſententia acerrimè eſt certatum. Nihilominus tamen vicit naucleri ſententia, qui veritus vt ſi litus repeteret, nautis deſtitueretur, malle ſe affirmauit, vitam ſuam ad omnes caſus obijcere (quæ erat illius amentia) quàm merciũ atque adeò nauis ipſius iacturam facere. Se quidem Philippo, alijſque quibus præerat, ſi ad Americã oram redire animus eſſet, ſcaphã ad eos vſus daturum eſſe. Ad quæ properè Philippus ſe quidem Galliam repetere decreuiſſe, atque ſuis omnibus vt idem facerent autorem eſſe reſpondit. Nauclerus verò alter excepit, na-

uigationem periculosissimã esse: ac præterea presentire se eam diuturniorem futurã quàm vulgò crederetur: ac proinde commeatum tot hominibus alendis non suffecturum. Quibus auditis ex vniuerso numero sex conuenimus, qui nauigationis pericula, ac præcipuè famem imminentem reformidantes Americanam oram à qua xx. tãtùm passuum millia aberamus, repetere statuimus.

Id consilium vt exequeremur, haud mora, sarcinas nostras in scapham coniicimus, quæ nobis data fuerat, cum farinæ exigua copia, atque aliquãtulo potu. Sed dum mutuo valedicentes bene alii aliis precaremur, quidam ex iis qui cum Philippo remanserant, summo quo me prosequebatur amore motus manũ mihi porrexit atque ita infit, obsecro te vt nobiscum remaneas, fac nos minimè in Galliã esse appulsuros, attamẽ longè maior affulget spes salutis, siue ad Prouinciam Peruensem, siue ad aliquam insulam appellamus, quàm si ad Villagagnonem reuertamur, apud quem (vt facilè est coniicere) quieti nunquam eritis. His permotus cum longiori orationi locus non daretur, ego relicta in scapha sarcinarum mearum bona parte in nauem rursus confestim conscendo, atque ita periculum summum (vt dicemus) ab amico illo sagaciter præuisum effugi. Quinque reliqui quorum nomina non sine causa hoc recensebo loco, Petrus Bordonius, Ioãnes Bordellus, Mathæus Vernellius, Andreas Fontanus,

Gallorum quinque in Americam reditus.

nus, Iacobus Ballæus, ægrè à nobis nec ſine lachrymis abſcedentes Americanam orã repetiere. Ad quam nonniſi maximo laborẽ tandem appulerunt, atque ad Villagagnonẽ redierunt, qui tres primo nominatos loco ob Euangelij confeſsionẽ morte adfecit, vti fuſiùs à nobis dicetur ſub finem iſtius hiſtoriæ.

Itaque rebus omnibus apparatis, vela damus rurſúmque mari nos committimus, putri ac vetuſta illa naui vecti in qua ceu in ſepulchro mortem potiùs quàm vitã operiebamur. Ac ſane præterquam quod maximo cũ labore Breuia illa tranſgreſsi ſumus, per totũ Ianuariũ menſem continuis procellis ac tẽpeſtatibus agitati fuimus, nauíſq; noſtra maximam aquæ copiã rimulis excipiebat quam niſi continuo exhauſiſſemus, centies de die (vt ita dicam) periiſſemus. Labor autem ille non fuit vnius diei.

Maximo igitur illo labore vltra quadringenta paſſuũ Mill. prouecti, Inſulã quandã incultam cõſpicimus, in modũ turris rotundã, quæ quãtum cõiectura aſſequi poſſum paſſus mille in ambitu habebat. Eam verò cũ ad dexteram prætérnauigaremus, eã non modo virentibus eo menſe Ianuario abundare animaduertimus, ſed etiã tanta auiũ copia, quarũ non paucæ malo rudentibuſque nauis noſtræ inſidentes prehendi ſe atque contrectari patiebãtur, vt eminus columbariũ forma referret. Aues in ea erant nigri, leucopei, ſubalbi atque varij id genus coloris, oẽs quidẽ inter

Inſula incul ta arboribus atque aui bus abundãs

volandum amplitudinem non mediocrẽ præ se ferebant, verum captis quibusdã vbi plumis eas nudauimus, corpore passerem amplitudine non superante eas esse comperimus. Vltrà quatuor passuũ Mill. progresi ad dexteram rupes acutas emergentes cõspicimus, quæ res metũ dedit ne plures illiusmodi sub aquis laterent ad quos nauis allisa frangeretur, quod si contigisset ab ea exhaurienda immunes fuissemus. Toto nauigationis illius nostræ tempore quæ fuit quinque mensium terras nullas exceptis insulis illis conspeximus quas Nauiculatores nostri in suis chartis minimè notatas inuenerunt, ac forsitan etiam à nullis antea conspectæ fuerant.

Sub finẽ Februarij mensis ad æquinoctialem circulum accesimus, adeò vt tribus tantum gradibus ab eo distaremus. Sed quia dies iã quinquaginta erant elapsi, cũ nauigationis partẽ tertiã nondũ cõfeceramus, cõmeatus verò pars bona erat consumpta, ambigebamus vtrum ad S. Rochi promõtorium deflecturi essemus necne, quæ terra Barbaros quosdam incolas habet, à quibus commeatũ nos accipere posse nõnulli spẽ faciebãt. Vicit tãdem eorum sententia, quibus visum est vt vlteriùs progrederemur, vtque cercopithecorum & & psittacorum quos nobiscum vehebamus, pars occideretur, atque ita commeatui parceretur.

S. Rochi promõtorium.

Porrò quarto huius historiæ capite summos retulimus labores qui nobis inter eundum

dum fuerunt exantlandi, vbi ad circulum æquinoctialem accessimus. At verò quia ipse expertus sum, non faciliorem à polo antarctico huc tendentibus esse accessum, quæ mihi de ea re probabiliter videntur dicenda hoc loco adijciam. In primis igitur illud ponendum est, circulum æquinoctialem cuius situs est ab Euro ad Fauonium, quasi dorsum siue spinam mundi esse, iis qui ab Aquilone ad Austrum nauigationem instituunt, & cõtra, (nam alioqui sat scio in globo nihil summum nihil infimum esse) dico igitur & accessum ad mũdi illam summitatem esse ab vtraquè parte difficillimum, & in mari fluctus vtrinque æstuantes, quos tamen in immani illa abysso cernere est difficile. Ventos quoque ab eo loco erumpentes atque in contrariam partem flantes, naues ipsas Aequinoctialis circuli accessu prohibere. Cui meæ sententiæ id suffragatur quòd statim vbi vel gradum vnũ ab vtrauis parte transgressi fuerint nautæ, lætitia summa exultantes, ac de reliqua nauigatione bene ominantes sese inuicem ad commeatum edendum hortantur: adeò vt naues in decliui globi versantes, non ita difficulter agantur, atque ad summitatem illam tendentes agebantur. Adde quod maria omnia inter se quamuis conuexa (quæ tamen admiranda Dei prouidentia ne terras obruant frænãtur, licèt in terris fundata sint, atque adeo supra ipsam terram elata, quam in varias Insulas, & quasi particulas diuidunt

Quid causæ sit cur circa Aequinoctialẽ lineã difficilis sit nauigatio.

quas item inter se quodammodo concatenatas quibusdam filamentis & radicibus; vt ita loquar, in imis gurgitibus esse existimo) cùm inquam hæc tanta aquarum moles vnà cum terra ipsa suspensa, quæque duobus axibus sustentata (quos axes in quadrangulis vtrique polo oppositos esse fingo, quorũ quatuor, decusses duas faciunt, quæ in orbem & semicirculum sphęram totam ambiunt) perpetuo agitur motu, quòd ex æstu marino apparet. Cùm igitur motus ille sub Aequinoctiali circulo initium habeat, certissimum est hemisphærio meridionalium aquarũ ad præscriptos limites recedente eos qui in medio globo versantur quasi in æquilibrio nonnihil hac quoque ratione ab cursu cohiberi. Addo insuper, quod & alibi attigi, aëris intemperiem malaciásque, quæ sub æquatore crebrò obtinent, non parum incommodi afferre: imo obstare quo minus celeri cursu transmittatur. Hæc sunt quæ paucis ac quasi obiter de hac re mihi dicenda fuere, de qua tamen in vtramque partem controuerti facilè esse existimo. Ac sanè nemo est, quantumuis eruditus, qui de his rebus statuere quidquam posśit, quod non refellatur. Solus enim Deus qui ingentem hunc orbem aqua terráque constantem condidit, quémque non sine insigni miraculo suspensum continet, arcana isthæc omnia nouit. Ac sanè non est difficile arguméta quæ passim in scholis de hac re agitantur confutare: quæ tamen minimè

sunt

ſunt contemnenda, eo præſertim nomine quòd ingenia acuunt, dummodo iſthęc omnia non primam (quod faciunt Athei) ſed ſecundas eſſe cauſas meminerimus. Denique nihil certi hac in parte agnoſco niſi id quod ſacræ tradũt literæ. Illæ enim Spiritum illius authorem habent à quo veritas omnis manet, ac proinde ſolas illas indubitatas habeo.

Sed curſum noſtrum perſequamur. Cùm tandem ad æquinoctialem circulum paulatim maximis cum laboribus perueniſſemus, Gubernator nauis, eleuationem noſtram aſtrolabio rimatus eſt: atque aſſeruit nos ſub linea illa æquinoctiali eodem ipſo die quo Sol ad eam peruenerat verſari, nimirum 4. Id. Mart. quæ res vt apprimè notãda, quęque ante illud tempus paucißimis contigiſſet ab illo eſt obſeruata. Pluribus hæc perſequi non lubet, cuilibet tantùm æſtimandũ relinquo quantos æſtus tum perpeſsi fuerimus, quibus Sol eſſet pro Zenith. Præterea quamuis, aliis anni temporibus Sol modò ad vnum, modò ad alterum ex tropicis exſpatietur, nullibi tamen ſiue mare ſiue teram ſpectes æſtus infeſtior perſentitur, quam ſub illa zona, ſatis id mirari non poſſum quod à quodam alioqui fide (quantum mihi cernere datum eſt) digniſsimo, eſt memoriæ proditum. Hiſpanos quoſdam per regionem quandam Peruanam iter facientes, non modò miratos eſſe quòd ſub æquatore niuem cõſpexiſſent, immò montes niue obtectos ægrè ſuperaſ-

Sub Aequatore ipſa die Aequinoctiali verſati ſumus.

Hiſt. Gen. Ind. lib. 4. cap. 126.

sent, sed etiam tantum frigus experti essent, vt sociorum suorum nonnulli gelu rigore fuerint exanimati. Iam si vulgaris illa physicorum afferatur sententia, niuem in media aëris regione creari, quàm faciat ad rē (quod cū bona eruditorū venia dictū sit) nō satis video. Sol enim perpendiculariter in illa linea radios suos in terrā emittit, ac proinde aërē calefacit, qui niuē ferre nō potest nedū vt eā cōgelet concreétque. Nec magis mouet mè quod de montium altitudine atque de Lunæ frigiditate vulgò dici solet.

Quare insolidum quid illud esse statuo, atque ab Philosophorum regulis exceptum: solutionem verò certiorem afferri minimè puto ea quam Deus ipse Iobo affert, cui vt ostēderet homines quantumuis acutissimos præclaris suis operibus rapiendis minimè pares esse, ait: An meos thesauros penetrasti? An grādinis thesauros oculis perlustrasti? Quasi summus ille opifex Iobo diceret, Quem horreum mihi putas esse, quo isthæc contineantur? túne istarum rerum caussas rimari potes? Minimè id quidem, tu imperitior es quàm qui isthæc possis assequi.

Iob.38 22.

Sed ad rem. Africus tandem ventus nos ab æstibus illis summis eripuit, in quibus procliuius erat vt torreremur, quā in Papali purgatorio igne: ac mox arcticum polum, cuius conspectu annum integrum carueramus, intueri cœpimus. Cæterùm ne lectores diutiùs detineam, ea minime repetam quæ à nobis

sunt

ſunt commemorata, de permultis obſeruatu dignißimis, de piſcibus volantibus, alijſque prodigioſißimis, non vnius generis, qui à nobis inter eundum ſub torrida illa zona viſi ſunt: verum eos ad narrationem illam remitto.

Iam igitur eorum à quibus eripuit nos Dominus periculorum narratio eſt repetenda. Iurgium ſubortum erat inter vnum ex præfectis nauis noſtræ, & nauiculatorem noſtrum, quo fiebat vt neuter rectè officio ſuo fungeretur. Contigit vt nauiculatore ad 7. Cal. April. vicem ſuam explente vela omnia expandi atque in altum erigi iuſſerit: turbinem verò imminentem non animaduerterit, qui repentè in vela noſtra tanto impetu irruit, (quæ vt contraherentur iuſſiſſe debuerat) vt nauis in latus inclinata, adeò vt mali ſummum aquam attigerit, quin & rudentes, auium caueæ, aliæque ſarcinæ paulò negligentiùs collocatæ in mare deciderint, non procul abfuimus ab exitiali ſubmerſione. Attamen rudentibus ſumma celeritate abſciſſis, nauis paulatim erecta eſt. Nihilominus tamen nos in ſummum diſcrimen tum deueniſſe meritò affirmare poteramus. Illi tamen quorũ culpa totum illud nobis euenerat, non illo periculo manſueti facti ſunt, atque ad concordiam allecti. Sed contra ſimul atque à periculo exoluti fuerũt, gratiarum actionis loco pugnam intentarunt inter ſe adeò obſtinatam vt periculum eſſet ne tandem ad cędem deuenirent.

Humanum ingenium ni ſi à Deo immutetur, indomitum.

Aliquot post diebus obtinente malicia, faber lignarius cum nautis qui de nobis leuandis à tanto labore (dies enim ac noctes in naui exhaurienda ὑδραύλοις occupabamur) soliciti erant, rimas quas obthurarent diligenter perquirunt. Sed dum quandam sarciunt, accidit vt asser longitudine & latitudine pedis vnius auulsus sit, aqua verò tanta copia tantóque impetu in nauem irruperit, vt nautas ipsos è vestigio abegerit, adeo vt illi fabrum lignarium reliquerint solum, ad nos verò qui in foris eramus accedentes re ipsa minimè explicata summo cum pauore exclamabant, actum est de nobis, actum est de nobis.

Casus qui submersionē nobis propemodum attulit.

Ad hæc Præfectus, cũ nauarcho & Gubernatore, periculo vrgẽte asseres nauis quę foris sunt tegumento confestim in mare deijciunt, quo faciliùs educeretur scapha. Brasilij quoq; maximam vim aliásque merces quarum precium ad Gallicarum libellarum millia decẽ accedebat. Illi igitur consilium de naue relinquenda inibãt, déque salute quærenda in Scapha: Quam rursum ne nimio onere opprimeretur metuebant. Quo factum est vt nauarchus stricta machæra nos omnes ingressu illius prohibuerit: minatus, se brachium illi abscissurum qui primus in illam ingressum moliretur. Igitur rabido mari permissos nos esse autumabamus. Prius tamen illud naufragium ex quo singulari Dei ope emerseramus, in mentem nobis redibat, hortabatúrque vt totis viribus in eo perstaremus, ne nauis obrueretur: cum tamen alioqui ęquè mortem

atque vitam opperiremur. Tamen tãtum effecimus vt nauem incolumem retinuerimus. Atqui non omnibus erat ea animi fortitudo: nautæ enim plerique mortis illius quod imminebat genus reformidantes, adeo obstupuerant, vt rerum omnium curã iam abiecissent. Ac sanè, merito quidem asseuerare possum impios illos atheos qui passim inter pocula eos irridēt qui mari sese cõmittunt, quique tot pericula subeũt, si apud nos adfuissent nugas illas & ludibria sua confestim horrēdis terroribus permutaturos fuisse. Mihi porrò dubium non est quin eorum qui isthæc aliáque quę iã commemorauimus pericula sunt lecturi plerique ex nostrate forma exclamēt. Quàm tutum est brassicas in continente plãtare! Quàm faciliùs admirãda de Barbaris audiũtur quàm visuntur! Quàm sapienter olim Diogenes eos laudabat qui nauigãdi cõsilio inito minimè tamen nauigabãt! Atqui nondũ nostrorum hic fuit exitus malorũ: tum enim cum in istud incidimus discrimē ab portu ad quem tendebamus vicies centena passuum millia aberamus. Fuerunt itaque multa alia nobis subeunda pericula: quinimo (vt mox dicetur) tantã perpessi fuimus famem, vt nõ pauci ex nostris extincti ea fuerint. Sed interim subijcienda est ratio qua istud euasimus periculum. Faber noster lignarius humilis quidem staturæ vir, sed animo forti, nauis sentinam vt cæteri minimè reliquerat, sed cõtra penulam suã nauticã vasto illi hiatui admouerat, pedibúsq;, vt aquę virib⁹ obsisteret

quibus tamē non ſemel eſt à ſuo loco dimotus, atque in altum elatus, calcabat tum quātа poterat vocis contentione eos aduocabat qui in foris erant conſternati atque in ſummam iam deuenerant deſperationem: monebátque vt ſibi veſtes, xylina cubilia, aliáque quæ vſui erant ſumminiſtrarent, quibus quam maximè poſſent aquæ impetus tantiſper cohiberetur, dum aſſerem appararet, quo hiatus ille perniciofus reſarciretur. Quibus diligenter ſuppeditatis, illius opera ab tam præſenti periculo liberati fuimus.

Ab eo tempore ventis adeo aduerſis vſi ſumus, vt nauis noſtra modò ad Eurum, modò ad Fauonium depelleretur, cùm tamen ad Auſtrum tenderemus. Præterea Gubernator noſter illius artis nō admodū peritus à curſu aberrauit, atque ita incertum curſum donec ad Tropicum Cancri peruentum fuerit tenuimus.

Præterea per quindecim dies inter herbas mari innatantes verſati ſumus, quarum tanta erat denſitas, tantáque copia, vt niſi ſecuribus eas ſecantes, nauigio, quod illis frangendis erat impar, viam feciſſemus, futurum autumo fuiſſe vt ibi ſubſtitiſſemus. Quoniam autem herbarum illa copia mare quodammodo turbidum efficiebat, nos in paludibus cœnoſis verſari credebamus: ac proinde Inſulas quaſdam in propinquo eſſe iudicabamus. Verùm iacta bolide, cui funis quingentenarum vlnarū longitudine alligatus eſt, nec fundum

Herbidum mare.

atti-

attigimus, neque etiam Insulas vllas aut continentem animaduertimus. Ad hæc id commemorare libet quod ab Ind. Hist. de hac re memoriæ est proditum: Chrystophorus Columbus, inquit, ea quam primùm instituit nauigatione ad Indiam nouam cognoscẽdam, Anno nimirum 1492. Commeatus reparandi gratia ad vnam ex Cauariis Insulis diuertit, à qua paulò pòst digressus, cùm dies permultos nauigasset, tandem ad mare adeò herbidum deuenit vt pratum referret. Quæ res non parum eum commouit quamuis nullum subesset periculum. Sed herbarum illarum descriptionem subiungere placet. Colore sunt subflauo, ad fœnum iam exsiccatum accedente, foliis à ruta hortensi non absimilibus: baccis iuniperinas referentibus: prælongis quibusdam filamentis ac fibris colligantur, non absimili ab hædera terrestri modo, atque ita radicibus expertes, mari ipso innatant. Cæterùm non satis tutò tractantur, nonnunquam etiam sordes nescio quas rubras, quarum forma ad galli gallinacei cristam accedit mari innatãtes vidi, quarum adeò periculosus erat contactus, vt si à nobis attrectarentur, manus confestim intumesceret, ac rubore infestaretur.

Hist. Gen. Ind. li. 1. c. 16.

Herbarum illarum marinarum descriptio.

Quisquilia rubræ mari innatantes.

At quia nuper in sermonem de bolide incidimus, de qua multa ab anilium fabularum commentis non admodum aliena sæpius audiui, nimirum nauigãtes ea iacta è terra quæ inhæret, quibus in regionibus versẽtur agno-

ſcere quod falſiſſimum eſſe de Occidentali mari aſſero. Itaque quod res eſt ſubijciã. Bõlis ergo inſtrumentum eſt trũculum piramidalem forma referens ac acuta parte perforatũ, quod funibus attexitur, ſebum verò ab altera parte applicantes in profundum demergũt nautę quoties locũ ſtationi idoneum nactos ſe eſſe putant. Cui ſi arena adhęſerit opportunam eſſe ſtationem colligũt: ſin minùs, limum aut rupes ſubeſſe cognoſcunt, cui anchora defigi minimè poteſt, ac proinde alio eſſe properandum.

Boſis quid ſit, quiſque illius vſus.

Hæc habui dicenda ad erroris illius refutationem. Ij enim omnes qui in alto Oceano nauigarunt immenſam eſſe illius & inſcrutabilem, quantauis maxima funium copia adhibita, profunditatem norũt: Quò fit vt dies noctéſque, quãdiu ſecũdus eſt ventus, curſus ſit tenendus: obtinente verò malacia, cõſiſtere neceſſe ſit. Nauigia enim mari illi accommoda perinde ac naues actuariæ remis non agũtur. Ex quo patet nugas eſſe ea quæ vulgo referũtur: bolide humum erui, qua in quibus terris nautæ verſentur dignoſcant, cùm vaſti illi gurgites (vt ſuprà dixi) ſint penitus imperſcrutabiles: Quòd ſi in mediterraneo mari, aut in ipſa terra vt quidam de Africę deſertis referunt in quibus ſtellarum & pixidis marinæ ductu viatores iter conficiũt, locũ habeat: penes authores fides eſto. Ego quæ de Occidentali Oceano dixi vera eſſe confirmo.

Calchond. de bello Turcico.

Igitur poſtquã herboſum illud mare præter-

tergressi sumus, veriti ne in piratas incideremus, torméta aliquot ferrea aptauimus, aliáque muniméta instruximus. Quæ res nouum nobis creauit periculum. Cùm. n. tormentarius noster puluerem igni admouisset, tandiu eum apud ignem reliquit quoad vas cui fuerat impositus cádesceret, atque adeo ignem conciperet: cuius flamma vniuersum nauigiũ nostrum penetrauit. Adeo vt perparum abfuerit quin ob picem qua vndiquaque oblitũ erat nauigiũ flammis correpti fuerimus, quibusdam velis ac rudentibus infestatis, tribus quoque nautis grauissimè adustis, quorũ vnus post aliquot dies vitam cum morte commutauit. De me quod attinet nisi vultui meo pileum opposuissem, haud dubiè adustione fuisset turpatus, nisi quid grauius mihi accidisset. At illius mei pilei beneficio summis tantùm auriculis capillísque adustis incolumis euasi. Quod quidem ad decimum septimum Cal. Maias nobis contigit. Iam hoc loco aliquantulum est respirandũ nobis per Dei gratiam ab naufragiis, submersione, incendióque hactenus liberatis.

CAP. XXII.

De extrema fame, tempestatibus, alijsque non paucis periculis, à quibus in Galliam redeuntes diuina ope erepti sumus.

TOT tátíſque euitatis periculis è Scylla in Charibdim incidimus. Etenim cibariis noſtris iam ante nõ quidem opiparis pars media repentè fuit detracta, eò quòd tum temporis à Gallia decies centena paſſuum millia aberamus, quam moram non tempeſtates tantùm, nobis attulerunt. Nam (quod etiam alibi dixi) Gubernator noſter à curſu adeò aberrauerat, vt cum aſſereret nos ad Hiſpaniæ oram accedere, Inſulas Eſſoreas legeremus, quæ ab Hiſpaniẽſi ora ſexies cẽtena paſſuum millia diſtant. Ille igitur error eò inopiæ nos redegit, vt ſub Aprilis menſis finem commeatu penitus careremus. Poſtremum igitur ſolatium fuit, vt Cellulam gypſatam, in qua commeatus recondi ſolent, euerreremus: in qua vermes & murium excrementa maiori copia quàm micas reperimus, quiſquiliis tamen illis diligẽter collectis, ac ſigillatim diſtributis, pulmentum cõficiebamus, quod & nigredine & amaritudine fuliginem ſuperabat. Id genus cibi quàm palato eſſet

Vermes ac murium excremẽta vna cum micis panis colliguntur & eduntur.

gratum

gratum minimè est quærendum. Per illud tempus quicunque cercopithecos & psittacos reseruarant iis(quod iampridem à multis erat factum,vesci non dubitarunt. In summa,iam ipso Maij mensis initio ex nautis nostris duo fame necati sunt, atque pro nauigantium more in ipso profundo sepulti. Præterea tam dira vrgente fame totos viginti dies procellis ac tempestatibus adeò vexati fuimus vt non modò vela omnia complicare, clauúmque obligare, sed nauigium amplius regere impotes permittere illud flatibus atque vndis coacti fuerimus. Quæ res effecit, vt per totum illud tempus quantumuis vrgente fame piscis à nobis nullus fuerit captus. In summa repente nos in diram famem incidimus extrinsecus vndis, intrinsecus verò aqua petimur. Quare in eorum gratiam qui mare nondum viderunt, quos meritò mediam tantum mundi partem vidisse dixeris, hoc loco, id est in memoriam reuocandum quod psaltes de nauigantibus asserit:

Nautæ duo fame necati.

Psalm. 107. 23. 24.

At vos tranantes pictis vada salsa carinis,
Maris coloni diuitis,
Magna Dei verè miracula cernitis, alti
Dispersa campis æquoris.
Nam simulac iussit, rapidi tota æquora venti
Ad ipsa tollunt sidera.
Abripitur pariter ratis, & nunc nubila tangit:
Tumente vecta gurgite,
Tartara nunc contrà præceps cõtendit ad ima,
Ipsisq; mergitur inferis, &c.

Per illud tempus cogente rerum inopia, quàm admiranda cõciperẽt vota Nautæ Papisticã superstitionẽ profitentes, Nicolao enim Cereũ simulachrũ iustę humanæ magnitudinis sese persoluturos esse vouebãt, si quando daretur vt portũ attingerent. Atqui aliud nihil illud erat quàm Baalem oculis & auribus captum compellare. At nos veram Religionem professi ad verum illum deum vota omnia dirigebamus cuius benignitatem atque fauorem toties experti eramus: cuius etiã ope in media ipsa fame non sine insigni miraculo sustentabamur, à quo etiam vno mare ipsum ac tẽpestates sedari posse noueramus.

1. Reg. 18. 26.

Interim licet inedia ac proinde macie adeò confecti essemus vt nauigationis obeundis ministeriis vix ac ne vix quidem idonei essemus, egestas tamen singulos eò compellebat vt quacúmque fieri posset ratione de famelico ventre saturando cogitarent. Nonnullis in mẽtem venit vt frustula parmarum ex tergo *Tapiroussou*, de quo anteà, in aqua decoquerent, ederéntque: at illa inuentio nõ ita succeßit. Alij igitur eadem frustula excipientes prunis imposita torrent, quod adustum erat cultro eradunt: quod optimè successit, corium enim illud nobis fame iam cõfectis suillam cutem prunis assatam sapore referebat. Hoc facto experimento, quicunque parma eiusmodi habebant frústatim eas concidebant falcibus, aliisque instrumentis, frustáque diligenter in sacculis recondita apud

Parmæ ex tergo *Tapiroussou* manduntur.

pud ſe continuò geſtabant, immo in tanto apud eos erant illa pretio, atque loculi auro oppleti apud auaros & fœneratores noſtrates eſſe ſolent. Ioſephus de Hieroſolymitanis obſeſſis verba faciens memoriæ prodidit eos nec cingulis nec calceamentis abſtinuiſſe, Coriáque ſcutis detracta mandiſſe. At non defuerunt inter nos qui & Coriaceos thoraces ipſáque adeò calceamenta ederent. Immo pueri, qui nobis famulabantur fame adeò preſſi fuere, vt à Laternarum cornibus non abſtinuerint, quarũ in nauigiis maxima ſuppetit copia, immo ſebaceis ipſis Candelis ſi quas offenderent non pepercerunt. At nos ſummè debilitatos iugiter in exhaurienda naue laborare neceſſe erat, alioqui mox ſubmerſi fuiſſemus, inediámque noſtram largo potu compenſaſſemus.

de Bell. Ind. lib. 7. c. 7.

Thoraces coriacei & calceamenta exeduntur.

Laternarum cornua candelæque Sebaceæ cibi vices præſtant.

Porro ingentem bolidẽ tertio nonas Maias ſub ſolis Occaſum in aere ardentem conſpeximus cuius tanta erat velis noſtris reuerberatio vt ea igne iam correpta eſſe crederemus: attamen nullo noſtro incommodo ſtatim euoluit. Iam ſi quæratur vnde bolis illa ortum habuerit, Reſpondeo rei illius cauſam indagare difficillimum eſſe, præſertim cùm terras nouas ex quibus ichtyocollæ aduehi ſolent, Inſulámque Canada præterlegeremus, quæ regio eſt frigidiſſima, ex calidis exhalationibus ortam eſſe nemo dixerit. Nos igitur vt genere omni incommodorum affligaremur, Aquilone vento adeò infeſtati

Bolis ignea in aere conſpicitur.

fuimus, vt totos dies quindecim calorem vix vllum persenserimus.

Tormentarius noster ad 4. Cal. Maias, cũ antè tanta fuisset fame oppressus vt psittaci viscera me præsente cruda paulò antè deglubisset, diem suum obijt, nec terræ, sed mari sepulchrali vt & superiores mortui mãdatus est. Cuius mortem eò æquiore tulimus animo quòd opera ipsius facilè careremus: Etenim si Piratę quidam eo tempore nos aggressi fuissent, non modo non propulsaremus, eos sed vltro in deditionẽ venire summis votis optabamus (quæ erat nostra miseria) dummodò cibus suppeditaretur nobis. Sed prout Deo visum est nos per totam nauigationem illam affligere, vnicum conspeximus nauigium, quod assequi minime potuimus, vela enim apparare maturè per imbecillatem nostram non licuit.

Cæterùm consumptis illis de quibus paulò antè memini parmis, coriis, ipsisque adeò arcarum tegumentis, breuiter quicquid famem explere poterat, nos vltimam nauigationis nostræ lineã attigisse existimabamus. Sed penuria artium inuentrix, quosdam ex nobis mures vt venarentur compulit. Illi enim fame oppressi (quòd micas cæteráque omnia quæ corrodere solebant diligenter collegissemus) turmatim per foros cursitabant. Nos verò cùm diligenter, tum ingeniosissimè iis captandis variis decipularum generibus adhibitis inuigilabamus, nonnunquam

Mures captantur atque manduntur.

etiam

etiam noctu feliũ more eos obseruabamus. Quo factum est vt quantumuis latentes per pauci manus effugerint nostras. Ac sanè murem tum pluris, quàm bouem faceremus in continente, æstimabamus. Vidi enim qui coronata tria, nonnunquam quatuor, in singulos mures numerarent. Immo quendam obseruaui, qui cùm Chirurgus noster mures duos simul cepisset, hac voluit cum illo agere conditione, vt si murium suorum alterum commodare vellet, cum primum ad portum appelleremus, galerum, thoracem, femoralia, & tibialia ipsi penderet. Ille tamen (quòd vestes vitæ suæ posthaberet) conditionem respuit. Denique mures frequentes ac minimè exenterati in aqua marina elixabantur, qui tamen maiori nobis erant in pretio, quàm sint in continente veruecini armi.

Prætereà quo magis ac magis pateat nihil quod edule esset à nobis contemni, de quodam narrabo, qui cum Præfectus noster murem satis grandem apparasset, quatuor exsectis pedibus, quos in foris reliquerat, eos diligentissimè collegit, pruníisque assauit, asseruítque se perdicum alas tàm sciti saporis minimè vnquã edisse. Ac sane, quid est quod non tanta inedia oppressi mandissemus, aut potiùs vorassemus, qui ad explendam famem ossa ipsa olim proiecta aliásque id genus sordes summoperè optabamus? Nec dubium est quin si nobis virides herbæ aut fœnũ adfuisset, brutorum more ea mandissemus. Atqui

Murium pedes diligentissimè colliguntur.

non solùm cum malo hoc conflictabamur, totis enim viginti diebus quibus fame illa infestati fuimus, neque vinum neque aqua dulcis in naui nostra visa est, restabat tãtum exiguus siceræ cadus, quem præfecti nostri adeò parcè distribuebãt, vt si vel Monarcha quis tum nobiscum fuisset, cæteris largiorem potum nõ obtinuisset: singulis autem cyathus quotidie assignabatur. Cum itaque non minùs siti quàm fame infestaremur, quotiescũque decidebat pluuia linteis expansis, ferreóque globulo in medio sito vt commodiùs in vasa subiecta instillaret, aquã excipiebamus. Immo eam quæ per foros effluebat, diligẽter colligebamus, nec obstabant sordes quæ eam longè turbidiorem ea quæ per vicos in vrbibus preterfluit, reddunt, quominus à nobis ebiberetur.

Sitis fame intolerabilior.

Sancerrana fames.

Denique quamuis ea fames quam Anno 1574. in obsidione Sãcerrana perpessi fumus, in earum numerum quæ grauissimæ habẽtur recenseri debeat, vt videre est ex historia quã de ea re nos ipsi edidimus, quamuis diuturnior non tamen æque grauis atque ea de qua nunc agimus fuit. Sancerræ enim neque aquę neque vini laborauimus inopia, præterea herbæ quædam ac radices, vitiúmque gemmæ nobis suppetebant. Ego sanè si ob caussæ iustæ patrocinium, obsidione alicubi tenerer, tantisperdum Deo creatis rebus benedictionem suam impertiri visum esset, quid pelles, membranæ, bubalini thoraces, aliáque eiusmodi succum aliquantulum habentes, quibus

tamen quotidiano vſui quamuis minimè familiaribus, in illa obſidione famem tolerauimus, expertus, minimè vnquam famis metu in deditionem hoſtibus venirem, dummodo earum rerum copia ſuppeteret. At in illa noſtra nauigatione longè diuerſa erat ratio, eò enim redacti fuimus vt nil nobis reſtaret præter braſilium lignum, præ omnibus aliis lignorum generibus ſiccum, atque humore expers. Nihilominus tamen non defuerũt inter nos qui fame ad extremum adacti, cibi alîus inopia, lignum illud dentibus atterere conarētur. In quibus erat Philippus dux noſter: qui cum fruſtulum ori admouiſſet altum trahens ſuſpirium me his compellauit verbis. Heu mi Leri, pecuniam in Gallia ad quater mille libellas olim credidi, cuius apocham vtinam conſcribere tenerer, & mihi pro ea panis vnus cum cyatho vini mihi præberetur. Petrus autem Richerius Paſtor, qui non ita pridem rupellæ ad Dominum migrauit, in cellula ſua proſtratus jacebat, adeóque erat viribus omnibus expers vt caput ad Deũ oraturus minime poſſet attollere, attamen ita proſtratus indeſinenter precibus ad eũ fundendis intentus erat.

Braſilium lignum corroditur.

Philippi votum.

Richerij debilitas.

Antequam ſermoni huic finem imponam, id obiter obſeruare libet, quod in aliis quidem, maximè in me ipſo animaduerti, qui binas fames expertus ſum, eáſque eiuſmodi, vt nullum vnquam horridiores euaſiſſe credam. Corporibus inedia debilitatis, & deſi-

Inedia rabiē generat.

ciēte natura, sensibus alienatis, spiritibúsque dissipatis, non modò feroces, sed & morosi & iracundi fiunt homines. Illa porrò iracundia meritò rabiei genus dici potest: Quo fit vt appositè vernaculo nostro sermone is fame dicatur furere, qui fame premitur. Præterea quoniam experientia res omnes expressiùs edocet, video non sine causa Deum, populo suo minantem famem nisi suis pareat præceptis, disertè exprimere futurum vt viri illius qui fuerat mollis, & delicatus, valde malignus sit oculus in fratrem suum, & in vxorem sibi charissimã, atque in filios suos, adeò vt non det vlli ex eis de carne filiorum suorum quam comedet. Nam præter ea quæ in Hist. Sancer. commemorauimus exempla de parentibus qui ex liberis suis vnum comederunt, déque militibus quibusdam qui postquam cadauera eorum qui bello cæsi fuerãt, degustassent, se decreuisse si malum illud diutiùs perstitisset, viuis manus afferre, affirmare possum nos durante illa Nautica fame vix ac ne vix quidem pacatè alij cum aliis colloqui potuisse, licet Dei timore cohiberemur, immò quin (quod Dominus condonet nobis) malignis oculis alij in alios fuerimus.

Deut. 28. 53. 54.

Prodigiosa multa famis tempore in mentem plerisque venerant.

Sed vt reliquum nauigationis nostræ cursum describere pergam: Contigit rebus nostris in peius ruentibus, vt nautæ alij duo 17. Cal. Maias fame necati fuerint. Quo tempore ex nostris nonnulli fuere qui tam diuturnum errorem nostrum in aquis secum reputãtes, nulla

Nautę fame enecti.

nulla obiecta terra animo suo fingebant nos in nouo versari diluuio. Cum igitur nautas illos mortuos in mare præcipites dari animaduertimus eundem nobis exitum omnibus impendere credebamus. Ego in tanta rerum inopia qua, vt dixi, cercopitheci ac psittaci quos vehebamus confecti fuere, ad illud vsque tempus psittacum plumis decorum, anseris magnitudine, articulatè voces multas humanas imitantem, studiosissimè conseruaram: eum Gaspari Collignio offerre sperabã, atque ea spe quinque dies cautissimè occultaram, nullo ei præbito cibo. Hunc tum vrgente fame, tum quòd vererer ne mihi noctu furto surriperetur, post alios omnes occidi. Ille mihi amicísque aliquot meis per tres quatuórue dies alimento fuit: integer autem à nobis fuit esus, nullam enim particulam præter plumas eiecimus, adeò vt non carnes tantum, sed & viscera & pedes ipsos, atque adeò vngues, vncúmque rostrum corroserimus. Auis istius mortem ęgerrimè postea tuli: dolorem auxit, quod quinto ab eius obitu die terram conspeximus. Cum igitur illius generis aues facilè careant potu, vel tribus nucibus totum illud tempus vitam illius sustentare potuissem.

At verò, dicet quispiam, quid nobis cum tuo psittaco? nósne perpetuò in miseriis illis vestris suspensos tenebis? Annon tandem aliquando malorum & quidem omnis generis satis? Nunquid aut vita aut morte finis tan-

dem dabitur? dabitur vtique: Deus enim qui (non sanè vulgari cibo) corpora nostra sustentabat, opē nobis tulit opportunissimam effecítque immensa sua bonitate vt 8. Cal. Iun. cùm iam ad foros fermè languore confecti iaceremus, Britanniam inferiorem conspexerimus. Veruntamen quod non semel à Gubernatore nostro decepti fuissemus, qui terræ loco nubes nobis ac chimeras indicarat quæ properè euanuerant, speculatore iterum atque iterum pro more exclamante, Terram, Terram, vix tamen vere illud dici credebamus. Atqui secūdo flante vento prora obuersa mox certò cognouimus, continentem in propinquo esse. Iam verò vt liquido appareat quantam in miseriam quantúmque in discrimen adducti fuerimus: quámque opportunè Deus sit nobis opitulatus, huc referre lubet quod nauclerus noster edita voce affirmauit statim vbi gratiarū actiones ob imminentē liberationē nostram egisset: Se nimirum omnino decreuisse, si diem vnum adhuc in illo tā misero statu permansissemus non quidem sorte agere (vt ab nonnullis, in tales redactis angustias est aliquando factum) sed aliquem ex nobis clàm interficere qui cæteris esui esset. Quæ res minimè me commouit, conscius enim mihi eram (quamuis omnes macie essemus confecti) me ab illo periculo tutum satis fuisse: nisi forte cutem & ossa nuda pro carnibus habere voluisset. Quoniam autem nautę nostri Rupellam appellere

Qua die cōtinentem conspeximus.

Prodigiosum decretum.

re decreuerât, vt ibi Brasilium suum lignum venderent, cum iam ab Britãnia sex passuum millibus tantum abessemus, Nauclerus cum Philippo & quibusdam aliis scapha vecti ad oppidulum proximum (hodiernam vocant) contendunt, cibaria comparaturi. Inter quos duo ex nostris quibus pecunias speciatim numerauerам ad cibaria quædam mihi comparanda, vbi ad continentem appulerunt, nauem nostram famis domicilium esse rati, diserte testati sunt se in eam pedem nunquam relaturos: quod ab ipsis est factum. Relictis enim in naue sarcinis suis ab illo tempore eos nunquam vidimus. Attamen eorum vnus qui solus mecum è quatuordecim illis quorum nomina initio recensui, hoc anno 1584. quo historiam hanc corrigo recenseóque, quanto cum labore pristinæ restituti fuerint valetudini ad me scripsit. Nobis quid hac in parte contigerit mox narrabo. Nobis in Anchoris nostris operientibus ad nos accessere piscatores quidam, à quibus cibaria petimus, illi se à nobis irrideri arbitrati, immò ne iniuria aliqua afficerentur veriti, fugam capessunt, at nos quos vrgebat fames, eos vt consisterent cogimus, ínque eorum lintrem irruimus. Tum illi extrema quæuis sibi imminere credebant. Nos verò pacatè omnia agere, cúmque cibariorum nihil præter cibarij panis frusta aliquot comperissemus, vnus ex illis iouentus est qui exposita extrema qua premebamur fame adeò ferũ se prę-

ſtitit,vt pro panis illius fruſtulo,quod vix obolo vęniſſet, ſeſtertios duodecim non dubitauit à me exigere. Noſtri autem mox cum cibariis ad nos redeunt, quàm auidè à nobis fuerint excepta neceſſe non eſt dicere. Tum in propoſito perſeuerantes,nimirũ vt Rupellæ litus peteremus, iam paſſuum ſex millia nauigaramus,cum ab Nautis qui nos aſſecuti ſunt admoniti fuimus Piratas quoſdam ad oram illam vagari. Quare poſt tot tantáque pericula quæ Dei ope euaſeramus, ſi vltro in periculum nos coniiceremus, videntes illud nihil aliud eſſe quam Deum tentare,illo ipſo die 7.Cal. Iunias portum intramus,Blauuetenſem,in Britannia: ad quod per illud tempus naues permultæ è variis regionibus reduces appellebant: quæ & tormenta diſplodebant, aliáque nauigantibus ſolemnia celebrabant,atque ob partas victorias triumphabant.Inter quas vna erat ex vrbe Samnalea, cuius nautæ Hiſpanicam ex terris Peruanis reducem ceperant. Ea pretioſis quibuſque mercibus erat onerata,cuius pretium ad ſexaginta aureorum nũmorũ millia æſtimabatur. Cuius rei fama cũ per vniuerſam Galliã ſparſa fuiſſet, mercatores non pauci Pariſienſes, Lugdunenſes, aliique eò ad merces illas coemendas commeabant.Quæ res commodiſsimè nobis euenit:accidit enim vt cum è naui egrederemur mercatorum illorum plerique iis auditis quę perpeſsi eramus,& nos prę infirmitate minus ad greſſus figendos idoneos ſuſtẽtarint,& opportuniſsimè admonuerint

vt ab nimio esu diligenter nobis caueremus, paulatímque vires nostras pauculo cibo repararemus, iure ex veterum gallinarũ decoctione, lacte caprino, aliisque ad viscera dilatanda accommodatis. Ac sanè cum iis omnibus qui tam salubri paruerunt consilio bene est actum. Nautę verò qui repentè ventrem cibo impleuere, non tulerunt impunè: nam è viginti, tot enim incolumes terram attigerunt, plures decem sibi mortem accersiuisse autumo: nos verò (quindecim eramus numero) qui, vt iam dixi, nauem illam in America conscenderamus in Galliam remigraturi, ad vnum omnes terra maríque incolumes tum seruati sumus. Hoc quidem verum est, nos nonnisi cute & ossibus tum constitisse, adeò vt alij alios intuentes cadauera è sepulchris eruta videre videremur. Adhæc vbi cœlũ terrestre persensimus, tantum ciborum nos cepit fastidium, vt (nam de me nominatim verius referre possum) in diuersorium tãdem delatus oblatum mihi vinum vbi olfeci, deliquium animi passus sim, ínque arcam quæ in propinquo erat delapsus. Qui verò aderãt futurum vt animã mox agerem existimabãt, habita pręsertim debilitatis meæ ratione. Atqui minimo affectus fui casu illo incommodo. Itaque in lectum decubui, támque suauiter dormiui, vt nonnisi sequenti die & quidẽ multa luce experrectus fuerim: quamuis ante decem menses in lecto non decubuissẽ, quod deo commemoro, quòd faciat cõtra eorum

Famem consequitur ciborum fastidium.

opinionem qui putant eos qui ab mollibus cubilibus desueuerũt ea repetẽtes initio dormire minùs posse. Blaueti igitur quatuor diebus transactis Hannebonem nos conferimus quod oppidulum ab Blaueto quatuor passuum millibus distat. In quo totos quindecim dies quieuimus, nosque ex medicorũ prę scripto curauimus. Quantumuis tamen diligenter nobis caueremus nemo nostrum effugere potuit quin tumore per totum corpus infestaretur, me cum tribus aliis exceptis qui ab vmbilico ad pedes vsque eo morbo laborauimus. Insuper cum διαῤῥοίᾳ & stomachi solutione conflictabamur, adeò vt intra corpus nihil consisteret eorum quæ immitebantur. Tamen medicamenti genus nobis est indicatum, quo postquam vsi sumus cõfestim ab eo morbo sanati fuimus: est autem eiusmodi. Ius hederæ terrestris est accipiendũ cum oryza probè cocta, in ipsa olla pannis veteribus restincta: quibus igni admotis ouorum vitelli sunt permiscendi. Confectionem illã cochlearibus ad modum pultis ori admouebamus. Ac sanè nos omnes morbo illo extinctos futuros fuisse nisi medicamentum illud adhibitum fuisset facilè credo. Hæc sunt denique quæ de nauigatione illa nostra habui referenda: Quæ sanè inter minimas non est reponenda si animaduertas nos gradus septuaginta tres nauigasse ab Aquilone ad Austrum. Verùm ne palmam merentibus pręripere videamur, quantula est, si cùm ingenti illa

Medicamentum ad restringẽdam aluum accõmodum.

Ioan. Sebast. de Cano. Hispanus, Et Drachus Anglus vniuersum terrarum orbem circundederunt. Consule Hist. Gen. Ind. ca. 98. Iren. Popelin, de tribus mundis.

illa Ioannis Sebaſtiani De Cano Hiſpani, aut (vt quidam volunt) Veneti vel etiam vt aliis placet ab vrbe Guetaria in Cãtabria Prouincia oriundi, qui vniuerſo orbe circundato, quod ni fallor, contigerat ante eum nemini, poſt eum quidem de Dracho Anglo idem referunt, qui in patriam redux pro inſignibus orbem terræ depingi curauit cum hac inſcriptione, *Primus me circumdediſti.*

Cæterùm iis à me lectis quæ Hieronymus Benzo de ſua in Peruenſem terram, aliáſque orbis illius regiones peregrinatione, quæ fuit annorum quatuordecim, ſcripſit: commune hoc mihi cum illo eſſe animaduerti, quòd (vt ipſe hiſtorię ſuę initio refert) annos viginti duos natus eſſet cùm multorum exemplo peragrandi orbis cupidus ac præſertim viſendæ eius mundi partis nuper repertæ, cui Indiæ Occidentalis nomen factum eſt, explere animum ſecum tandẽ conſtituit? Ego verò eodem ſtudio impulſus, totidémque annos natus, in Braſiliam nauigationem ſuſcepi, pro vt ipſe hiſtoriæ huius initio adnotaui, ſed aliud eſt longè maiori dignum obſeruatione, quòd nimirum Benzo, (licet ille de nobis nihil nec nos de ipſo vnquam audiuiſſemus) affirmat ſe idibus Septembris An. 1556. in Hiſpaniam, peractis ſuis peregrinationibus, appuliſſe: nos verò (quod etiam ſuper cõmemoraui) ad 4. Idus eiuſdẽ mẽſis, eodẽq; anno in Braſiliã profecturi Geneuâ exceſsimus. Iá igitur ſi quis tẽporũ

Statim poſt Benzonis reditum accingit ſe ad iter Americ. Autor.

ſeriem obſeruare velit, eorum qui in Americam nauigarunt: nos ſtatim poſt Benzonis reditum eſſemus collocādi. Porro cùm Benzonis hiſtoria Latino ſermone primùm, ac poſteà Gallico Vrbani Caluetonis amiciſſimi mei opera extet ex Italico conuerſa, cui titulus eſt *Noua noui orbis hiſtoria*, adde quod author ipſe inter eos qui multa obſeruarũt, atque obſeruata elegantiſſimè ſcriptis mandarunt, poſtremum non obtinet locum: neceſſe penitus eſſe exiſtimo iis qui Americanorum mores probè noſſe cupiũt, atque adeò quàm immaniter miſeræ illæ gentes ab Hiſpanis, à quibus ſubactæ ſunt, excipiantur, vt hiſtoriam illam diligenter perlegant. Ille autem eò maiori eſt dignus laude, quòd hiſtoriam ſuam concludat præſtantiſſima gratiarum actione, quam ad Deum dirigit. In quo ſe minimè ingratum in eum fuiſſe, à quo beneficium hoc acceperat, vt res adeò nouas, támque à nobis remotas terras viſeret, per totum quatuordecim annorum ſpacium, cuius etiam ope tot pericula euaſiſſet. Illius tamen clariſſimum nomen obſcurare nititur Theuetus, veritatis, (ſiquis alius noſtra memoria extitit) acerrimus hoſtis, ſuo virorum illuſtrium libro, quem nuper edidit. Ille enim de Franciſco Pizarro Hiſpano à quo Attabalippa Peruenſium rex fuit deuictus, verba faciens, totam Benzonis hiſtoriam ita in dubium reuocat (à cuius tamen facundia longiſſimè abeſt) vt meras fabulas eſſe dicas.

Theuetus Benzoni obtrectat.

Quæ

Quæ res fortè à Theueto de industria est suscepta, quòd cùm Hispania spiret, ac proinde Galliam patriam suam debito non prosequatur affectu, cuius tamen lepidissimus Benzo famæ est studiosissim⁹, aduersus eos qui quod minimo negotio Indos illos subegerint, cæteras omnes gentes tam facilè se deuincere posse iactant.

Sed vt ad nos redeam finem ac requiem laborum consequutos nos esse forsitan quis existimet: attamen nisi ille idem, cuius ope à tot naufragiis, tempestatibus, extremáque fame aliísque incommodis quę nos inter nauigandum assiduè vexarũt, liberati sumus, nos ad litus appulsos seruasset, extrema quæque nobis impendebant. Iam suprà dixi Villagagnonem tradidisse dicam in nos perscriptã, præfecto nauis illius qua reuecti sumus, vnà cum mandatis ad obuios quosque magistratus vt in nos (vtpote hæreseos criminis reos à se peractos animaduerterent, igníque addicerent. Contigit autem vt Philippo Duci nostro cum Magistratibus (ab religione quam profitebamur non abhorrentibus) cui arcula illa epistolis dicæ illi adiunctis plena tradita fuerat necessitudo intercederet. Quò factum est vt optimè ab illis excepti fuerimus contrà quàm cupiebat Villagagno, imò etiam fortunis suis non pepercerunt, quin nostris, quibus opus erat eas largirentur: Philippus quoque ab illis pecunias mutuo accepit, atque ita Deus ille qui astutos in astutia deprehendit,

Prouidentia Dei admiranda.

nos ab illo periculo liberauit, effecítq; vt scelerati Villagagnonis perfidia detecta, id totũ ad illius contumeliam, nostrum verò solatiũ redundarit. Tanto igitur accepto beneficio ab illius manu qui nos toties terra maríque seruauit. Nautis nostris Hanebone excedentibus, vt Neustriam patriam suam repeterẽt, Nos etiam vt ab Britannis illis recederemus quorum idioma non minùs nobis erat Barbarum atque fuerat Americana lingua, ad Nannetes properamus, non quòd per celeres iter illud confecerimus: tanta enim erat infirmitas nostra, vt equis, quibus insidebamus regendis minimè pares essemus. Quocirca mercenarii à quibus regerentur singulis fuerunt mercede conducendi.

Naturæ restauratæ appetitus mirabiles.

Quoniam autem quodammodo restaurãda erant corpora nostra nõ minùs portentosis flagrabamus appetitibus atq; ij sunt quos de prægnantibus mulieribus referunt: quorũ nisi ad finem properarem, exempla admirãda referre possem: quin etiã plerique ab vino ita abhorrebant vt ab eo per mensem integrum abstinuerint. Tandem vbi ad Nannetum vrbem peruenimus quasi inuersi essent sensus nostri vniuersi, aures oculíque nostri adeò hebetes repentè facti sunt, vt formido incesseret ne in surdos atque cæcos euaderemus. Huc referri potest quod Ionathan Saulis filius dicebat, illuminatos fuisse oculos suos postquam aliquantulum mellis gustasset, quibus verbis non obscurè significabat ocu-

Surditas oculorumque hebetatio ex fame orta.
1. Samuel. 14 27. 29.

oculos anteà fuisse inedia hebetatos. Verùm tamen ab primi nominis medicis quibusdam aliisque claris viris, qui ad nos frequentissimè accedebant tanta cum diligentia curati fuimus, vt nulla tantorum malorum vestigia nobis adhęserint, quin imò de me possum affirmare, exacto ab eo tempore mense me optimum aurium oculorúmque vsum habuisse. Hoc quidem verum est me ab eo tempore stomachi debilitate semper laborasse: quę etiã fame illa Sancerrana, cuius paulò ante memini, adeo est confirmata, vt minimè dubitem ea me nunquam liberatum iri: donec me totũ Deus fœlicissima resurrectione instauret. Itaque apud Nannetes quo in loco (vt dictum est) optimè excepti fuimus recuperatis valetudine ac viribus, nostrûm singuli quò visum fuit abiere.

Antequam finem huic historiæ imponamus id vnum superest, vt dicamus de quinque illis qui Americam repetiere, tum quum primùm redeuntes, naufragium euasimus. Quę res quo modo innotuerit, paucis dicam. Viri quidam fide digni quos in America reliqueramus, quíq; nos quatuor exactis mẽsibus sunt insequuti, in Philippum ducẽ nostrũ Lutetiæ inciderunt, illíque narrarũt se, maximo suo dolore, tres ex illis à Villagagnone suffocatos ob Euangelij professionem spectasse: quorũ hæc sunt nomina. Petrus Bourdonus, Iohannes Bordellus, Matthæus Verneulius, quin etiam integram tum confessio-

nis tum mortis eorum historiam, descriptam attulisse significarunt, illíque tradiderunt. Quam ego haud multò pòst ab illo accepi. Eam vbi legi perspexíque fidos illos Christi seruos à Villagagnone tantisper morte plexos fuisse, dum nos cum tempestatibus ac variis periculis conflictabamur: in memoriam mihi reuocaui me vnum (vti suo dictum est loco) ex scapha illa eductum fuisse, in quam ingressus iam eram in Americam remigraturus: ac proinde, & mihi quidem esse de quo maximas Deo gratias agerem, quòd me nihil minùs cogitantem, à tanto liberasset periculo, atque etiam mihi in primis onus illud incumbere, vt trium illorum martyrum fidei confessio memoriæ proderetur, atque in eorum referretur album qui nostra memoria, ob Euangelij confessionem, fortiter mortem oppetierunt. Eodem illo anno historiam illam Iohanni Crispino nobili typographo, tradidi: quam martyrum Catalogo inseruit, vna cum eorum laborum descriptione, quos pertulerunt ab eo tempore quo à nobis discesserũt, donec Americam terram attigerint. Eò igitur Lectores remitto: hoc enim loco mentionem eorum fecissem nullam, nisi ea quam diximus causa adactus eò fuissem. Hoc vnum addam, Villagagnonem, quòd primus piorum sanguinem in orbe illo nuper reperto, fuderit, meritò à quodam Americanum Cainum nominatum fuisse. Iam iis est satisfaciendum à quibus quisnam fuerit exitus illius

Cõsule Martyrum nostri tẽporis hist. lib. 5.

lius quæri solet. Eum nos in Castello Collignio (quemadmodum fusiùs in historiæ progressu dictum est) reliquimus, quod tamen non multò post deseruit, cuius etiam culpa ab Lusitanis captum fuit, vnà cum tormentis bellicis liliis Gallicis insignitis non sine immani Gallorum, quos in eo reliquerat, cæde, aliud nihil de illo ab eo tempore audiui (nec sanè multũ in inquirendo laboraui) nisi quod post suum in Galliam reditum religiosis quã pessimè potius tum voce, tum scriptis exceptis inueterata malicia magis ac magis confirmatus, obijt tandem Anno 1577. mẽse Decembri, in prædio quodam Melitensi, ordini attributo, cui nomen Bellouaco: quod ab suo quondam famulo, mihi est renũciatum. Imó à quodam ipsius nepote, quem cum illo in America videram, accepi tàm malè ante obitum, rebus suis eum prospexisse, vt suorum consanguineorum nullus fortunis ipsius auctus fuerit post obitum, vt neque dum vita manebat, id est ab eo nunquam non neglectos fuisse.

Villagagnonis obitus.

Denique quandoquidem (vt ex hac historia satis apparet) & in genere & speciatim tot periculis, tótque mortis abyssis ereptus sum, an non meritò cum sancta illa Samuelis matre exclamare possum, Iehouam morte afficere, & in vitam restituere, demittere in sepulchrum & educere? possum sanè. Et quidem, ni fallor optimo iure, si quis alius

1. Sam. 2. 6.

nostra memoria. Attamen si huius esset loci, addere possem Deum immensa sua bonitate me ab infinitis aliis, in quibus versatus sum, discriminibus eduxisse. Quare, si mare elementum adeò furens, me non absorpsit, si Barbari anthropophagi, quibuscũ fermè annum vixi, me non deuorarunt, famésque extremæ quas toleraui me non necauerunt: an non patria mea Gallia, tygride immanior erit si violentam atque immaturam mihi afferat mortem? Vtcunque tamen sit ego qui mortem filiorum Dei (in quorum numerum me ascitum certo scio) coram eo pretiosam esse noui, totum me ipsius voluntati permitto. Hæc tandem sunt quæ à me tum in ipso mari, eundo, ac redeundo, tum in terra America, apud Barbaros obseruaui. Me autem nõ latet tam amplum argumentum résque adeo varias à me commemoratas eo stylo, eáque qua decebat grauitate minimè fuisse descriptas: imò etiam lubens agnosco me hac tertia editione nonnunquam ea quę paucis fuerant perstringenda fusius quàm par erat persequutum esse, & contrà in extremum aliud peccantem ea quæ longiorem postulabant orationem plus æquo contraxisse. At lectores rogatos velim vt studium meũ æqui bonique consulant, quod orationis non satis comptæ damna resarciat: Cogiténtque quam dura mihi rerum quæ in hac historia commemorantur, fuerit experientia.

Regi

Regi autem æterno, immortali, inuisibili, soli sapienti Deo honos sit & gloria in secula seculorum, Amen.

PLVS VIDERE QVAM HABERE.

FINIS.

Errata operarum ſic corrige.

Primus numerus paginam denotat, ſecundus lineam.

Præfationis, pag. 2. linea. 11. deſcripſerim. 31 l. 14. Idem. l. 31. teſtudinibus. 34 l. 2. Præterer. 35. l. 21. ni. *Hiſtoriæ*, 5. l. 2. negotiá-que. 16. l. 2. nominatímque. 17. l 24. Albacoras 21. l. 1. appellant 23. l. 1. fictitij. 24. l. 9. fertur. 32. l 25. Margaiatium. 46. l. 30. nomina. 50. l. 9. eúmque in l. 25. rebellione: hærere peccatum). 51. l. 6. ab ijs. l. 25. *poſt præditus adde* ad. 52. l. 16. *poſt è adde* Sp. 59. l 25. En 61. l. 24. *poſt conſpectum adde* non. 65. l. 31. maximæ. 67. l. 15 Arceſſit legis. 70. l. 32 conuiuari. 74. l. 3. En. 76. l. 11 ſunt l. 26. ſinu. 77. l. 9. vi 93. l. 13 cęruleum 97 l. 27 extremum. 98. l. 30. ijs. 100. l. 15. *poſt nuncupatur*, *adde* eſt accommodata. 101. l. 17. caules qùi. l. 17. æquant. 102. l. 15. pinaſtriæ. 103 l. 25. *poſt verò adde* &. 105. *pro è cannis* figulina. 108. l 32. *dele* decernendis. 110. l. 31. *poſt qua*, *adde* de. 115. l. 26 *poſt triginta adde* dierum nati. 116. l. 11. nanciſceremur. l. 24. ipſis 117. *pro*, *vt noſtrates rerum repone* nō virides, verum. 122. l. 27. vnà. 126. l 1 nec. l. 9 Ad. l. 18. è dumis. 127. l. 11. quas. 137. l. 5. obnoxiæ. 138. l. 19. lapides. 140. l 7. *dele aut caſſum*. 144. l. 16. lineámque l. 24. inſidentes. l. 29. Noſtri. 151. l. 22. illas terras. l. 31. barbati. 155. l. 16. expolitæ: 160. l 24. indueret. 167. l. 2. appellati. 190. l. 23. quos. 192. l. 1. eſſet. l. 16 incolis. 194. l 26. inquinaſſe 204. l. 3. onuſtis. 212. l. 27 *poſt medijs adde* cadaueribus. 206 l 10. Eſſe nos. 208. l. 14. Galle. 211. l. 22. ſiuit. 223 l. 8. eſſem. 228. l. 29. inuitatus 235 l. 21. collucant. 240. l. 20. *poſt animo adde*; non. 241. in argum. l. 3. fictis. 245. l. 16. hoſtis. 246. l. 31. inuiſendi. 250. 51. ille: 251 l. 2. quos. 305. l 25. *pro eam lege* arboribus. 310. l. 13. inſolitum. l. 18. capiendis. 324. l. 20. 1573. 329. l. 21. noſtros. 331. l 32. Ideo.

INDEX ALPHABETICVS RERVM ET VERBORUM IN HAC HISTORIA OBSERUANDORUM.

A.

K.

L.

M.

proui-

Q.

R.

S.

Teh.

V.

FINIS.

Lapins